



Presented to

APR 10 1888

Library Theological Seminary  
Princeton N.J.

BY THE

American Swedenborg Printing and Publishing Society,  
OF THE CITY OF NEW YORK.

Incorporated A.D. 1850, for the Printing, Publishing, and Circulating  
of the Theological Works of Emanuel Swedenborg,  
for Charitable and Missionary purposes.

BX 8712 .A3 1884 v.2  
Swedenborg, Emanuel, 1688-  
1772.  
Apocalypsis explicata  
secundum sensum spiritualem

# APOCALYPSIS

## EXPLICATA SECUNDUM SENSUM SPIRITUALEM

*UBI REVELANTUR ARCANAE*

*quae ibi praedicta et hactenus recondita fuerunt*

OPUS POSTHUMUM

EMANUELIS SWEDENBORGII

AD FIDEM EDITIONIS PHOTOLITHOGRAPHICAE 1870 HOLMIAE EXCUSAR

---

VOL. II

---

NEW YORK

AMERICAN SWEDENBORG PRINTING AND PUBLISHING  
SOCIETY

20 COOPER UNION

---

MDCCCLXXXIV



Digitized by the Internet Archive  
in 2014

## CAPUT VI.

**E**T vidi cum aperuisset Agnus primum ex sigillis, et audivi unum ex quatuor animalibus, dicens tanquam voce tonitrui, Veni et aspice.

2. Et vidi, et ecce equus albus; et sedens super illo habens arcum, et data ei corona, et exivit vincens et ut vinceret.

3. Et cum aperuisset secundum sigillum, audivi securidum animal dicens, Veni et aspice.

4. Et exivit aliis equus rufus; et sedenti super illo datum ei tollere pacem de terra, ut alii alios occiderent; et data ei machaera magna.

5. Et cum aperuisset tertium sigillum, audivi tertium animal dicens, Veni et aspice: et vidi, et ecce equus niger; et sedens super illo habens stateram in manu sua.

6. Et audivi vocem in medio quatuor animalium dicentem, Choenix tritici denario, et tres choenices hordei denario, et oleum et vinum ne laeseris.

7. Et cum aperuisset sigillum quartum, audivi vocem quarti animalis dicentem, Veni et aspice.

8. Et vidi, et ecce equus pallidus, et sedens super illo, nomen illi mors, et infernus sequebatur cum illo, et data illis potestas interficiendi super quartam partem terrae in romphaea et in fame et in morte et a bestiis terrae.

9. Et cum aperuisset quintum sigillum, vidi subter

altari animas occisorum propter Verbum Dei, et proper testimonium quod habebant.

10. Et clamabant voce magna, dicentes, Usque quo, Domine, qui Sanctus et Verus, non judicas et vindicas sanguinem nostrum de habitantibus super terra?

11. Et datae singulis stolae albae; et dictum eis, ut requiescerent adhuc tempus parvum, usque dum complentur et conservi eorum et fratres eorum, qui futuri occidi sicut et illi.

12. Et vidi quum aperuisset sigillum sextum, et ecce terrae motus magnus factus est, et sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, et luna facta est tanquam sanguis.

13. Et stellae caeli ceciderunt in terram, sicut ficus dejicit grossos suos a magno vento concussa.

14. Et caelum abscessit tanquam liber convolutus; et omnis mons et insula e locis suis emota sunt.

15. Et reges terrae, et magnates et divites, et chilarchi et potentes, et omnis servus et omnis liber, absconderunt se ipsos in speluncis et in petris montium.

16. Et dicebant montibus et petris, Cadite super nos, et abscondite nos a facie Sedentis super throno, et ab ira Agni.

17. Quia venit dies magnus irae Ejus, et quis potest consistere?

#### *EXPLICATIO.*

##### *VERSUS I, 2.*

**350.** "Et vidi cum aperuisset Agnus primum ex sigillis, et audiui unum ex quatuor animalibus dicens tanquam voce tonitrii, Veni et aspice. Et vidi, et ecce equus albus, et sedens super illo habens arcum, et data ei corona, et exivit vincens et ut vinceret."

1. "*Et vidi,*" significat manifestationem statuum eorum qui ab ecclesia ubi Verbum [n. 351]; "*cum aperuisset Agnus primum ex sigillis,*" significat primam a Domino manifestationem [n. 352]; "*et audiui unum ex*

*quatuor animalibus dicens tanquam voce tonitruī,*" significat *e caelo intimo a Domino* [n. 353]; "*Veni et aspice,*" significat *attentionem et perceptionem* [n. 354].

2. "*Et vidi et ecce equus albus,*" significat *intellectum veri ex Verbo* [n. 355]; "*et sedens super illo habens arcum,*" significat *doctrinam charitatis et fidei, ex qua pugnat contra mala et falsa, ac dissipantur illa* [n. 356, 357]; "*et data est ei corona,*" significat *vitam aeternam quae victoriae praemium* [n. 358]; "*et exivit vincens et ut vinceret,*" significat *remotionem malorum et inde falsorum in fine vitae, et postea in aeternum* [n. 359].

**351.** [Vers. 1.] "*Et vidi.*"—Quod significet *manifestationem statuum eorum qui ab ecclesia ubi Verbum, constat ex visis a Johanne, de quibus in hoc capite et in mox sequentibus, quod sint manifestationes status eorum qui ab ecclesia ubi Verbum; agitur enim de "aperitione sigillorum libri" qui in manu Domini, ac de illis quae tunc visa sunt, quae fuerunt "quatuor equi," unus albus, alter rufus, tertius niger, et quartus pallidus, ac postea "animaे occisorum propter Verbum Dei," tum "terrae motus," et tandem "[<sup>10</sup>]septem angeli qui habebant septem tubas;" per quae omnia significantur manifestationes status eorum qui ab ecclesia, ut constare potest a singulis in sensu interno spectatis. *Ecclesia ubi Verbum,* dicitur, quia Domini ecclesia est in universo terrarum orbe, sed in specie ubi Verbum, et per id Dominus notus; de statu eorum qui ab hac ecclesia, in Libro hoc Propheticō imprimis agitur, hic in genere, sed postea in specie. Quod de hac ecclesia imprimis agatur, est causa, quia præsentia Domini et inde angelorum caeli apud homines hujus telluris est per Verbum, hoc enim conscriptum est per meras correspondentias; inde fit ut quoque præsentia Domini et angelorum caeli sit apud illos qui circumcirca seu extra eam sunt, qui Gentes vocantur (ut constare potest ex illis quae in opere *De Caelo et Inferno*, *De Conjunctione Caeli cum Homine Ecclesiae per Verbum*, n. 114, 303–310, et in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 244, 246, 255–266, dicta et ostensa sunt). Ecclesia enim in universo terrarum orbe est coram Domino sicut unus Homo, unum enim facit *cum caelo angelico*. (Quod id coram Domino sit sicut unus Homo, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 59–102.) In hoc Homine est ecclesia ubi Verbum et per id Dominus notus, sicut cor et sicut pulmo; ecclesia apud illos qui in amore caelesti sunt sicut cor, et apud illos qui in amore spirituali sunt sicut pulmo: quare sicut omnia membra, viscera et organa corporis vivunt ex corde et ex pulmone, et ex eorum influxu et inde præsentia, ita quoque omnes in*

universo terrarum orbe, qui ecclesiam universalem consti-  
tuunt, ab ecclesia ubi Verbum; influit enim inde Dominus  
cum amore et cum luce, ac vivificat et illustrat omnes qui  
in aliqua affectione veri spirituali sunt, ubicunque sunt. Lux  
caeli, seu lux in qua sunt angeli caeli qui ab hac tellure,  
est a Domino per Verbum; inde propagatur lux ut e medio  
in peripherias undeque, ita ad illos qui ibi sunt, qui, ut  
dictum est, sunt Gentes quae extra nostram ecclesiam:  
sed haec propagatio lucis fit in caelo a Domino; et quod  
fit in caelo hoc quoque influit in mentes hominum, nam  
mentes hominum unum faciunt cum mentibus spirituum et  
angelorum. Haec nunc causa est quod in hoc Libro Pro-  
phetico imprimis agatur de illis qui sunt ab ecclesia ubi  
Verbum; agitur etiam tunc de illis qui ab ecclesia ubi non  
Verbum, tametsi non proxime; sequitur enim dispositio  
eorum qui circum sunt secundum eum ordinem in quo sunt  
qui in medio.

**352. "Cum aperuisset Agnus primum ex sigillis."**—Quod  
significet *primam a Domino manifestationem*, constat *ex*  
*significatione "aperire sigillum,"* quod sit revelare abscon-  
dita quae intus scripta sunt; nam cum aperitur sigillum,  
leguntur quae inibi: hic abscondita quae nemo scire potuit  
quam solus Dominus, sunt enim status omnium in communi  
et in particulari. Quod nemo illos sciat quam solus Do-  
minus, constat *ex* illis quae de libro illo et de aperitione  
sigillorum ejus supra (n. 199, 222<sup>[a]</sup>, 299, 327) explicata sunt:  
inde patet quod per "cum aperuisset Agnus primum ex  
sigillis," significetur prima a Domino manifestatio.

**353. "Et audivi unum ex quatuor animalibus dicens tan-  
quam voce tonitrua."**—Quod significet *e caelo intimo a Do-  
mino*, constat <sup>[1]</sup>*ex* significatione "quatuor animalium" seu  
cheruborum, quod in supremo sensu sint Divina providentia  
Domini, ac custodia ne adeatur nisi quam per bonum  
amoris (de qua supra, n. 152, 277); et in sensu respectivo inti-  
mum et tertium caelum (de qua etiam supra, n. 313<sup>[a]</sup>, 322); et  
*ex* significatione "vocis tonitrua," quod sit inde manifes-  
tatio; quod per "fulgura, tonitrua et voces," in Verbo sig-  
nificantur illustratio, intellectus et perceptio, videatur supra  
(n. 273), inde quoque manifestatio. Quod "tonitrua" sig-  
nificantur manifestationem e caelo intimo, est ex correspon-  
dentia; nam voces quae ex illo caelo delabuntur usque

in auditum hominis non aliter audiuntur, implent enim totum cerebrum, et inde se propagant versus auditum, et ibi tali sono appercipiuntur: aliter voces quae delabuntur e caelo medio; hae quia cum illustratione illabuntur, ideo modo sonore, sicut voces loquelae, audiuntur. Causa est, quia quae e caelo intimo seu tertio delabuntur, intrant voluntarium hominis, et voluntarium se sistit per sonos; at quae e caelo medio seu secundo delabuntur, intrant intellectuale hominis, ac intellectuale se sistit per articulationes soni; formantur enim soni in intellectu, ac formati soni, quae vocantur articulationes ejus, se sistunt per ideas in cogitatione, ac per voces in auditu: inde est quod quae e caelo intimo seu tertio delabuntur, correspondeant tonitru, et quae e caelo medio seu secundo, correspondeant fulguri; et inde quoque est, quod in Verbo per "fulgura et tonitrua" significantur illustratio, intellectus et perceptio. Haec similitudinem habent cum sonis in mundo, quod crescant cum augmento quum ex altis descendunt, ut dum ex montibus altis in valles, et quoque ut dum ex nubibus versus terram, unde tonitrua; ita quoque voces e caelo tertio seu supremo, quae cum versus inferiora devolvuntur, tandem in infimis, in quibus est auditus humanus, audiuntur sicut tonitrua, sed modo apud illos quibus interiora sunt aperta, ut nunc Johanni.

**354. "Veni et aspice."**—Quod significet attentionem et perceptionem, constat ex significatione "venire," cum aliiquid sistitur videndum, quod sit attendere; (nam per "venire" in spirituali sensu intelligitur appropinquare visu, ita attendere; etiam omnis attentio est ex praesentia visus in objecto;) et ex significatione "aspicere," quod sit perceptio, nam per "videre" in Verbo significatur intelligere (videatur supra, n. 11, 260); hic percipere, quia e caelo intimo; quod enim e caelo intimo venit, hoc percipitur; quod autem e caelo medio, hoc intelligitur: causa est, quia caelum intimum est in bono amoris, at caelum medium est in veris inde, et omnis perceptio est ex bono, ac omnis intellectus est ex veris. (De qua re videatur supra, n. 307; quid perceptio, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 140.)

**355[a]. [Vers. 2.] "Et vidi, et ecce equus albus."**—Quod significet intellectum veri ex Verbo, constat ex significatione "equi," quod sit intellectuale; et ex significatione "albi,"

quod dicatur de vero. (Quod "equus" significet intellectuale constare potest ex illis quae allata et ostensa sunt in opusculo *De Equo Albo*; et quod "album" dicatur de vero, videatur supra, n. 196.) Dicitur quod "equus albus" visus sit quando Agnus aperuit primum sigillum, et quod "equus rufus" cum secundum, "equus niger" cum tertium, et "equus pallidus" cum quartum; et quia per "equum" significatur intellectuale, in specie quoad Verbum, inde constare potest quod intellectus veri ex Verbo, et ejus quale apud homines ecclesiae, per "equos" hic describatur. Sive dicas quod id describatur, seu illi qui in eo sunt, idem est; nam homines, spiritus et angeli subjecta sunt, in quibus id. Inde sciri potest quid in hoc capite, et in proxime sequentibus, in sensu interno seu spirituali describitur, quod nempe Verbum quoad intellectum. Hoc quoque patet ex versu nono hujus capituli, ubi, postquam visi sunt quatuor illi equi, et tunc apertum sigillum quintum, dicitur quod "viderit animas occisorum propter Verbum Dei;" et quoque ex capite xix. hujus Libri, ubi dicitur quod

Nomen Ejus qui sedit super equo albo vocetur "Verbum Dei" (vers. 13).

Quod intellectuale per "equum" significetur, et quod intellectus veri ex Verbo per "equum album," ostensum videatur in opusculo supra citato *De Equo Albo*; sed quia ibi solum pauca loca ex Verbo adducta sunt, confirmantia quod "equus" significet intellectuale, ideo velim hic plura adducere, ut plena sit confirmatio; quae sunt sequentia:—  
Apud *Ezechielem*,

"Congregate vos a circuitu super sacrificium meum quod sacrifico vobis: . . . . satiabimini super mensa mea, equo et curru, forti et omni viro belli; . . . sic dabo gloriam meam inter gentes" (xxxix. 17, 20, 21):

agitur ibi de convocatione omnium ad regnum Domini, et in specie de instauratione ecclesiae apud gentes; agitur enim de captivitate spirituali, in qua fuerunt gentes, et de liberatione ab illa: per "sacrificium" quod sacrificaretur, significatur omnis cultus quo colitur Dominus; per "satiari super mensa mea," significatur omni cibo spirituali, qui quia est intellectus veri ex Verbo et ex doctrina inde, dicitur "equo et curru;" per "equum" significatur intellectus veri ex Verbo, et per "currum" significatur doctrina inde; et quoque dicitur "forti et omni viro belli," et per "fortem" significatur verum ex bono quod destruit malum,

et per "virum belli" significatur verum ex bono quod destruit falsum: nisi talia significantur, quid foret quod satiarentur "equo et curru, forti et omni viro belli"? Similiter in *Apocalypsi*,

"Congregamini ad cenam magni Dei, ut comedatis carnes regum, et carnes chiliarchorum, et carnes fortium, et carnes equorum et sedentium super illis" (xix. 17, 18):

agitur ibi in praecedentibus de Verbo et ejus sensu spirituali; hic nunc invitantur ad discendum vera et ad percipiendum bona; et per "cenam magni Dei" significatur instructio in veris et inde perceptio boni a Domino; et per "carnes regum," "chiliarchorum," "fortium," "equorum" et "sedentium super illis" significantur omnis generis vera quae ex bono; ("caro" significat bonum, "reges" Divina vera in genere, "chiliarchi" eadem in specie, "fortes" vera naturalia, "equi" vera intellectualia, et "sedentes super illis" vera spiritualia;) quod ibi non intelligantur carnes regum, chiliarchorum, fortium, equorum et sedentium super illis, cuivis patet. Apud *Habakuk*,

"Num fluiis succensuit Jehovah? num contra fluvios ira tua? num contra mare excandescens tua? quod equitas super equis tuis, currus tui salus:....calcasti mare equis tuis, lutum aquarum multarum" (iii. 8, 15):

quis non videt quod per "equos" hic non intelligantur equi? dicitur enim de Jehovah, quod "equitet super equis suis," et quod "calcet mare equis suis," et quod "currus Ipsius sint salus:" sed hoc dicitur quia per "equitare super equis" significatur quod Jehovah, hoc est, Dominus, sit in intellectu Verbi sui in sensu ejus spirituali; et quia inde est doctrina veri, quae docet viam salutis, additur "Currus tui salus" ("currus" significant doctrinam); et per "calcare mare equis" significatur quod Jehovah, hoc est, Dominus, sit in intellectu Verbi sui in sensu naturali (nam "mare" ibi id significat, in genere omnia quae sunt naturalis hominis et pro naturali homine); et quia ibi sunt Divina vera in suo ultimo, ideo additur "lutum aquarum multarum" ("lутum" significat ultimum ex quo et in quo, et "aquaе" significant vera). Apud *Sachariam*,

"Exscindam currum ex Ephraimo, et equum ex Hierosolyma; et exscindetur arcus belli; contra loquetur pacem gentibus" (ix. 10):

agitur ibi de adventu Domini, et de instauratione ecclesiae

apud gentes: quod tunc nihil ecclesiae residuum fuerit apud Judaeos, describitur per "Exscindam currum ex Ephraimo, et equum ex Hierosolyma, et exscindetur arcus belli;" per quae significatur quod amplius non verum in doctrina, nec intellectus veri, et inde nulla pugna et resistentia contra falsum; per "Ephraimum" significatur ecclesia quoad intellectum veri, et per "Hierosolymam" ecclesia quoad doctrinam veri, per "currum" ipsa doctrina, et per "equum" ipse intellectus, ac per "arcum belli" pugna et resistentia contra falsum: instauratio ecclesiae apud gentes significatur per quod "loquetur pacem gentibus;" per "gentes" significantur omnes qui in bono amoris in Dominum sunt (videatur supra, n. 331), "pax" significat id bonum, et inde omnia ecclesiae. (Quod "Ephraim" significet ecclesiam quoad intellectum veri, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 3969, 5354, 6222, 6234, <sup>[1]</sup>6237, 6267, 6296; et quod "Hierosolyma" significet ecclesiam quoad doctrinam, in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 6; et supra, n. 223.) Apud eundem,

"In die illo.... percutiam omnem equum stupore, et equitem amentia; et super domum Jehudae aperiam oculum meum, omnem autem equum populorum percutiam caecitate" (xii. 4):

agitur ibi de devastatione ecclesiae prioris, et de instaurazione novae; devastatio ecclesiae prioris describitur per "In die illo percutiam omnem equum stupore, et equitem amentia, et omnem equum populorum percutiam caecitate;" quod per "equum" ibi significetur intellectus veri apud homines ecclesiae, et per "equitem" affectio veri spiritualis unde intellectus, patet; quid alioqui foret, quod "equus percuteretur stupore, et equus populorum caecitate"? "Stupor" dicitur de intellectu quando nulla ei perceptio boni, ac "caecitas" de illo quando ei nulla apperceptio veri; per "domum Jehudae" significatur ecclesia apud illos qui in bono amoris in Dominum sunt, et inde in doctrina veri ex Verbo (videatur supra, n. 119, 211); quare dicitur, "Super illam aperiam oculum meum," per quod significatur illustrare ut videant vera. Apud eundem,

"In die illo erit super tintinnabulis equorum sanctitas Jehovahe" (xiv. 20):

agitur etiam ibi de advenitu Domini, et invitatione omnium ad ecclesiam, ac per "tintinnabula equorum" significantur scientifica et cognitiones ac inde praedicationes, quae sunt ex intellectu veri; et quia omnis intellectus veri est ex

Domino, et inde ipsae cognitiones et praedicationes, ideo dicitur quod "super tintinnabulis equorum erit sanctitas Jehovae." Quia "tintinnabula" significabant talia, ideo etiam

Tintinnabula auri erant super fimbriis pallii Aharonis circumcirca (*Exod.* xxviii. 34, 35).

[*b.*] Apud *Mosen*,

"Erit Dan [serpens] super via, aspis super semita, mordens calcaneos equi, et cadet eques ejus retrorsum: salutem tuam exspecto, Jehovah" (*Gen. xl ix. 17, 18*):

est propheticum Israelis patris de tribu Danis, per quam tribum significantur ultima ecclesiae, ita illi qui in ultimis veri et bonis sunt, qui dicuntur sensuales; sunt enim in ecclesia qui sunt spirituales, et qui naturales, ac naturales sunt interiores, medii et ultimi; ultimi sunt sensuales; hi non ultra sensum litterae Verbi quoad cogitationem se elevant: hi per "Danem" intelliguntur; quales sunt, describitur per id propheticum, quod nempe "Dan sit serpens super via, aspis super semita, mordens calcaneos equi, et cadet eques ejus retrorsum;" per "serpentem super via" et "aspidem super semita" significatur sensuale quoad verum et quoad bonum; per "calcaneos equi" significantur ultima intellectus veri et boni, et per "equitem" ratiocinatio ex illis; et quia sensuale in se spectatum non videt vera quoniam non capit spiritualia, et inde facile in falsa labitur nisi a Domino jugiter ab illis detineatur, ideo dicitur, "et cadet eques ejus retrorsum, salutem tuam exspecto, Jehovah." (Quod per "Danem" significantur ultima ecclesiae, videatur n. 1710, 6396, 10335; quod per "serpentem" significetur sensuale, quod ultimum intellectus, n. 6398, 6449, 8624 fin., 10313, et supra, n. 70; quod per "viam" significetur verum, n. 627, 2333, 10422, et supra, n. 97; et quod per "calcaneum" significetur ultimum naturale, seu naturale corporeum, n. 259, 4938, seq.; quid sensuale, et quales sensuales homines in utroque sensu, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 50.) Apud *Sachariam*,

"Sustuli oculos meos et vidi, cum ecce quatuor currus exeuntes ab inter duos montes, et montes erant montes aeris: ad currum primum equi rufi, ad currum secundum equi nigri, ad currum tertium equi albi, et ad currum quartum equi grandinati, robusti. .... Dixit angelus, Hi quatuor venti caelorum exeuntes a spundo juxta Dominum totius terrae: in quo equi nigri, exeuntes in terram septentrionis; et albi exiverunt post eos, et grandinati exiverunt in terram austri, et robusti exiverunt et quae siverunt ire ad peragrandum terram: .... et dixit, Vide exeuntes ad terram septentrionis, quiescere fecerunt spiritum meum in terra septentrionis: .... et longinqui venient, et aedificabunt in templo Jehovahe" (*vi. 1-8, 15*):

hoc propheticum non intelligitur ab aliquo nisi sciatur quid significant "currus" et "equi," et quid "rubrum," "nigrum," "album," "grandinatum" et "robustum," tum quid "terra septentrionis" et "terra austri;" agitur ibi de ecclesia propaganda apud illos qui nondum in aliqua luce veri erant, quia non habuerunt Verbum; per "septentrionem" intelligitur obscurum veri quod illis, per "austrum" clarum veri; per "equos" intelligitur intellectus eorum; per "rubrum," "nigrum," "album" et "grandinatum," intelligitur quale ejus in principio et quale ejus postea; per "rufum" quale intellectus eorum quoad bonum in principio, per "nigrum" quale intellectus eorum quoad verum in principio, et per "album" quale intellectus eorum quoad verum postea, et per "grandinatum" quale ejus quoad verum et bonum tandem; per "robustum" intelligitur quale ejus quoad potentiam resistendi malis et falsis; ex his nunc constare potest quid significatur per quod "equi rufi exierint ad terram septentrionis, et albi exierint post eos," et quod "quiescere fecerint spiritum meum in terra septentrionis," quod nempe illi recipient et intelligent qui ex bono vitae in affectione sciendi vera ecclesiae sunt, nec alii illustrantur; illustratio et receptio ab illis intelligitur per "quiescere fecerunt spiritum meum in terra septentrionis:" per quod "grandinati exierint in terram austri, ac robusti ad peragrandum terram," significatur quod illi qui ex bono vitae in affectione sciendi vera ecclesiae sunt, in lucem veniant, ac quod resistant malis et falsis et faciant ecclesiam: inde est, quod quatuor illi equi dicantur "quatuor venti caelorum exeentes a stando juxta Dominum totius terrae;" "venti" significant omnia Divina vera, et "exeentes a stando juxta Dominum totius terrae" significat quod ab *Ips*o procedant; (quod "venti" significant omnia Divina vera, videatur n. 9642, et in opere *De Caelo et Inferno*, n. 141-153; et quod "exire" significet procedere, in *Arcanis Caelestibus*, n. 5337, 7124, 9303;) per "longinquos qui aedificabunt in templo Jehovae" [i] significantur qui prius remoti fuerunt a veris et bonis ecclesiac, quod accident ad ecclesiam: (quod per "longinquos" illi significantur, videatur n. 4723, 1<sup>o</sup> 8918; et quod per "tempium Jehovae" significetur ecclesia, n. 3720; porro, quod per "septentrionem" significetur obscurum veri, et quod per "austrum" sive "meridiem" clarum veri, ita quoque illi qui in obscuero et in claro veri sunt, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 143-151;) quid per "rubrum" et "nigrum" in utroque sensu significatur, videbitur in explicationibus ad versus quartum et quintum hujus capituli; et quid per "album," videatur supra (n. 196): per

“montes aeris,” inter quos currus et equi exiverunt, significatur bonum amoris in naturali homine; hoc dicitur, quia gentes, de quibus hic agitur, non in bono spirituali sed in bono naturali fuerunt, antequam illustrati sunt. (Quod per “montem” significetur bonum amoris, videatur n. 795, 4210, 6435, 8327, 8758, 10438; et quod per “aes” bonum naturale, supra, n. 70.) Apud *Hiobum*,

“Oblivisci fecit illam Deus sapientiam, nec impertitus est illi intelligentiam; quo tempore in altum se attollit, ridet equum et equitem ejus” (xxxix. 17, 18):

haec dicuntur de “ave,” per quam significatur intelligentia ex proprio, quae in se nulla intelligentia est; nam homo ex proprio non videt nisi falsa, et non vera, et ex veris est intelligentia et non ex falsis; quare dicitur de illa, quod “oblivisci fecerit illam Deus sapientiam, nec impertitus est illi intelligentiam, et cum se in altum attollit, ridet equum et equitem ejus,” hoc est, intellectum veri ac intelligentem.

[c.] Apud *Davidem*,

“Praeda facti sunt fortes corde, dormitarunt somnum suum; . . . . praerecreatione tua, Deus Jacobi, obdormivit et currus et equus” (Ps. Ixxvi. 6, 7 [B. A. 5, 6]):

per “fortes corde” significantur qui in veris ex bono sunt; per quod “praeda facti sint, et dormitaverint somnum suum,” significatur quod a malis in falsa lapsi sint; per “increpationem Dei Jacobi,” significatur inversio status eorum ab ipsis; et per “obdormivit et currus et equus,” significatur quod intellectuale eorum sopitum sit, quia factum mere naturale; quod per “vigilare” significetur vitam spiritualem sibi comparare, et per “dormire” habere vitam naturalem absque spirituali, videatur supra (n.<sup>(1)</sup>187). Apud *Ezechielem*,

“Javan, Thubal et Meschech . . . . cum anima hominis et vasis aeris dererunt negotiationem tuam: ex Bethogarma equos, equites et mulos dederunt negotiationibus tuis” (xxvii. 13, 14):

agitur ibi de Tyro, per quam significantur cognitiones veri et boni quae ecclesiae externae et internae: per “Javan, Thubal et <sup>(2)</sup>Meschech” significantur qui in cultu externo, et ii “ex Bethogarma” qui in cultu interno; quare dicitur quod hi “dederint negotiationibus Tyri equos, equites et mulos,” et quod illi dederint “animam hominis et vasa aeris negotiationem;” et per “animam hominis” significatur verum fidei quoad cognitionem, et per “vasa aeris” significantur

vera boni naturalis; ac per "equos, equites et mulos" significatur intellectus veri et boni, per "equos" intellectus veri, per "equites" intelligentia, et per "mulos" rationale. (Quod per "mulum" significetur rationale, videatur n. 2781, 5741, 9212.) Quisque videre potest quod per "negotiationes Tyri," quae in illo capite et alibi enumerantur, non intelligantur negotiations cum talibus, ut cum vasis aeris, equis et mulis, et cum pluribus aliis, sed quod intelligantur negotiations spirituales, quae fiunt per cognitiones veri et boni: Verbum enim est Divinum et de Divinis agit, et non de terrestribus; quare continet spiritualia, quae sunt caeli et ecclesiae, quae exprimuntur in sensu ultimo, qui est sensus litterae, per naturalia quae correspondent illis. (Quod "negoziari" et "mercari" in Verbo significet cognitiones veri et boni comparare et communicare, videatur n. 2967, 4453; et quod simile "l'aremere" et "vendere," n. 2967, 4397, 4453, 5371, 5374, <sup>[2]</sup>5406, 5410, 5426, 5886, 6143, 7999, 9039.) Apud *Esaiam*,

"Qui duxit eos per abyssos, sicut equus in deserto non offenderunt, sicut bestia in valle descendit, spiritus Jehovahe duxit eum" (lxiii. 13, 14):

agitur in eo capite de Domino, et de Ipsius pugna cum infernis et subjugatione eorum; hic autem de salvatione eorum qui in amore et fide in Ipsum sunt: hi comparantur "equo in deserto," et "bestiae in valle," quia per "equum" significatur intellectus veri, et per "bestiam" affectio boni; omnes enim comparationes in Verbo ex correspondentiis sunt. In *Apocalypsi*,

"Vidi caelum apertum, et ecce equus albus, et insidens ei vocabatur.... Verbum Dei: et exercitus qui in caelo sequebantur Ipsum super equis albis" (xix. 11-16):

quod per "equum album" significetur intellectus Verbi, similiter per "equos albos" quibus insidebant qui sequebantur, constat; nam "insidens equo albo" erat Dominus quoad Verbum; dicitur enim "Et Sedens super illo vocabatur Verbum Dei;" et in versu 16 ibi, "Habebat super vestimento et super femore suo nomen scriptum, Dominus dominorum et Rex regum." Dominus vocatur Verbum, quia Verbum significat Divinum Verum procedens ab Ipso. (Sed haec in *Apocalypsi* plenius explicata videantur in opusculo *De Equo Albo*, n. 1; et unde est quod Dominus dicatur Verbum, n. 14 ibi.) Quoniam "currus" et "equi" significant doctrinam ex Verbo et ejus intellectum, et omnis doctrina veri et ejus intellectus est ex caelo a Domino, ideo dicitur de Ipso, quod "equitet super Verbo," "super nubi-

bus," "super caelo," "super cherubo," et quod "faciat equitare," ut in sequentibus his locis:—Apud *Davidem*,

"Accinge gladium tuum super femur, Potens in decore tuo,...et in honore tuo concende, et equita super Verbo veritatis et mansuetudinis justitiae" (Ps. xlvi. [1]4, 5 [*B. A.* 3, 4]):

haec dicta sunt de Domino. Apud eundem,

"Cantate Deo, laudate nomen Ipsius, extollite equitantem super nubes" (Ps. lxviii. 5 [*B. A.* 4]);

apud *Esaiam*,

"Ecce Jehovah equitans super nube...., et venit in Aegyptum, et commovebuntur idola Aegypti coram Ipso" (xix. 1, 2);

apud *Davidem*,

"Psallite Domino....equitanti super caelo caeli antiquitatis" (Ps. lxviii. [33.] 34 [*B. A.* 32, 33]);

Deus "equitavit super cherubo, volavit, et vectus super alis venti" (Ps. xviii. 11 [*B. A.* 10]);

apud *Habakuk*,

"Jehovah,...equitas super equis tuis, currus tui salus;....calcasti mare equis tuis" (iii. 8, 15);

apud *Esaiam*,

"Tunc deliciaberis in Jehovah, et equitare te faciam in excelsa terrae" (lviii. 14);

Apud *Mosen*,

"Jehovah solus duxit eum,...et equitare fecit eum super excelsa terrae" (*Deut.* xxxii. 12, 13);

et apud *Hoscheam*,

"Equitare faciam Ephraimum" (x. 11):

in illis locis per "equitare" significatur intelligentiam et sapientiam dare, quia per "currum" significatur doctrina veri, et per "equos" intellectus ejus. Apud *Esaiam*,

"Tunc adducent omnes fratres [2]vestros ex omnibus gentibus munus Jehovah super equis et super currus, et super rhedis cameratis, super mulis et super veredariis, ad montem sanctitatis meae Hierosolymam" (lxvi. 20):

agitur ibi de instauratione ecclesiae novae a Domino; quare non intelligitur quod adducent fratres suos super equis, super currus, super rhedis cameratis, super mulis et super veredariis, ad Hierosolymam; sed intelligitur quod omnes qui in bono sunt, instruendi sint in Divinis veris, et per illa intelligentes et sapientes facti introducendi sint in ecclesiam; per "fratres" enim significantur omnes qui in bono

sunt, per "equos" significatur intellectus veri, per "currum" doctrina veri, per "rhendas cameratas" cognitiones veri, per "mulos" rationale internum quod spirituale, et per "veredarios" rationale externum quod naturale; et per "Hierosolymam" significatur ecclesia ubi doctrina Divini Veri, quae "mons sanctitatis" dicitur ex amore veri. Ex significatione "currum" et "equorum" constare potest, unde est

Quod Elias et Elisaeus dicti fuerint "currus Israelis et equites ejus;" et quod puero Eliae visus sit mons plenus equis et curribus igneis circum Elisaem (2 Reg. ii. 11, 12; cap. vi. 17; cap. xiii. 14):

causa est quia uterque, tam Elias quam Elisa, repreäsentarunt Dominum quoad Verbum, et per "currus" significatur doctrina e Verbo, et per "equites" intelligentia. (Quod Elias et Elisa repreäsentaverint Dominum quoad Verbum, videatur n. 7643, 8029, [1]9372).

[d.] Quod "currus" et "equi" significant doctrinam et intellectum ejus, adhuc constare potest a sensu eorum opposito, in quo "currus" et "equi" significant doctrinas falsi et scientifica falsa ex intellectuali perverso: pleraque enim in Verbo oppositum sensum habent, ex quo videri potest quid eadem in genuino sensu significant. Quod "currus" et "equi" in illo sensu talia significant, constare potest ex sequentibus his locis:—Apud Ezechilem,

"Ecce adducturus contra Tyrum.... regem Babelis a septentrione,.... cum equo et cum curru, et cum equitibus;.... filias tuas in agro gladio occidet:.... prae abundantia equorum ejus obteget te pulvis eorum, prae voce equitis et rotae et currus commovebuntur muri tui,.... per ungulas equorum suorum concubabit omnes plateas tuas; populum gladio occidet" (xxvi. 7, 8, 10, 11):

per "Tyrum" significatur ecclesia quoad cognitiones veri; et per "regem Babelis" destrucciónem veri per falsa et profanatio; per "septentrionem" a quo venturus, significatur unde omne falsum, in specie infernum ex quo exsurgit; per "currum," "equos" et "equites," significantur doctrinale falsi et ratiocinationes ex illis; per "filias" quas "in agro gladio occidet," significantur affectiones veri quas per falsa extinguet, "filiae" enim sunt affectiones veri, "ager" est ecclesia ubi illae, "gladius" est pugna falsi contra verum, et "occidere" est extinguere; inde patet quid significatur per "prae abundantia equorum ejus obteget te pulvis eorum" ("pulvis" est malum falsi): per "muros" qui prae voce

equitis, rotae et currus commovebuntur, significantur vera tutantia, quae in genere sunt, quod Deus sit, et quod Verbum sit Divinum, et quod vita aeterna sit; hi muri seu haec vera dicuntur "commoveri p[ro]ae voce equitis, rotae et currus," quando in dubium veniunt per falsa doctrinae et per ratiocinationes ex illis: per "ungulas equorum" per quas concubabit omnes plateas, significantur extrema naturalis hominis, quae vocantur sensualia, ex quibus omnes falsitates; "plateae" quas per illas concubabit, sunt vera doctrinae ecclesiae, quae prorsus destruet: per "populum" qui gladio cadet, significantur omnes qui in veris sunt, et abstracte omnia vera. Apud *Jeremiam*,

"Gladie contra mendaces ut stultescant, gladie contra fortis ut consterentur, gladie contra equos ejus et contra currus ejus,....gladie contra thesauros ejus ut diripientur; siccitas super aquas ut exarescant, quia terra sculptilium illa" (l. [36,] 37, 38):

per "gladium" significatur pugna veri contra falsum ac falsi contra verum et inde vastatio, hic vastatio; per "mendaces" et per "fortes" significantur falsa et ratiocinationes ex illis, similia per "equos" et "currus;" per "thesauros" qui diripientur, significantur omnia doctrinae; per "siccitatem super aquas ut exarescant," significatur desolatio veri ("siccitas" est desolatio, et "aquea" sunt vera): et quia omnia falsa ex propria intelligentia sunt, ideo dicitur, "quia terra sculptilium illa;" "terra" ibi significat haeresin, et "sculptilia" significant quae ex propria intelligentia. (Quod haec per "sculptilia," "fusilia" et "idola" significantur, videatur n. 8869, 8941, 10406, 10503.) Apud eundem,

"Ecce sicut nubes ascendet, et sicut procella currus ejus, celeres sunt p[ro]ae aquilis equi ejus; vae nobis, quia devastati sumus; ablue a malitia cor tuum,....ut serveris; quamdui commorabuntur in medio tui cogitationes iniquitatis? ....Vastitas erit tota terra,....p[ro]ae voce equitis et sagittariorum fugit tota urbs; intrarunt nubes, et in petras ascenderunt, tota urbs deserta" (iv. 13, 14, 27, 29):

describitur hic vastatio ecclesiae per falsa mali; falsa significantur per "nubem," et cupidio ratiocinandi ex falsis contra vera per "equos qui p[ro]ae aquilis veloces," ac doctrinalia falsi per "currus qui sicut procella:" quod inde omne ecclesiae et omne doctrinae ejus p[er]eat, significatur per quod "vastitas erit tota terra, et p[ro]ae voce equitis et sagittariorum fugit tota urbs;" "terra" est ecclesia, et "urbs" est doctrina ejus, "vox equitis et sagittariorum"

est ratiocinatio ex illis et impugnatio, et "fugere" est perire: quod dein mere falsum ac fides falsi regnatura sint, significatur per "intrarunt nubes ac in petras ascenderunt;" "nubes" sunt falsa, ac "petrae" sunt eorum fides: quod devastatio ecclesiae et ejus doctrinae ita describatur, patet, nam dicitur, "Vae nobis, quia devastati sumus; . . . quamdiu commorabuntur in medio tui cogitationes iniquitatis? Vastitas erit tota terra, tota urbs deserta." Apud eundem,

"Ecce populus veniens e terra septentrionis, et gens magna excitabitur a lateribus terrae; . . . vox eorum sicut mare resonat, et super equis equitant" (vi. 22, 23; cap. l. [1]41, 42):

similiter hic describitur devastatio ecclesiae per falsa mali; "terra septentrionis," et "latera terrae" sunt unde illa, "terra septentrionis" unde falsa, et "latera terrae" unde mala; per "septentrionem" enim significatur quod remotum a veris est, et per "latera terrae" quod remotum a bonis; quare dicitur "gens" de his et "populus" de illis, nam per "gentem" intelliguntur qui in malis, et per "populum" qui in falsis (videatur supra, n. 331[δ]): ratiocinatio eorum significatur per quod "vox eorum sicut mare resonet," et quod "super equis equitent." Apud *Ezechielem*,

"Venies e loco tuo e lateribus septentrionis, tu et populi multi tecum, equitantes equis omnes, . . . et ascendes contra populum meum Israelem, sicut nubes ad obtegendum terram" (xxxviii. 15, 16):

haec de Gogo, per quem significatur cultus externus absque ullo interno; "latera septentrionis" significant hic ut supra remotum a bonis et veris, et sic unde falsa mali; et quia inde ratiocinantur et impugnant vera ecclesiae, et extinguent illa, dicitur "equitantes equis omnes, . . . et ascendes contra populum meum Israelem, sicut nubes ad obtegendum terram;" "equitantes equis" sunt ratiocinationes, "ascendere contra populum Israelem," et "obtegere terram," significat impugnare vera ecclesiae, et extinguere illa; "nubes" sunt falsa mali. Apud *Danicem*,

"In tempore finis collidet rex meridiei cum " rege septentrionis; " ideo quasi procella irruet in illum rex septentrionis, cum curru et cum equitibus, et cum navibus multis, et veniet in terras, et inundabit et penetrabit" (xi. 40):

agitur in illo capite de pugna regis septentrionis cum rege meridiei, et per "regem septentrionis" intelligitur falsum

ex malo, ac per "regem meridiei" verum ex bono; quare patet quod illa, quae in eo capite dicuntur, non dicta sint de aliquo futuro bello inter duos reges, sed de pugnis falsi ex malo contra verum ex bono: "currus et equites" cum quibus "irruet rex septentrionis" sunt impugnationes veri ex falsis mali; "naves multae" cum quibus etiam irruet, sunt scientifica et doctrinalia falsi; destrucción ecclesiae per illa significatur per "veniet in terras, et inundabit et penetrabit." (Quod "naves" significant scientifica et doctrinalia in utroque sensu, videatur n. 1977, 6385; et quod "inundare" significet immersionem in falsa et mala, n. 660, 705, 739, 756, 790, 5725, 6853.)

[*e.*] Apud *Jeremiam*,

"Dispergam per te gentes, et perdam per te regna, et dispergam per te equum et equitem ejus, et dispergam per te currum et vectum in eo" (li. 20, 21);

et apud *Haggaeum*,

"Evertam thronum regnum, et perdam robur regnum gentium; et evertam currum et equitantes in eo, et descendat equi et equites eorum, vir gladio fratris sui" (ii. 22):

haec dicta sunt de destructione falsi et mali, et non de destructione alicujus gentis et regni, nam per "gentes" significantur mala, et per "regna" similiter ac per "populos" falsa, est etiam propheticum et non historicum; inde patet quid per "equum et equitem," ac per "currum et vectum in eo," significatur, quod nempe per "equum et equitem" intellectuale perversum et inde ratiocinatio, ac per "currum et vectum in eo" doctrina falsi seu haeresis, et qui in illa sunt. Apud *Nahum*,

"Vae urbi sanguinum, tota mendacio et rapina plena; . . . vox scuticae et vox sonitus rotac, et equus hinniens et currus saltitans, eques ascendere faciens, et splendor gladii, et fulgor hastae, et multitudo confessorum, et acervus cadaveris, . . . prae multitudine scortationum scorti, . . . vendentis gentes per scortationes suas, et familias per praestigias suas" (iii. 1-4):

agitur ibi de violentia illata Divino Vero ac de destructione ejus per falsa mali, id enim per "urbem sanguinum," de qua sequentia dicuntur, significatur (videatur supra, n. 329[*f*]); quare etiam dicitur "tota mendacio et rapina plena," "mendacium" est falsum, et "rapina" est violentia per id illata; et quia "bella" significant pugnas spirituales, quae sunt veri contra falsum et falsi contra verum, ideo omnia quae sunt belli, ut "scutica," "equus," "currus," "gladius"

et "hasta," significant varia quae illius belli sunt; quid autem singula in specie significant, non hujus loci est exponere, modo quid "equus," "eques" et "currus;" "vox sonitus rotae," significat ratiocinia ex falsis et malis; "equus hinniens et currus saltitans" significat cupidinem destruendi vera ("equus" est intellectuale perversum ex quo, et "currus" est doctrina falsi ex qua): "hinnire et saltitare," est ferri cupidine et jucundo ad id, et "eques ascendere faciens" est impugnatio: inde dicitur "multitudo confosorum et acervus cadaveris;" "confossi" dicuntur qui perierunt ex falsis, et "cadavera" qui ex malis: et inde quoque dicitur, "prae multitudine scortationum scorti vendentis gentes per scortationes, et familias per praestigias;" per "scortationes" significantur falsifications veri, per "scortum" haeresis, per "vendere gentes" significatur abalienare bona, et per "vendere familias per praestigias" significatur abalienare vera ("gentes" sunt bona, "familiae" vera inde, et "praestigiae" sunt falsa mali per quae).  
*Apud Habakuk,*

"Ego excitans Chaldaeos, gentem amaram et praecepitem, pergentem in latitudines terrae, . . . . cuius leves sunt prae pardis equi, et acuti sunt prae lupis vesperae, ut diffundant se equites ejus; unde equites ejus e longinquo venient, advolabunt sicut aquila festinans ad comedendum, tota ad violentiam veniet; . . . illa reges illudet et dominatores risui illi" (*i. 6, 8-10*):

per "Chaldaeos" intelliguntur qui profanant vera et sic vastant ecclesiam, quare vocatur "gens amara et praeceps, pergens in latitudines terrae;" "latitudines terrae" sunt vera ecclesiae (videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 197): eorum cupiditas et astutia pervertendi vera et destruendi illa per ratiocinia ex falsis prorsus remotis a veris, significantur per "cuius leves prae pardis equi, et acuti prae lupis vesperae, ut diffundant se equites ejus, unde equites ejus e longinquo venient, advolabunt sicut aquila festinans ad comedendum;" cupiditas significatur per quod "equi ejus leves sint prae pardis," et astutia per quod "equi sint acuti prae lupis vesperae," et utrumque per quod "advolent sicut aquila:" quia cupiditas et astutia est ad destruendum vera, ideo dicitur, "tota ad violentiam veniet:" quod irrideant vera et bona, significatur per quod "reges illudet et dominatores risui illi;" "reges" significant vera, ac "domini" et "dominatores" bona. *Apud Davidem,*

"Hi in curru, et isti in equis, nos vero in nomine [Jehovae] Dei nostri gloriabimur" (Ps. xx. 8, 9 [*B. A.* 7]);

apud eundem,

"Non rex servatur per multitudinem exercitus,....mendacium equus quoad salutem" (Ps. xxxiii. 16, 17);

apud eundem,

Jehovah "non in robore equi delectatur, non in femoribus viri beneplacitum Ipsius" (Ps. cxlvii. 10):

per "gloriari in curru et in equis," et per quod "Jehovah non delectetur robore equi," significantur omnia quae ex propria intelligentia, ex qua mere falsa; et per "femora viri" significantur quae ex propria voluntate, ex qua mere mala. Apud *Amos*,

"Non tenens arcum consistet, neque celer pedibus eripiet se; neque equitans equo eripiet animam suam, sed fortis corde suo fugiet nudus in die illo" (ii. 15, 16):

etiam hic describitur propria intelligentia, et fiducia ex facultate loquendi et ratiocinandi ex falsis; per "tenens arcum non consistet," et per "celer pedibus non eripiet se," significatur qui scit alacriter ratiocinari ex doctrina falsi, et ex scientia ac memoria naturalis hominis, non ideo servabitur; simile significatur per "equitans equo non eripiet animam suam:" per "fortem corde" qui "fugiet nudus in die illo," significatur qui fidelis suis falsis quod absque omni vero erit; per "fortem corde" intelligitur qui fidelis suis falsis, et per "nudum" intelligitur qui absque omni intellectu veri (videatur supra, n. 240). Apud *Esaiam*,

"Dicit Dominus Jehovih Sanctus Israelis,....in quiescendo et in fiducia erit virtus vestra: sed noluistis et dixistis, Non, sed super equo fugiemus, et ideo fugietis; et super veloce equitabimus, et ideo veloces reddentur persequentes vos" (xxx. 15, 16):

agitur hic de fiducia in Dominum, et de fiducia in se; de fiducia in Dominum per haec verba, "Dixit Dominus Jehovih Sanctus Israelis, In quiescendo et in fiducia erit virtus vestra;" et de fiducia in se per haec, "Et dixistis, Non, sed super equo fugiemus, et super veloce equitabimus;" per "fugere super equo," et "equitare super veloce," significatur cupere et amare illa quae sui intellectus sunt et inde cogitationis et ratiocinationis: quod falsa tunc irruptura et occupatura, significatur per "ideo fugietis, ... et ideo veloces

reddentur persequentes vos ; " "velox" et "festinum" significat quod fit ex cupiditate seu ex amore.

[f.] *Apud Sachariam,*

Ponet Jehovah Jehudam "sicut equum gloriae suae in bello ; ex illo angularis, ex illo clavus, et ex illo arcus belli ; . . . et erunt sicut potentes conculcantes caenum platearum . . . , et proeliabuntur quia Jehovah cum illis, et pudefacient equitantes super equis" (x. 3-5) :

per "domum Jehudae" significatur regnum caeleste Domini, seu caelum et ecclesia quae in amore in Dominum ; de hoc dicitur quod erit "sicut equus gloriae in bello," per quem significatur intellectus Divini Veri pugnans contra mala et falsa, quae destruet ; per "equum" significatur intellectus, per "gloriam" Divinum Verum, et per "bellum" pugna contra falsa et mala, et destructio eorum : per "angularem, clavum et arcum belli" quae ex Jehuda, significantur vera ; per "angularem" verum tutans, per "clavum" verum firmans, et per "arcum belli" verum pugnans ex doctrina : per quod erunt "sicut potentes conculcantes caenum platearum," significatur potentia dissipandi et destruendi falsa ; "caenum platearum" significat falsa : per quod "pudefacient equitantes super equis," significatur annihilationis ratiocinationum, argumentationum et confirmationum quae ex proprio intellectu : quod hoc fiet a Domino et non ab illis, intelligitur per "proeliabuntur quia Jehovah cum illis." *Apud Hoscheam,*

"Assur non servabit nos, super equo non equitabimus ; non dicemus amplius, Deus noster, operi manuum nostrarum" (xiv. 4 [B. A. 3]) :

agitur etiam hic de intelligentia ex proprio, et quod illa non salvet ; per "Aschurem" significatur rationale, hic quod ex proprio ; per "equitare super equo" significatur ratiocinatio ex proprio intellectus ; et per "opus manuum" significatur ipsum proprium. *Apud Ezechielem,*

"Scortata est Ohola . . . , et dilexit amasios suos, Assyrios propinquos, vestitos hyacintho, . . . equites equitantes equis" (xxiii. 5, 6, 12, 23) :

"Ohola," quae ibi est Samaria, significat ecclesiam ubi falsificata sunt vera ; "scortationes" ejus, de quibus in eo capite, significant falsifications ; per "Assyrios" significantur ratiocinia per quae ; et quia per "equitare equis" significatur ratiocinari ex falsis, quae ex propria intelligentia, ideo dicitur "dilexit Assyrios, equites equitantes

equis;" per "hyacinthum" quo vestiti significatur falsum apparenſ sicut verum, quod fit imprimis per applicationem ſenſus litterae Verbi ad principia falfi. Apud *Jeremiam*,

"A Dane auditus est rhonchus equorum ejus, a voce hinnituum robustorum ejus contremuit tota terra, et venerunt et consumpſerunt terram et plenitudinem ejus, [urbem] et habitantes in ea" (viii. 16):

quid per "Danem" intelligitur, ſupra in hoc articulo dictum eſt, quod nempe verum in ſuo ultimo; hoc verum in ecclieſia eſt quod continetur in ſenſu litterae Verbi; qui in hoc ſolo manent, et non id legunt ex doctrina genuini veri, quae ducat et illuſtret, in omnis generis errores auferri poſſunt; hi qui auferuntur in errores ſeu falſa, intelliguntur hic per "Danem," confirmatio falſorum inde per "rhonechum equorum ejus," et falſificationes veri per "voce hinnituum robustorum ejus;" "robusti" dicuntur ex fiducia, quia ex ſenſu litterae Verbi, quod falſum ſit verum: quod inde ecclieſia quoad ejus vera et bona vaſtetur, ſignificatur per "contremuit tota terra, et venerunt et consumpſerunt terram et plenitudinem ejus et habitantes in ea;" "terra" eſt ecclieſia, "plenitudo ejus" ſunt vera, et "habitantes in ea" ſunt bona. Apud *Eſaiam*,

"Sustulit ſignum gentibus e longinquo, et ſibilavit illi ab extremitate terrae, et ecce cito velox adveniet;....cujus tela acuta, et omnes arcus ejus tensi, ungulae equorum ejus ſicut rupes reputantur, et rotæ ejus ſicut procella" (v. 26, 28):

etiam hic agitur de illis qui in ultimis ſunt quoad intellectum veri et quoad perceptionem boni; ultima illa vocantur ſenſualia, quae ſunt ultima naturalis hominis (de quibus videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. [1]50): ex illis separatis a ſpirituali homine ſcaturiunt omnia mala et falſa quae in ecclieſia et in ejus doctrina; mala inde ſignificantur per "gentes quae venient e longinquo," et falſa per illum qui "venit ab extremitate terrae;" "longinquum" et "extremitas terrae" ſignificant illa quae remota ſunt a veris et bonis ecclieſiae: per "tela quae acuta," et per "arcus qui tensi," ſignificantur falſa doctrinæ parata ad deſtruendum vera; et per "ungulas equorum quae ſicut rupes reputantur," et per "rotas ejus quae ſicut procella," ſignificantur ultima veri qualia ſunt quae in ſenſu litterae Verbi, ac argumentationes et confirmationes falſi per illa;" "ungulae equorum" ſunt ultima intellectus, hic intellectus perversi, quia ſepa-

rati ab intellectu spiritualis hominis, quae quia ex sensu litterae Verbi sunt, dicitur "quae sicut rupes reputantur;" ac "rotae" sunt argumentationes et confirmations per illa, quae quia validae apparent, dicitur "quae sicut propellera." In *Libro Iudicum*,

"Cor meum ad legislatores Israelis, . . . qui equitatis super asinibus albis, et sedetis super <sup>[i]</sup>middin, et qui ambulatis super via, meditamini: . . . stellae de viis suis pugnarunt cum Sisera, . . . tunc contusae sunt plantae equorum, complosi plausus robustorum ejus" (v. 9, 10, 20, 22):

haec in Canticō Deboraē et Baraki, in quo agitur de pugna veri contra falsum, et de illius victoria; per "legislatores Israelis" significantur vera ecclesiae; per "equitare super asinibus albis et sedere super <sup>[i]</sup>middin," significatur perceptio boni ac intellectus veri ("asinæ albae" significant rationale quoad bonum, et "<sup>[i]</sup>middin" rationale quoad verum); et "ambulare super via et meditari," significant vitam veri; "stellae de viis suis pugnarunt cum Sisera," significant cognitiones veri, et pugnam ex illis contra falsa mali; "plantae equorum quae contusae," et "plausus equorum qui complosi," significant falsa quae ex ultimo naturali seu sensuali, et argumentationes inde, quod destructa.

[g.] Apud *Amos*,

"Num current in petra equi? num arbit bobus? quia convertistis in fel judicium, et fructum justitiae in absinthium" (vi. 12):

"Num current in petra equi?" significat num aliquis intellectus veri; "num arbit bobus?" significat num aliqua perceptio boni: quod haec significantur, patet, nam sequitur, "quia convertistis in fel judicium, et fructum justitiae in absinthium;" "convertere in fel judicium" significat in falsum vertere verum, et "convertere fructum justitiae in absinthium" significat bonum in malum. Apud *Davidem*,

"Posuisti oppressionem super lumbos nostros, equitare fecisti hominem in capite nostro; introivimus in ignem et aquas; eduxisti tamen nos in latitudinem" (Ps. lxvi. 11, 12):

describitur ita captivitas spiritualis, et inde liberatio; captivitas spiritualis est quando mens occluditur ne percipiat bonum et intelligat verum, liberatio ab illa est quando mens aperitur; per "oppressionem super lumbos" significatur quod nulla perceptio boni amoris, "lumbi" enim et "femora" significant bonum amoris: per "equitare facere

hominem in capite nostro" significatur quod nullus intellectus veri; per "hominem" hic significatur intelligentia ex proprio, quae nulla intelligentia est, et simile per "caput:" quia haec significantur, ideo dicitur, "intravimus in ignem et aquas;" "in ignem" est in mala quae ex amore sui, et "in aquas" est in falsa: liberatio inde intelligitur per "eduxisti tamen nos in latitudinem;" "latitudo" significat verum, ut supra. Apud *Esaiam*,

"Vae descendantibus in Aegyptum pro auxilio, et super equis innituntur, et confidunt super curru...., sed non respiciunt ad Sanctum Israelis, et Jehovam [<sup>[1]</sup>non] querunt;....nam Aegyptus homo et non Deus, et equi ejus caro et non spiritus" (xxxii. 1, 3):

per "Aegyptum" in Verbo significatur scientificum quod in naturali homine, et inde quoque naturalis homo; et quia naturalis homo cum scientifico quod in illo non habet aliquem intellectum, sed modo cogitationem ex memoria, quae est species imaginationis ex objectis visus et auditus, quae quia est infra spiritualem, in quo tamen resident omnia bona et vera caeli et ecclesiae, inde per "Aegyptum" in plerisque locis significatur scientificum falsum; nam cum spiritualis homo non influit, vertuntur scientifica naturalis hominis in mere falsa, et cogitationes ejus in confirmationes falsi et in ratiocinationes ex illis contra vera: inde constare potest quid per "equos Aegypti" et per "currus" ejus significatur, nempe quod per "equos" scientifica falsa, et per "currus" doctrinalia ex quibus ratiocinationes contra vera; qui itaque tales sunt, non quaerunt aliunde vera quam ex se; proprium enim cuiusvis in naturali homine residet, et non proprium in spirituali; quapropter pro veris arripiunt falsa et pro bonis mala, et haec dicunt bona et illa dicunt vera, ac sibi, quia suo proprio, fidunt: haec significantur per "Vae descendantibus in Aegyptum, et super equis innituntur, et confidunt super curru quod multus, et super equitibus quod validi valde;" "equi" ibi sunt scientifica falsa, et "currus" sunt doctrinalia inde, ac "equites" sunt ratiocinationes ex illis contra vera: quare etiam dicitur, "Aegyptus est homo et non Deus, et equi ejus sunt caro et non spiritus," per quod significatur quod mere naturale et non spirituale eis insit, inde nec aliquid vitae; "homo" significat naturalem hominem, et "caro" proprium ejus, "Deus" et "spiritus" significant Divinum spiritualem <sup>[2]</sup> ho-

minem et inde vitam ; et quoniam illi sibi confidunt, et non Domino, dicitur "Non respiciunt ad Sanctum Israelis, et Jehovahm [<sup>10</sup>non] quaerunt. Ex his nunc videri potest quid significatur per "equos, currus et exercitus Pharaonis," apud *Mosen*,

"Gloriosus reddar in Pharaone et in exercitu ejus,....et in equitibus ejus. ....Et persecuti sunt Aegyptii" filios Israelis, "et venerunt post illos equi Pharaonis, currus ejus, et equites ejus, in medium maris ;....et Jehovah....removit rotam curruum ejus, ut ducerent cum difficultate ;....et cum Moses extendit manum super mare,....reversae sunt aquae, et operuerunt currus et equites cum universo exercitu Pharaonis" (*Exod. xiv. 17, 18, 23, 25, [2]27, 28*) ;

et apud eundem,

"Cecinit Moses et filii Israelis canticum hoc Jehovahae ;....Cantando cantabo Jehovahe, quia exaltando exaltavit Se, equum et equitem ejus projicit in mare,....et currus et exercitum ejus" (*Exod. xv. 1, 4, 19, 21*) :

quid per "equos et currus Pharaonis" seu "Aegypti" significatur, supra dictum est ; per "exercitum" ejus significantur omnia falsa in genere et in specie ; et per "mare" significatur damnatio et infernum, ubi omnes sunt in proprio, quia in naturali homine separato a spirituali, et inde in omnis generis malis et falsis. Simile per "equos Aegypti" significatur in his, apud *Mosen*,

"Si [<sup>3</sup>]dixeris, Ponam super me regem,....ponendo [<sup>4</sup>]pones super te regem quem elegerit Jehovah Deus tuus....; modo non multiplicet sibi equos, nec reducat populum in Aegyptum ut multiplicet equos" (*Deut. xvii. 14-16*) :

haec dicta sunt de rege, quia per reges repraesentatur Dominus quoad Divinum Verum, et per "reges" inde significantur vera ex bono a Domino (videatur supra, n. 31) ; et quia vera ex bono resident in spirituali homine, ut supra dictum est, et scientifica quae sunt naturalis hominis ei inservient sicut servi suo [<sup>5</sup>]domino, inde dicitur, "modo non multiplicet sibi equos, nec reducat populum in Aegyptum ut multiplicet equos," per quae significatur, modo ne a spirituali homine fiat naturalis, et semet ipsum ducat, et suo proprio fidat et non Domino ; ita ne vera quae spiritualis hominis serviant naturali, et non scientifica quae naturalis hominis spirituali, hoc enim secundum ordinem est, illud autem contra ordinem. Similia per "equos Aegypti" significantur alibi in Verbo

(*Ut Jerem. xlvi. 4, 9 : Ezech. xvii. 15 ; cap. xxiii. 20*).

**356.** “*Et sedens super illo habens arcum.*”—Quod significet inde doctrinam charitatis et fidei, ex qua pugnatur contra mala et falsa, ac dissipantur illa, constat ex significazione “sedentis super equo albo,” quod sit Verbum (de qua mox supra); et ex significazione “arcus,” quod sit doctrina charitatis et fidei, ex qua pugnatur contra mala et falsa, ac dissipantur illa. Quod per “arcum” significetur doctrina illa, videbitur in sequentibus; hic primum dicetur aliquid de Doctrina:—

- (i.) *Quod nemo possit intelligere Verbum absque doctrina.*
- (ii.) *Quod nemo possit pugnare contra mala et falsa, et dissipare illa, absque doctrina ex Verbo.*
- (iii.) *Quod nemo possit absque doctrina ex Verbo intra ecclesiam, ubi Verbum est, fieri spiritualis.*
- (iv.) *Quod doctrina non possit aliunde comparari quam ex Verbo, et non ab aliis quam qui in illustratione sunt a Domino.*
- (v.) *Quod omnia doctrinae confirmanda sint per sensum litterae Verbi.*

Quod primum attinet, nempe, *Quod nemo possit intelligere Verbum absque doctrina*, constare potest ex eo, quod sensus litterae ejus sit ex meritis correspondentiis, quae in se continent spiritualia, ita ex talibus quae sunt in mundo et ejus natura. Inde est quod sensus litterae sit naturalis et non spiritualis, accommodatus tamen captui simplicium, qui ideas suas non supra talia quae vident ante oculos, elevant. Inde est quod talia etiam contineat quae non apparent spiritualia, tametsi totum Verbum intus in se est pure spirituale, quia est Divinum; quapropter plura in sensu litterae sunt quae non inservire possunt pro aliqua doctrina ecclesiae hodie, et plura quae applicari possunt variis et diversis principiis, unde haereses; sed usque plura intermixta sunt ex quibus colligi et formari potest doctrina, imprimis doctrina vitae, quae est doctrina charitatis et inde fidei. At qui legit Verbum ex doctrina, is videt ibi omnia quae confirmant, et quoque plura quae latent coram oculis aliorum; nec patitur se abstrahi in aliena ab illis ibi quae non apparent concordare, et quae non intelligit, nam ei in claro sunt omnia doctrinae quae ibi videt, et reliqua ei sunt in obscuro: quapropter est doctrina, quae consistit ex genu-

inis veris, legentibus Verbum sicut lucerna ; et vicissim est Verbum illis qui absque doctrina id legunt, sicut candelabrum absque lumine possum in obscuro loco, per quod ibi nihil videri, sciri, inquiri et inveniri potest, quod saluti conducit, praeter quod abduci possint in quoscunque errores, in quos mens ex aliquo amore inclinat, aut ex aliquo principio trahitur. Inde constare potest quod nemo possit intelligere Verbum absque doctrina.

Secundo, *Quod nemo possit pugnare contra mala et falsa, et dissipare illa, absque doctrina ex Verbo*, constare potest ex eo, quod ex doctrina videri possint vera in sua luce et in suo ordine, non autem ex Verbo absque doctrina, quod patet ex mox antecedentibus ; et si non possunt videri vera, nec possunt videri falsa et mala, sunt enim haec opposita illis : et tamen omnis pugna contra mala et falsa est ex veris, hoc est per vera a Domino ; quapropter qui legit Verbum absque doctrina, facile pugnare potest pro falso contra verum et pro malo contra bonum, confirmando illa per sinistram interpretationem et applicationem sensus litterae Verbi ; inde sequitur quod homo non reformatur, reformatur enim per dissipationem malorum et inde falsorum per vera applicata vitae. Hoc nunc est quod intelligitur per quod "visus equus albus, et sedens super illo habens arcum," per "equum album" enim significatur intellectus veri ex Verbo, et per "arcum" significatur doctrina charitatis et inde fidei, ex qua pugnatur contra mala et falsa, ac dissipantur illa.

Tertio, *Quod nemo possit absque doctrina e Verbo intra ecclesiam, ubi Verbum est, fieri spiritualis*, constare potest ex illis quae nunc dicta sunt, quod nempe Verbum absque doctrina non intelligatur, et quod absque doctrina ex Verbo non possit pugnari contra mala et falsa ; homo enim spiritualis fit per vitam secundum Divina vera, quae non scit absque doctrina, et per remotionem malorum et falsorum, quae nec fit absque doctrina, ut supra dictum est ; et absque duabus illis homo non reformatur, ita non fit spiritualis, sed manet naturalis, et confirmat vitam suam naturalem per sensum litterae Verbi, qui est naturalis, sinistre interpretando et applicando illum. *Intra ecclesiam, ubi Verbum, dicitur, quia illi qui extra ecclesiam sunt non habent Verbum, et inde nihil sciunt de Domino, et nemo spiritualis*

fit nisi a Domino ; sed usque omnes illi qui Deum agnoscent et colunt sub forma Humana, et vivunt in charitate secundum religiosum concordans cum Verbo, ad spiritualem vitam recipiendam praeparantur a Domino, quam etiam recipiunt in altera vita (de qua re videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 318-328; et supra, n. 107, 195[a]). Homo spiritualis fit per regenerationem ; et regeneratio fit per "aquam et spiritum," hoc est, per vera et per vitam secundum illa (videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 173-186: quod Baptismus in Christiano orbe sit in signum et in memoriale ejus, n. 202-209 ibi).

Quarto, *Quod doctrina non aliunde possit comparari quam ex Verbo, et quod non ab aliis quam qui in illustratione sunt a Domino, constare potest ex eo*, quod Verbum sit ipsum Divinum Verum, et tale ut in illo sit Dominus ; est enim Dominus in suo Divino Vero quod procedit ab Ipso : quare qui aliunde faciunt doctrinam quam ex Verbo, non faciunt ex Divino Vero, nec ex Domino. Praeterea in singulis Verbi est sensus spiritualis, in quo sensu sunt angeli caeli ; inde est per Verbum conjunctio caeli cum ecclesia ; quare qui aliunde faciunt doctrinam quam ex Verbo, non faciunt illam in coniunctione cum caelo, unde tamen illustratio ; (quod Coniunctio Caeli cum Homine sit per Verbum, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 303-310;) inde patet quod doctrina non aliunde comparanda sit quam ex Verbo, et quod non ab aliis quam qui in illustratione sunt a Domino. In illustratione sunt a Domino, qui amant vera quia vera sunt ; hi, quia faciunt illa, in Domino sunt et Dominus in illis.

Quinto, *Quod omnia doctrinae confirmanda sint per sensum litterarum Verbi*, constare potest ex eo, quod Divinum Verum in sensu litterae sit in suo pleno ; est enim ille sensus ultimus, et in illo est sensus spiritualis ; quare cum doctrina inde confirmata est, est doctrina ecclesiae etiam doctrina caeli, et coniunctio est per correspondentias. Hoc illustretur per hoc solum : quando homo aliquod verum cogitat, et id per sensum litterae confirmat, quod id percipiatur in caelo ; non autem si non confirmat : est enim sensus litterae basis in quam ideae spirituales, quae sunt angelis, desinunt, paene sicut voces sunt basis in quas sensus cogitationis cadit et communicatur alteri : quod ita sit, per multam experientiam e mundo spirituali confirmari potest ; sed non hujus loci est illam hic adducere.

**357[a].** Quod "arcus" significet doctrinam pugnantem, seu doctrinam ex qua pugnatur contra mala et falsa, et quod "sagittae," "jacula" et "tela" significant vera doctrinae quae pugnant, constare potest a sequentibus his locis:—Apud *Sachariam*,

"Exscindam currum ex Ephraimo, et equum ex Hierosolyma, et exscindetur arcus belli, contra loquetur pacem gentibus. .... Revertimini ad munimentum, vinclī spei, .... et tendam Mihi Jehudam, et arcu implebo Ephraimum, et excitabo filios tuos, Zion, .... nam Jehovah super iis apparebit, et exhibit sicut fulgur telum Ipsius, et Dominus Jehovah buccina clanget, et incedet in procellis meridiei" (ix. 10, 12-14):

agitur ibi de vastatione Ecclesiae Judaicae et de instaurazione Ecclesiae apud Gentes: vastatio Ecclesiae Judaicae describitur per "Exscindam currum ex Ephraimo, et equum ex Hierosolyma, et exscindetur arcus belli," per quae significatur quod non verum in doctrina amplius, nec intellectus veri, et inde non pugna et resistentia contra falsum; per "currum" significatur doctrina veri, per "equum" intellectus ejus, per "arcum belli" pugna contra falsum ex doctrina ("arcus belli" dicitur quia intelligitur doctrina pugnans), per "Ephraimum" significatur ecclesia quoad intellectum veri, et per "Hierosolymam" quoad doctrinam: et instauratio Ecclesiae apud Gentes describitur per haec, "Contra loquetur pacem gentibus; revertimini ad munimentum, vinclī spei, et tendam Mihi Jehudam, et arcu implebo Ephraimum, et excitabo filios tuos, Zion," per quae significatur quod ecclesia instauranda sit apud illos qui in bono amoris in Dominum sunt, et inde in veris; per "pacem" significatur id bonum, per "Jehudam" illi qui in illo bono sunt, et per "Ephraimum" illi qui inde in intellectu veri; quare dicitur de Ephraimo quod "arcu implebit illum," hoc est, doctrina veri: illustratio illorum in veris describitur per haec, "Exhibit sicut fulgur telum Ipsius, et Dominus Jehovah buccina clanget, ac incedet in procellis meridici;" "telum" quod "sicut fulgur exhibet" significat verum illustratum, ita verum ex bono amoris; "buccina clanget" significat perceptionem boni manifestam; et "procellae meridici" significant intellectum veri manifestum; "meridies" est lux veri: agitur ibi de Domino, ita quod illa a Domino. Apud *Mosen*,

"Filius fecundae Josephus, filius fecundae juxta fontem; filiae, incedit super murum; exacerbabunt eum, et jaculabuntur, et odio habebunt

eum sagittarii ; et sedebit in firme arcus sui, et roborabuntur brachia manuum ejus a manibus fortis Jacobi ; inde Pastor Lapis Israelis" (*Gen. xl ix. 22-25*) :

per "Josephum" in supremo sensu significatur Dominus quoad regnum spirituale. Sunt duo regna caeli; unum vocatur regnum caeleste, et alterum regnum spirituale ; regnum caeleste describitur in propheticō illo de Jehuda, et regnum spirituale in hoc de Josepho. Illi qui in regno caelesti Domini sunt, in bono amoris in Ipsum sunt, quod vocatur bonum caeleste ; et illi qui [in] regno spirituali Domini sunt, in bono amoris erga proximum sunt, et inde in veris ; et quia a Domino per regnum spirituale procedunt omnia vera, inde est quod Josephus dicatur "filius secundae, filius secundae juxta fontem ;" per "secundam" significatur bonum spirituale, quod est bonum charitatis, per "filium" significatur verum ex illo bono, et per "fontem" significatur Verbum : pugna contra mala et falsa describitur per quod "filiae exacerbabunt eum, et jaculabuntur, et odio habebunt eum sagittarii ;" "filiae" significant illos qui in malis sunt et per falsa destruere volunt bona, illi qui per mala aggrediuntur significantur per "jaculabuntur," et qui per falsa mali per "sagittarios qui odio habebunt eum :" victoria super eos a Domino, describitur per haec, "Et sedebit in firme arcus sui, et roborabuntur brachia manuum ejus a manibus fortis Jacobi, inde Pastor Lapis Israelis," per "sedere in firme arcus" significatur in doctrina genuini veri, et per "roborabuntur brachia manuum ejus a manibus fortis Jacobi" significatur potentia illis a Domino ; "brachia manuum" sunt potentia, et "fortis Jacobi" est Dominus ; qui etiam "Pastor Lapis Israelis" vocatur ex doctrina charitatis et inde fidei quae ab Ipso. (Quod "Josephus" in supremo sensu significet Dominum quoad Divinum spirituale, et in sensu interno regnum spirituale Ipsius, videatur n. 3969, 3971, 4669, 6417 ; et quid praeterea, n. 4286, 4592, 4963, 5086, 5087, 5106, 5249, 5307, 5869, 5877, 6224, 6526.)

[b.] In *Libro Secundo Samuelis*,

"Lamentatus est David . . . super Saule et super Jonathane filio ejus, et inscripsit, Ad docendum filios Iudeae arcum" (i. 17, 18) :

agitur in lamentatione illa de pugna veri ex bono contra falsum ex malo ; per "Saulem" enim ut regem ibi significatur verum ex bono, nam id verum in Verbo intelligitur per "regem" (videatur supra, n. 31), et per "Jonathanem" ut

filium regis significatur verum doctrinæ; quare inscripsit lamentationem, "Ad docendum filios Jehudæ arcum," per quod significatur ad docendum illos doctrinam veri quod ex bono. Pugna illius veri contra falsa et mala describitur in lamentatione illa per haec verba,

"Sine sanguine confessorum, sine adipe fortium, arcus Jonathanis non recessit retrorsum, et gladius Saulis non rediit inaniter" (vers. 22, ibi):

"sanguis confessorum" significat falsa viæta et dissipata, "adeps fortium" significat mala similiter; quod haec viæta et dissipata sint per doctrinam veri quod ex bono, significatur per quod "arcus Jonathanis non recessit retrorsum, et gladius Saulis non rediit inaniter;" "arcus Jonathanis" est doctrina, et "gladius Saulis" est verum ex bono. Apud *Davidem*,

"Deus....docet manus meas bellum, et ponit arcum aeneum brachiis meis" (Ps. xviii. [33,] 35 [B. A. 32, 34]):

per "bellum" ibi significatur bellum in spirituali sensu, quod est contra mala et falsa; hoc bellum "docet Deus:" et per "arcum aeneum" significatur doctrina charitatis; hanc "Deus ponit brachiis," hoc est, dat ut valeat. Apud *Esaiam*,

"Quis excitavit ab oriente, quem in justitia vocavit ad sequelam sui, dedit coram Ipso gentes, et regibus dominari fecit, dedit sicut pulverem gladio suo, et sicut stipulam impulsam arcu suo?" (xli. 2:)

haec de Domino, et de Ipsius dominio super mala et falsa, dicta sunt; per "gentes" quas dedit coram Ipso significantur mala, et per "reges" quibus dominari fecit significantur falsa; quod haec et illa per Divinum suum Verum et per doctrinam inde sicut nihili dissipet, significatur per "Dedit sicut pulverem gladio suo, et sicut stipulam impulsam arcu suo;" "gladius suus" est Divinum Verum, et "arcus suus" est Doctrina; quod mala et falsa dispergantur sicut nihili, significatur per "sicut pulverem, et sicut stipulam impulsam:" dicitur quod mala et falsa ita dispergantur, ac intelligitur quod ita illi qui in malis et inde falsis sunt in altera vita. Apud *Sachariam*,

"Visitabit Jehovah [Zebaeth] gregem suum, domum Jehudæ, et ponet eos sicut equum gloriae suae in bello; ex illo angularis, ex illo clavus, ex illo arcus belli" (x. 3, 4):

hoc explicatum videatur in articulo mox praecedente, ubi

agitur de significatione "equi;" per "arcum belli" significatur verum pugnans ex doctrina. Apud *Habakuk*,

"Num fluiis succensuit Jehovah? num contra fluvios ira tua? num contra mare excandescientia tua? quod equites super equis tuis, currus tui salus, denudatione denudabitur arcus tuus" (iii, 8, 9):

etiam hoc explicatum est in articulo praecedente; per "denudabitur arcus tuus" significatur quod aperietur doctrina veri. Apud *Esaiam*,

"Coram gladiis vagabuntur, coram gladio extenso et coram arcu tenso; et propter gravitatem belli... consumetur omnis gloria Kedaris, et reliquiae numeri arcus fortium filiorum Kedaris paucae erunt" (xxi. 15-17):

agitur ibi in sensu spirituali de cognitionibus boni, quod periturae sint, et quod paucae remansurae; per "Kedarem" seu Arabiam significantur illi qui in cognitionibus boni sunt, et abstracte ipsae illae cognitiones; quod cognitiones veri periturae per falsa et per doctrinam falsi, significatur per quod "coram gladiis vagabuntur, coram gladio extenso et coram arcu tenso;" "gladius" est falsum pugnans et destruens, et "arcus" est doctrina falsi: quod cognitiones boni periturae sint, significatur per haec, "propter gravitatem belli... consumetur omnis gloria Kedaris;" "gravitas belli" est impugnatio, et "consumetur omnis gloria Kedaris" est vastatio: et quod paucae cognitiones remansurae sint, describitur per quod "reliquiae numeri arcus fortium filiorum Kedaris paucae erunt;" "arcus fortium" est doctrina veri ex cognitionibus quae valent contra falsa. Apud eundem,

"Posuit os meum sicut gladium acutum,... et posuit Me in telum expurgatum, in pharetra sua occultavit Me" (<sup>[1]</sup>xlix. 2):

agitur etiam ibi de Domino; et per "gladium acutum" significatur verum dispergens falsum, per "telum expurgatum" significatur verum dispergens malum, et per "pharetram" significatur Verbum; inde patet quid significatur per "posuit os meum sicut gladium acutum,... et posuit Me in telum expurgatum, et in pharetra sua occultavit Me," quod nempe in Ipso et ex Ipso sit Divinum Verum per quod disperguntur falsa et mala, et quod in Ipso et ex Ipso sit Verbum ubi et unde illa vera. Apud *Davidem*,

"Ecce hereditas Jehovah filii, merces fructus ventris; sicut tela in manu potentis, sic filii pueritiae: beatus vir qui implevit pharetram suam

ex illis, non pudefient cum loquentur cum hostibus in porta" (Ps. cxxvii. 3-5):

per "filios" qui hereditas Jehovae significantur vera per quae intelligentia; per "fructus ventris" qui merces significantur bona per quae felicitas; per "filios pueritiae" qui sicut tela in manu potentis significantur vera boni innocentiae: quia illis veris non aliquod malum et falsum resistere potest, ideo dicitur quod "sint sicut tela in manu potentis:" bonum innocentiae est bonum amoris in Dominum; quia illa vera talis potentiae sunt, ideo dicitur, "Beatus vir qui implevit pharetram ex illis;" per "pharetram" hic simile significatur quod per "arcum," nempe doctrina ex Verbo; "non pudefient cum loquentur cum hostibus in porta," significat quod nihil timoris erit pro malis ex infernis; "hostes" sunt mala, et "porta" est infernum (videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 428, 429, 583-585). Apud eundem,

"Filii Ephraimi, qui armati, jaculatores arcus, averterunt se in die proelii; non servarunt foedus Dei" (Ps. lxxviii. 9[10]):

per "Ephraimum" hic ut supra significatur intellectus veri, et per "filios" ejus ipsa vera; quare etiam vocantur "jaculatores arcus," hoc est, pugnatores contra mala et falsa: hic quod non illis restiterint, quia non conjuncti Domino, significatur per quod "averterint se in die proelii, quia non servarunt foedus Dei;" "foedus" est conjunctio, et "non servare illud" est non vivere secundum vera et bona quae conjungunt.

[c.] Ex allatis locis constare potest quod per "arcum" significetur doctrina veri pugnans contra falsa et mala ac dissipans illa; quod id per "arcum" significetur, constare adhuc potest ex sensu opposito ejus, in quo "arcus" significat doctrinam falsi pugnantem contra vera et bona ac destruentem illa, et per "tela" ac "sagittas" ipsa falsa ejus: in hoc sensu dicitur "arcus" in sequentibus his locis:—Apud Davidem,

"Ecce impii tendunt arcum, praeparent telum suum super nervo ad jaculandum in tenebris rectos corde" (Ps. xi. 2):

quod "impii tendant arcum," significat quod effingant doctrinam; quod "praeparent telum super nervo," significat quod inapplicent ei falsa apparentia sicut vera; "ad jaculandum in tenebris rectos corde," significat ad fallendum illos qui

in veris ex bono sunt : "arcus" ibi est doctrina falsi, "telum" est ipsum falsum, "jaculari" est fallere, ac "tenebrae" sunt apparentiae ; ratiocinantur enim ex apparentiis in mundo et ex fallaciis, applicando etiam sensum litterae Verbi. Apud eundem,

"Gladium nudant impii, et tendunt arcum suum ad dejiciendum miserum et egenum : . . . gladius eorum intrabit in cor eorum, et arcus eorum frangentur" (Ps. xxxvii. 14, 15) :

per "gladium" significatur falsum pugnans contra verum, et per "arcum" significatur doctrina falsi ; "ad dejiciendum miserum et egenum" significat ad pervertendum illos qui in ignorantia veri et boni sunt ; "gladius eorum intrabit in cor eorum" significat quod perituri sint ex suo falso ; et "arcus eorum frangentur" significat quod doctrina falsi eorum dissipabitur, quod etiam fit post excessum eorum e mundo ; tunc falsa perdunt eos, et doctrina quantum ad vera applicata falsis dissipatur. Apud eundem,

"Qui acuunt sicut gladium linguam suam, tendunt telum suum verbo amaro, ut jaculentur in latibulis <sup>[1]</sup>integrum" (Ps. lxiv. 4, 5 [B. A. 3, 4]) :

quia "gladius" significat falsum pugnans contra verum, ideo dicitur, "Acuunt sicut gladium linguam suam ;" et quia "telum" significat falsum doctrinae, ideo dicitur "tendunt telum suum verbo amaro ;" "jaculari in latibulis integrum" simile significat quod supra "jaculari in tenebris rectos corde," nempe fallere illos qui in veris ex bono sunt. Apud *Jeremiam*,

"Omnes moechantes, conventus perfidorum, qui tendunt linguam suam, arcus eorum mendacium, neque in veritatem praevaluerunt in terra, quia a malo in malum exeunt, nec Me noverunt" (ix. 1, 2 [B. A. 2, 3]) :

per "moechantes, conventum perfidorum," intelliguntur qui falsificant cognitiones veri et boni ; "moechantes" sunt qui falsificant cognitiones veri, et "perfidi" qui cognitiones boni ; de his dicitur quod "tendant linguam," et quod "arcus eorum mendacium ;" "arcus" est doctrina unde principia falsi, et "mendacium" est falsum ; et inde quoque dicitur, "non in veritatem praevaluerunt in terra," hoc est, in ecclesia ubi genuina vera : quod tales sint qui in vita mali sunt, et non agnoscent Dominum, significatur per "quia

a malo in malum exeunt, nec Me noverunt." Apud *Jeremiam*,

"Ecce Ego... ascendere faciens contra Babelem congregationem gentium magnarum e terra septentrionis;.... tela ejus sicut fortis, non revertetur ullum vanum:.... disponite contra Babelem circumcirca, omnes tendentes arcum, jaculamini contra eam, nec parcite telis:.... audiri facite contra Babelem jaculatores, omnes tendentes arcum castrametamini contra eam circumcirca, ne sit illi evasio" (l. 9, 14, 29, 42; cap. li. 3):

per haec describitur totalis devastatio veri apud illos qui per "Babelem" intelliguntur, qui sunt qui Divinam potestatem sibi arrogant, et quidem Dominum agnoscent sed deprivant Illum omni potentia salvandi, et qui inde profanant Divina vera; et quia quam maxime providetur a Domino ne genuina vera profanentur, ideo illa prorsus iis auferuntur, et loco eorum imbuuntur meris falsis: per "congregationem gentium magnarum e terra septentrionis" significantur dira mala assurgentia ex inferno; "gentes magnae" sunt dira mala, et "terra septentrionis" est infernum ubi nihil nisi falsum: per "tela ejus sicut fortis, non revertetur ullum vanum," significantur quod inde imbuentur meris falsis; per "disponite contra Babelem circumcirca, omnes tendentes arcum, jaculamini contra eam, nec parcite telis," significantur quod similiter quoad omnia doctrinalia; totalis devastatio veri apud illos, significantur per "omnes tendentes arcum, castrametamini contra eam circumcirca, ne sit illi evasio." Apud *Esaiam*,

"Ego excitans contra eos Medium, qui argentum non aestimabunt, et auro non delectabuntur, quorum arcus juvenes allident, et fructus ventris non miserebuntur;.... sic erit Babel,.... sicut eversio Dei, Sodoma et Gomorrah" (xiii. 17-19):

etiam haec de Babele, et de devastatione omnium ecclesiae apud illos qui per "Babelem" intelliguntur, de quibus mox supra: per "Medium" significantur qui nihili faciunt vera et bona caeli et ecclesiae; quare de illis dicitur, "qui argentum non aestimabunt, et auro non delectabuntur;" "argentum" significat verum, et "aurum" bonum, utrumque ecclesiae: per "illorum arcus qui juvenes allident, et fructus ventris non miserebuntur," significantur doctrinalia quae destruunt omne verum et omne bonum inde; "juvenes" significant vera, et "fructus ventris" bona: et quia omne malum illis est ex amore sui, et omne falsum est ex illo

malo, et quia id malum et inde id falsum est damnatum ad infernum, ideo dicitur, “sic erit Babel, sicut eversio Dei, Sodoma et Gomorrha;” “eversio Dei” significat damnationem ad infernum, ac “Sodoma et Gomorrha” significant mala ex amore sui et inde falsa (quod haec per “Sodomam et Gomorram” significantur, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. [1]2220, 2246, 2322). Apud eundem,

“In die illo omnis locus in quo fuerunt mille vites pro mille argenti erit in senticetum et vepratum: cum telo et cum arcu veniet eo, quia senticetum et vepratum tota terra” (vii. 23, 24):

ecclesia vastata quoad omne verum et bonum ita describitur: ecclesia qualis fuerat prius, quod nempe ibi genuina vera, quae sunt vera ex bono, fuerint in abundantia, per quod “ubi fuerunt mille vites pro mille argenti;” “mille vites” sunt vera ex bono in abundantia, “mille argenti” sunt aestimatissima quia sunt genuina (“argentum” est verum, et “mille” sunt multa, ita in abundantia): qualis autem facta est ecclesia cum vastata quoad omne verum et bonum, describitur per haec, “cum telo et cum arcu veniet eo, quia senticetum et vepratum tota terra;” “telum” est falsum destruens verum, et “arcus” est doctrina falsi; “senticetum” significant falsum ex malo, et “vepratum” malum ex falso, “terra” est ecclesia. Apud *Jeremiam*,

“Ecce populus veniens e terra septentrionis, et gens magna excitabitur a lateribus terrae; arcum et hastam prehendunt, crudelis illa, non miserantur; vox eorum sicut mare resonat, et super equis equitant; paratus ut vir ad bellum, contra te, filia Zionis” (vi. 22, 23):

describitur etiam hic devastatio ecclesiae per falsa mali; quid significant “populus e terra septentrionis,” et “gens magna a lateribus terrae,” tum quid significant quod “vox eorum sicut mare resonet,” et quod “super equis equitant” explicatum est in mox praecedente articulo; quod “arcum et hastam prehendant” significant [<sup>[2]</sup>] quod pugnant ex doctrinali falso; “arcus” significant] falsum doctrinae destruens verum, et “hasta” falsum mali destruens bonum, “filia Zionis” est ecclesia. Apud eundem,

“Vastitas tota terra,....prae voce equitis et sagittariorum fugit tota urbs; intrarunt nubes, in petras ascenderunt, tota urbs deserta, nec habitans in ea” (iv. 27, 29):

etiam hoc explicatum videatur in mox praecedente articulo; “vox equitis et sagittariorum” significant ratiocinationes

ex falsis et impugnationes veri, "sagittarii" seu arcum tenentes sunt qui impugnant vera ex falsis doctrinae: inde dicitur "fugit tota urbs," et "tota urbs deserta;" "urbs" significat doctrinam ecclesiae. Apud *Esaiam*,

Jehovah "sustulit signum gentibus e longinquu,....et ecce cito velox veniet,....<sup>[1]</sup>cujus tela acuta, et omnes arcus ejus tensi; unguiae equorum ejus sicut rupes reputantur, et rotae ejus sicut procella" (v. 26, 28):

per "tela ejus acuta," et per "arcus ejus tensos" significantur falsa doctrinae parata ad destruendum vera: quid significatur per "gentes e longinquu," per "ungulas equorum" quae sicut rupes reputantur, et per "rotas" quae sicut procella, videatur in mox superiori articulo, ubi explicata sunt.

Apud *Amos*,

"Non tenens arcum consistet, neque celer pedibus suis eripiet se, neque equitans equo eripiet animam suam, sed fortis corde suo inter heroes fugiet nudus in die illo" (ii. 14-16):

hic describitur propria intelligentia, et inde fiducia ex eo quod possit ratiocinari ex falsis contra vera; per "tenens arcum non consistet, et celer pedibus non eripiet se," significatur quod qui scit alacriter et solerter ratiocinari ex doctrina et ex memoria quae naturalis hominis, nihil possit consulere saluti sua, et consistere die judicii; simile significatur per "equitans equo non eripiet animam suam;" per "fortem corde qui fugiet [nudus] in die illo," significatur quod qui fideliter sibi ex eo quod ratiocinari possit ex falsis, deprivatus erit omni vero tunc; per "fortem corde" intelligitur qui sibi ex eo fideliter, et per "nudum" significatur deprivatus omni vero.

[d.] Apud *Davidem*,

"Deus Judex justus, Deus irascens tota die; si non reversus fuerit malus, "gladium suum acuit, arcum suum tetendit, et direxit eum, et praeparavit sibi vasa mortis, tela sua ardentia facit" (Ps. vii. 12-14 [B. A. 11-13]):

tribuitur hic Deo quod irascatur malo, quod gladium suum acuat, arcum suum tendat et dirigat, praeparet vasa mortis, et tela sua ardentia faciat, sed intelligitur in sensu spirituali quod homo ita faciat sibi; tribuuntur illa Deo in sensu litterae, quia is sensus est naturalis, et pro naturali homine, qui credit quod timendus sit Deus propterea, ac timor apud illum operatur quod amor postea cum fit spiritualis; inde

patet quid hic per illa verba significatur, quod nempe malus irascatur Deo, gladium sibi acuat, arcum tendat et dirigat eum, praeparet vasa mortis, et tela sua ardentia faciat; per quod "acuat gladium" significatur quod comparet sibi falsum per quod pugnet contra vera; per quod "arcum tendat et dirigat eum," significatur quod ex falsis faciat sibi doctrinam contra vera; et per quod "praeparet vasa mortis, et tela sua ardentia faciat," significatur quod principia falsi sibi faciat ex amore infernali per quae destruat bonum et ejus vera. In *Threnis*,

Dominus "tetendit arcum suum sicut hostis, constitut dextra Ejus sicut inimicus, occidit omnia desiderabilia oculorum" (ii. 4):

hic quoque tribuuntur Domino similia ex simili causa de qua nunc supra; quod "tendat arcum suum sicut hostis, et consistat dextra Ejus sicut inimicus," significat quod homo malus id sibi faciat, nempe quod defendat malum contra bonum et falsum contra verum ejus ex doctrina quam sibi finxit ex propria intelligentia et confirmavit per sensum litterae Verbi; nam in *Threnis* agitur de vastatione omnis boni et omnis veri apud gentem Judaicam propter applicationem sensus litterae Verbi ad favorem suorum amorum; "arcus" ibi est doctrina falsi inde, "hostis" est malum, et "inimicus" est falsum; quod inde perierit omnis intellectus veri et boni, significatur per quod "Dominus occiderit omnia desiderabilia oculorum;" "desiderabilia oculorum" sunt omnia quae sunt intelligentiae et sapientiae. Apud *Mosen*,

"Ignis accensus est in ira mea, . . . et comedet terram et proventum ejus, et inflammabit fundamenta montium; evacuabo super illis mala, sagittas meas consumam in iis" (*Deutr. xxxii. 22, 23*):

haec in Canticō Mosis, in quo agitur de gente Israelitica et Judaica, et describitur quales sunt corde suo, quod nempe apud illos nihil ecclesiae, quia mere falsum ex malo; per "terram et proventum ejus" quae comedentur, significatur ecclesia ac omne verum et bonum ejus, per "terram" ecclesia, et per "proventum" omne verum et bonum ejus; per "fundamenta montium" quae inflammabuntur, significantur vera super quibus fundantur bona amoris, in specie vera sensus litterae Verbi, quoniam illa sunt fundamenta; per "mala" quae super iis evacuabuntur, et per "sagittas" quae consumentur super iis, significatur quod imbuentur

omnibus malis et falsis. (Qualis gens illa a principio fuerat, et quoque hodie est, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 248.) In *Libro Primo Samuelis*,

"Arcus fortium fracti sunt; et qui impulsi erant robur circumcinixerunt" (ii. 4):

propheticum Channae, matris Samuelis, in quo agitur de deprivatione veri apud illos qui ab ecclesia, quia in nulla affectione veri spirituali, ac de receptione et illustratione illorum qui extra ecclesiam quia in affectione veri spirituali; doctrinac falsorum quae illis qui ab ecclesia quod nihil sint, significatur per quod "arcus fortium fracti sint;" et receptio ac illustratio illorum qui extra ecclesiam, significatur per "qui impulsi erant robur circumcinixerunt;" "impulsi dicuntur qui a falsis ignorantiae pressi, et "robur" dicitur de potentia et abundantia veri ex bono. Apud *Jeremiam*,

"Ecce Ego frangens arcum Elami, principium potentiae ejus" (xlix. 35):

per "Elamum" intelligitur scientia quae naturalis hominis, et inde fiducia; per "arcum" ejus significatur scientia ex qua ut ex doctrina pugnat, et per "principium potentiae ejus" significatur fiducia; scientia enim nihil valet si non inservit rationali et spirituali homini. Quod per "Elamum" intelligatur scientia quae naturalis hominis, constare potest ex locis in Verbo ubi nominatur

(Ut *Genes.* x. 22: *Esai.* xxi. 2: *Jerem.* xxv. 24-26; cap. xlix. 34-39: *Ezech.* xxii. 24, 25).

*Apud Davidem,*

Jehovah "cessare facit bella usque ad extremitatem terrae, arcum frangit, et amputat hastam, currus comburit igne" (Ps. xlvi. 10 [B. A. 9]):

quia per "bella" significantur pugnae spirituales, quae hic sunt falsi contra verum et contra bonum quae ecclesiae, inde patet quid significatur per quod Jehovah "cessare faciet bella usque ad extremitatem terrae," nempe quod omnem pugnam et omne dissidium a primis ad ultima veri ecclesiae; "extremitas terrae" significat ultima ejus: quod non erit pugna doctrinæ contra doctrinam, significatur per quod "franget arcum;" quod non erit pugna ex aliquo falso mali, significatur per quod "amputabit hastam;" et quod destruetur omne doctrinæ falsi, per quod "currus comburet igne." Apud eundem,

"Est in Schalem tabernaculum" Jehovae, "et habitaculum Ipsius in Zione; ibi fregit nervos arcus, scutum et gladium et bellum" (Ps. lxxvi. 3, 4 [B. A. 2, 3]):

similiter hic de cessatione omnis pugnae et omnis discidii in regno Domini agitur; per "Schalem" ubi tabernaculum Jehovae, et per "Zionem" ubi habitaculum Ipsius, significatur regnum spirituale et regnum caeleste Ipsius, per "Schalem" regnum spirituale ubi genuinum verum, et per "Zionem" regnum caeleste ubi genuinum bonum; et per quod "franget nervos arcus, scutum, gladium et bellum," significatur dissipatio omnis pugnae falsorum doctrinæ contra bonum et verum; "nervi arcus" sunt principalia doctrinæ. Apud *Hoscheam*,

"Feriam illis foedus in die illo cum bestia agri, et cum ave caelorum, et cum reptili terræ, et arcum et gladium et bellum frangam de terra, et cubare faciam eos secure" (ii. 18):

agitur ibi de adventu Domini, et tunc de coniunctione Ipsius cum omnibus qui in veris ex bono sunt; per "foedus cum bestia agri, cum ave caelorum et cum reptili terræ," significatur coniunctionis cum affectione boni eorum, cum affectione veri, et cum affectione cognitionum veri et boni quae ecclesiae; "bestia" enim "agri" significat affectionem boni, "avis caelorum" affectionem veri, et "reptile terræ" affectionem cognitionum veri et boni; quod non aliqua bestia ac avis ac reptile terræ hic intelligatur, nullus non videt; num aliquod foedus cum illis? Quod ex coniunctione cum Domino non aliqua pugna exstitura sit falsi contra verum, significatur per quod "Arcum et gladium et bellum frangam de terra;" "arcus" ibi est doctrina, "gladius" est falsum, et "bellum" est pugna. Apud *Ezechielem*,

"Hic dies de quo locutus sum; tunc exhibunt habitatores urbium Israelis, et incident comburentque arma, et scutum, et clipeum, cum arcu et cum telis, et cum baculo manus, et cum hasta, et accident illis ignem septem annis" (xxxix. 8, 9):

agitur ibi de Gogo, per quem intelliguntur qui in externo cultu sunt et in nullo interno; hi quia contra affectionem veri spiritualem sunt, quae est amare vera quia vera sunt, et inde sunt in falsis quoad doctrinam et in malis quoad vitam, nemo enim reformari potest, hoc est, et a falsis et a malis abduci, nisi per vera; inde est quod dicatur quod "exhibunt habitatores urbium Israelis, et comburent arma et scutum et

clipeum cum arcu et cum telis, et cum baculo manus et cum hasta ;” per “habitatores urbium Israelis” intelliguntur qui in affectione veri ex bono sunt, hoc est, in affectione veri spirituali et inde in doctrina genuini veri ; per “combure arma” significatur extirpare falsa omnis generis ; per “scutum” falsum destruens bonum ; per “clipeum” falsum destruens verum ; per “arcum cum telis” doctrina cum suis falsis ; per “baculum manus” et “hastam” significatur potentia et confidentia propria, quales sunt illis qui in externo cultu ponunt omne ecclesiae et inde salutis ; quod “accendent illis ignem septem annis” significat quod falsa et mala illa prorsus extinguentur ; “septem anni” significant omnia, plenum et prorsus (videatur supra, n. 257, [n]300).

**358. “Et data est [ei] corona.”**—Quod significet *vitam aeternam quae victoriae praemium*, constat ex significatione “coronae,” cum agitur de pugna spirituali, ut hic, quod sit vita aeterna quae victoriae praemium. Quod hic agatur de pugna spirituali, constat ex antecedentibus et sequentibus ; in antecedentibus dicitur quod “Sedens super equo albo haberet arcum,” et per “arcum” significatur doctrina charitatis et fidei, ex qua pugnatur contra mala et falsa, et dissipantur illa ; et quoque ex sequentibus, in quibus dicitur, “Et exivit vincens et ut vinceret,” per quae significatur victoria super illa ; inde per “coronam” hic significatur vita aeterna quae victoriae praemium. Simile significatur per “coronam” ubi agitur de temptationibus, quoniam temptationes sunt pugnae spirituales, ut in capite secundo hujus Libri, ubi haec :

“Ecce futurum ut conjiciat ex vobis diabolus in custodiam ut tentemini, et habebitis afflictionem diebus decem ; esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae” (vers. 10) :

quod ibi per “coronam” significetur sapientia et felicitas aeterna, videatur supra (n. 126) : sapientia et felicitas aeterna simul sumptae sunt vita aeterna, nam in sapientia et in felicitate aeterna est ipsa vita caeli. Simile significatur per “coronam” martyrum, quoniam illi in afflictione fuerunt et fideles usque ad mortem, et quoque in temptationibus et vicerunt ; etiam illis post mortem datae sunt coronae, sed ne honorem sibi inde arrogarent, et sic attraherent fastum, rejecerunt illas e capite suo. Quia per “bella” in Verbo significantur bella in spirituali sensu, quae sunt pugnae

contra mala et falsa, et per "reges" significantur vera ex bono quae contra illa pugnant, inde antiquis temporibus, quando in scientia correspondentiarum et repraesentationum fuerunt, reges in proeliis habebant coronam super capite et armillam super brachio; ut constare potest ex *Libro Secundo Samuelis*,

Puer filius Amalekitae, qui nuntiavit Davidi quod mortuus esset Saul et Jonathan, dixit, "Veni in montem Gilboae, cum ecce Saul niteretur in hastam suam, ac currus et duces persequerentur illum;.... et dixit ad me, Veni et occide me;.... et steti contra eum et occidi illum;.... et accepi coronam quae super capite ejus, et armillam quae super brachio, et adduco ea" ad te (i. 6, 8-10).

Corona in proeliis tunc fuit insigne pugnae, et armilla super brachio fuit insigne potentiae, utriusque contra mala et falsa; hae etiam pugnae per "proelia" ubivis in Verbo, etiam *Historico*, significantur. (Quod "armilla super brachio" significet potentiam veri ex bono, videatur n. 3105. Quid porro "coronae regum," et "coronae" in genere, significant, videatur [supra] n. 272.)

**359. "Et exivit vincens et ut vinceret."**—Quod significet remotionem malorum et inde falsorum in fine vitae, et postea in aeternum, constat ex significatione "vincere" in Verbo, quod sit spiritualiter vincere, quod est subjugare mala et falsa; sed haec quia non aliter vincuntur quam quod removentur a Domino, inde per "vincere" significatur remotio malorum et falsorum. (Quod mala et falsa removeantur et non abstergantur, seu quod homo detineatur ab illis et teneatur in bono et vero a Domino, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 166; et in *Arcanis Caelestibus*, n. 865, 868, 887, 894, 929, 1581, 2116, 2406, 4564, 8206, 8393, 8988, 9014, 9333-9338, 9446-9448, 9451, 10057, <sup>[1]</sup>10060.) Dicitur "Exivit vincens et ut vinceret," et per "exivit vincens" significatur remotio malorum et inde falsorum ad finem vitae, et per "ut vinceret" significatur et postea in aeternum; nam qui pugnat contra mala et falsa, et vincit illa in mundo usque ad finem vitae, is vincit illa in aeternum; homo enim qualis est ex anteacta vita in fine vitae suae, talis permanet in aeternum. Quod "vincere" significet spiritualiter vincere, est quia Verbum in sinu suo est spirituale, seu in sinu suo agit de spiritualibus, et non de terrestribus; terrestria, quae in sensu litterae ejus sunt, modo inserviunt sensui spirituali ejus pro basi, in quam spiritualia desinunt, et in qua sunt. Simile significatur per "vincere" in sequentibus his locis:—In *Apocalypsi*,

- “Vincenti dabo edere de arbore vitae quae in medio paradisi Dei”  
(ii. 7);
- “Vincens non laedetur a morte secunda” (ii. 11);
- “Vincens et custodiens opera mea usque ad finem, dabo illi potestatem super gentes” (ii. 26);
- “Vincens, faciam illum columnam in templo Dei” (iii. [1]12);
- “Vincens, dabo ei sedere Mecum in throno meo” (iii. 21);
- “Vicerunt” draconem “per sanguinem Agni, et per Verbum testimonii” (xii. 11);
- “Vincens possidebit omnia, et ero illi Deus, et ille erit Mihi filius” (xxi. 7).

**Et apud Johannem,**

Jesus ad discipulos, “Haec locutus sum vobis ut in Me pacem habeatis; in mundo afflictionem habetis, sed confidite, Ego vici mundum” (xvi. 33):

per quod Dominus “vicerit mundum,” intelligitur quod subjugaverit omnia inferna, nam “mundus” ibi significat omnia mala et falsa quae ab inferno

(Ut quoque apud Johannem, cap. viii. 23; cap. xii. 31; cap. xiv. 17, 19, 30; cap. xv. 18, 19; cap. xvi. 8, 11; cap. xvii. 9, 14, 16).

Simile per “vincere,” ubi de Domino, significatur apud Esaiam,

“Quis hic qui venit ex Edom, conspersus vestes ex Bozra?.... Torcular calcavi solus, et de populis non vir Mecum: propterea calcavi illos in ira mea, et conculcavi eos in excandescentia mea; unde sparsa est victoria eorum super vestes meas, et omne vestimentum meum pollui;....at descendere feci in terram victoriam eorum” (lxiii. [2]1, 3, 6):

agitur ibi de Domino, et de pugnis Ipsius contra inferna, ac de subjugatione eorum; Ipse quoad Divinum Humanum suum intelligitur ibi per “Edom,” qui “conspersus vestes ex Bozra;” et per “vestes Ipsius” significatur Verbum in littera; “vestes” enim significant vera investientia, et cum de Domino, significant Divina vera, proinde Verbum, quoniam ibi sunt omnia Divina vera (videatur supra, n. 195[4]). Verbum in sensu litterae hic etiam intelligitur per “vestes,” quia ibi sunt vera investientia, inservit enim sensus litterae pro veste sensui spirituali: et quia Verbum quoad illum sensum a populo Judaico distractum est, et per id Divinum Verum adulteratum, dicitur “Conspersus vestes ex Bozra, ... sparsa est victoria eorum super vestes meas, et omne vestimentum meum pollui;” “vestes ex Bozra” significant ultimum Verbi, quod est sensus litterae ejus; “victoria eorum super vestes meas” significat sinistram interpretationem et applicationem veri ab iis qui trahunt sensum

litterae ad savendum suis amoribus ac principiis inde captis, ut factum est a Judaeis, et quoque hodie fit a pluribus; hoc intelligitur per "victoriam eorum super vestes meas :" "quod Dominus solus pugnaverit, significatur per "Torcular calcavi solus, et de populis non vir Mecum ;" "torcular" significat pugnam ex Divinis veris contra falsa, quia in torcularibus exprimebatur vinum ex uvis, et per "vinum" significatur Divinum Verum ; inde "calcare id solus, et de populis non vir Mecum," significat quod solus absque ullo alicujus auxilio : quod Dominus subjugaverit inferna, significatur per "Calcavi illos in ira mea, et conculcavi illos in excandescenia mea ;" "calcavi" et "conculcavi" dicitur quia de torculari, et significat quod destruxit ; "ira" et "excandescenia" dicitur quia destructi sunt, ac tribuitur in sensu litterae Domino, cum tamen nihil irae et excandesceniae Ipsi est, sed illis qui contra Ipsum ; ex apparentia ita dicitur hic et perpluries alibi : quod subjugati sint et damnati ad infernum, significatur per "descendere feci in terram victoriam eorum ;" "in terram" est in damnationem, ita in infernum. (Quod per "terram" etiam significetur damnatio, videatur supra, n. 304[*g*].)

## VERSUS 3, 4.

**360.** "Et cum aperuisset secundum sigillum, audivi secundum animal dicens, Veni et aspice. Et exivit alius equus rufus ; et sedenti super illo datum ei tollere pacem de terra, ut alii alios [<sup>2</sup>]occident ; et data ei machaera magna."

3. "Et cum aperuisset secundum sigillum," significat manifestationem succedentis status eorum qui ab ecclesia ubi Verbum [n. 361] ; "audivi secundum animal dicens," significat e caelo intimo a Domino [n. 362] ; "Veni et aspice," significat attentionem et perceptionem [n. 363].
4. "Et exivit alius equus rufus," significat intellectum Verbi deperditum quoad bonum [n. 364] ; "et sedenti super illo datum ei tollere pacem de terra," significat Verbum inde non intellectum, unde dissidia in ecclesia [n. 365] ; "ut alii alios [<sup>2</sup>]occident," significat falsificationem et extincionem veritatum [n. 366] ; "et data ei machaera magna," significat per falsa [n. 367].

**361.** [Vers. 3.] "Et cum aperuisset secundum sigillum."—Quod significet manifestationem succedentis status eorum qui ab ecclesia ubi Verbum, constat ex illis quae supra (n. 351, 352) dicta sunt, quod nempe per "aperire sigillum" significetur manifestatio status eorum qui ab ecclesia ; et quia septem sigilla erant, et illa septies aperta, inde significantur successivi status eorum. Sed hi successivi status ecclesiae, qui hic describuntur, non apparent alicui in mundo, sunt

enim successivi status quoad intellectum veri ex Verbo; hos nemo videt quam solus Dominus: et quia omnes qui in caelis sunt, ibi ordinati sunt secundum affectiones boni et veri, et inde quoad perceptionem et intellectum Verbi, et in hoc Libro Prophetico de ultimo judicio super eos qui in priori caelo ac de ordinatione eorum qui in novo caelo traditur, ideo de iis statibus hic agitur; inde enim pendent sequentia.

**362. "Audivi secundum animal dicens."**—Quod significet *e caelo intimo a Domino*, constat ex illis quae supra (n. 353) dicta sunt: per "animalia" enim intelliguntur cherubi, et per "cherubos" significatur in supremo sensu Dominus quoad providentiam, et quoad tutelam ne adeatur nisi quam per bonum amoris, et in sensu respectivo caelum intimum (videatur supra, n. 152, 277, 313[a], 322): quod "cherubi" etiam significant caelum intimum, est quia hoc caelum in bono amoris in Dominum est, et Dominus adiri non potest nisi per caelos, et in caelum intimum seu tertium non admittitur aliquid quod non sapit ex bono illius caeli. Quod quatuor animalia seu cherubi fuerint, est quia "quatuor" significant coniunctionem in unum, et talis illis qui ibi sunt coniunctio est, Dominus enim ita conjungit illos per amorem in Ipsum ab Ipso; inde est quod quatuor visi fuerint. Ex his etiam patet quod hic simile intelligatur per secundum animal quod per primum, et simile per tertium et per quartum in sequentibus. (Quod "quatuor" significant coniunctionem, videatur n. 1686, 8877, [1]9602, 9674.)

**363. "Veni et aspice."**—Quod significet attentionem et perceptionem, constat ex illis quae supra (n. 354) explicata sunt, ubi similia verba.

**364[a].** [Vers. 4.] **"Et exivit aliis equus rufus."**—Quod significet intellectum Verbi deperditum quoad bonum, constat ex significatione "equi," quod sit intellectuale (de qua supra, n. 355); hic quia de statibus eorum qui ab ecclesia ubi Verbum est, agitur, per "equum," significatur intellectuale hominum ecclesiae quoad Verbum: et ex significatione "rubri" seu "rufi," quod sit quale rei quoad bonum, hic itaque quale intellectus Verbi quoad bonum; quod "rufum" hic significet illum deperditum quoad bonum, constare potest ex mox sequentibus in hoc versu, dicitur enim, "Sedenti super illo datum est tollere pacem de terra, ut alii alios occidant, et data ei machaera magna," per quae significatur

quod inde extinctio omnis veri. Quoniam equi, qui Johanni visi sunt, distinguuntur per colores, primus enim apparuit albus, secundus rufus, tertius niger, et quartus pallidus, et "colores" significant quale rei, ideo hic primum aliquid de coloribus dicetur. Apparent in caelis colores omnis generis, et originem trahunt a luce ibi, quae lux quia immensum excedit nitore et splendore lucem mundi, ita quoque colores ibi; et quia lux ibi est ex Sole caeli, qui est Dominus, et est Divinum procedens, et inde illa lux est spiritualis, quare etiam omnes colores significant spiritualia: et quia Divinum procedens est Divinum Bonum unitum Divino Vero, ac Divinum Bonum in caelo sistitur per lucem flammeam ac Divinum Verum per lucem candidam, ideo sunt bini colores qui ibi omnium fundamentales sunt, nempe color ruber et color albus; color ruber originem dicit ex luce flammea quae est ex Divino Bono, et color albus ex luce candida quae est ex Divino Vero; quapropter quantum colores trahunt ex rubro, tantum significant bonum; et quantum ex candido, tantum significant verum. (Sed haec melius constare possunt ex illis quae de coloribus ab experientia in *Arcanis Caelestibus* allata sunt; quod nempe colores pulcherrimi apparent in caelis, n. 1053, 1624; quod colores in caelis sint ex luce ibi, et quod sint ejus modificationes et variegationes, n. 1042, 1043, 1053, 1624, 3993, 4530, 4922, 4742: ita quod sint apparentiae veri et boni, ac significant talia quae sunt intelligentiae et sapientiae, n. 4530, 4922, 4677, 9466: quod ideo lapides pretiosi, qui ex variis coloribus, in Pectorali Ephodi, seu in Urim et Thummim, significaverint omnia veri ex bono in caelo et in ecclesia, et inde quod pectorale illud in genere significaverit Divinum Verum elucens ex Divino Bono, n. 9823, 9865, 9868, 9905; et quod inde responsa data sint per lucis variegationes et exsplendescencias, et simul per tacitam perceptionem, vel per vivam vocem e caelo, n. 3862[9905]: quod colores quantum trahunt ex rubro significant bonum, et quantum ex candido verum, n. [1]9467. De Luce Caeli, unde et quid, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 126-140, 275.) Praeterea sciendum est quod "color ruber" tum significet quale rei quoad bonum, tum quale rei quoad malum; existit enim ille color ex luce flammea, quae lux est ex Sole caeli ibi, ut supra dictum est, et quoque existit ex flammeo in inferno, quod est ex igne ibi, qui ignis est similis igni carbonario: inde rubrum in caelo est prorsus aliud rubrum quam rubrum in inferno; rubrum in caelo est splendidum et vivum, rubrum autem in inferno est tenebris obscurum et mortuum; etiam rubrum caeli vivificat, at rubrum inferni mortificat: causa est quia ignis, ex quo rubrum, est in sua origine amor; ignis caelestis est ex amore caelesti, et ignis infernalis est ex amore infernali; inde est quod "ignis" in Verbo significet amorem in utroque sensu (videatur n. [2]4906, 5071, 5215, 6314, 6832, 7575, 10747; et in opere *De Caelo et Inferno*, n. 134, 566-575);

quapropter "rubrum" inde existens significat quale amoris in utroque sensu: rufum etiam hoc, seu rufum hujus equi, in lingua Graeca originali dicitur ex igne. Ex his, et simul ex descriptione hujus equi in hoc versu, patet unde est quod "equus rufus" significet intellectum Verbi deperditum quoad bonum.

[b.] Quod "equus" significet aliquid rei constare potest manifeste ex eo, quod equi visi sint quando "aperta sunt sigilla," ac dicitur quod "exiverint;" non enim potuerunt equi exire ex libro, sed manifestari illae res quae per "equos" significantur. Quod "equus" significet intellectuale, et "color" quale ejus, ab experientia notissimum mihi factum est; visi enim mihi sunt spiritus aliquoties, qui de aliqua re ex intellectu meditati sunt, quod equitaverint super equis; et cum illos interrogarem num equitaverint, dixerunt quod non, sed quod steterint meditabundi de aliqua re: inde patuit quod equitatio super equo fuerit apparentia repraesentans operationem intellectus eorum. Est quoque locus qui vocatur conventus intelligentium et sapientium, ubi perplures eunt meditabundi; et cum aliquis eo venit, apparent ei equi in vario colore, et varie phalerati, et quoque currus, et aliqui equitantes et aliqui sedentes in curru; illi etiam cum interrogantur num equitent super equis ac vehantur in curribus, dicunt quod non, sed quod vadant meditantes; inde etiam patuit quid per "equos" et per "currus" significatur (sed de hac re videantur plura in opusculo *De Equo Albo*). Ex his nunc constare potest unde est quod Johanni visi sint equi quando aperta sunt sigilla libri, et quoque quid significant: quod equi illi visi sint, est quia omnia spiritualia Verbi in sensu ejus litterae sistuntur per talia quae correspondent seu quae repraesentant, et inde significant; et hoc ex causa ut Divinum ibi in ultimis sit, et inde plenum, ut supra aliquoties dictum est. Quod "rufum" seu "rubrum" significet quale rei quoad bonum, constare etiam potest a sequentibus his locis in Verbo:—Apud *Mosen*,

"Qui lavat in vino indumentum suum, et in sanguine uavarum velamen suum: ruber oculis p[re]a vino, et albus dentes p[re]a lacte" (*Genes. xlxi. 12*):

haec in propheticō Israelis patris de Jehudah; et per "Jehudam" ibi intelligitur Dominus quoad bonum amoris, et in sensu respectivo regnum caeleste Domini; quid per singula

ibi in sensu spirituali significatur, videatur in *Arcanis Caelestibus*, ubi explicata sunt: Divina Sapientia quae ex Divino Bono significatur per "ruber oculis prae vino," ac Divina Intelligentia quae ex Divino Vero per "albus dentes prae lacte." In *Threnis*,

"Albi erant Naziraei prae nive, candidi erant prae lacte, rubuerunt ossa prae margaritis" (iv. 7):

per Naziraeos reprezentabatur Dominus quoad Divinum Humanum (videatur supra, n. 66, 196 fin.); quare etiam per illos in sensu respectivo significabatur bonum amoris caelestis, quia hoc bonum a Divino Humano Domini immediate procedit; reprezentativum ejus in ecclesia ita describitur: verum illius boni significatur per "albi erant prae nive, et candidi prae lacte;" ac bonum veri per "rubuerunt ossa prae margaritis," "ossa" enim significant vera in suo ultimo, ita vera in omni complexu, nam in ultimis sunt omnia simul et plene; quod illa ex bono sint, et quoque bona, significatur per "rubuerunt." Apud *Sacharium*,

"Vidi quatuor currus exeuntes inter montes....aeris; in curru primo equi rufi, in curru secundo equi nigri, in....tertio equi albi, in... quarto equi grandinati, robusti" (vi. 1, 2[, 3]):

quod per "equos rufos" hic quoque significetur quale intellectus quoad bonum in principio, per "equos nigros" quale intellectus quoad verum in principio, per "equos albos" quale intellectus quoad verum postea, per "equos grandinatos" quale intellectus quoad verum et bonum postea, et per "robustos" quale ejus inde quoad potentiam resistendi falsis et malis, videatur supra (n. 355[*b*]), ubi actum est de significatione "equi." Paene simile intelligitur apud eundem per

*Equum rufum, super quo equitavit vir, stans inter myrtos* (i. 8).

Quoniam per "rubrum" seu "rufum" significatur quale rei quoad bonum, ideo

Pro tegumento super Tentorio erant pelles arietum ruforum (*Exod. xxv. 5; cap. xxvi. 14; cap. xxxv. 7*).

Et quoque ideo

*Aqua separationis, per quam mundabantur, facta est ex combusta vacca rufa* (*Num. xix. 1-10*):

per "vaccam rufam" significatur bonum naturalis hominis,

et per "aquam separationis" ex illa combusta factam significatur verum naturalis hominis; et quia omnis mundatio fit per vera, ideo hoc mandatum est: etiam singula processus circa mactationem ejus et circa praeparationem aquae pro mundatione ex illa, involvunt spiritualia. Quia "rubrum" significat quale rei quoad bonum, ideo quoque nomina et res quae ex eadem voce in lingua originali nominantur, significant bonum ex quo. Rubrum in lingua originali dicitur *adam*; inde est nomen Adamo, et quoque nomen Edomo, et inde quoque homo vocatur *adam*, humus *adama*, et rubinus *odam*; ita nomina illa et res illae ex rubro. Per "Adamum" significatur Ecclesia Antiquissima, quae fuit ecclesia quae in bono amoris; simile per "Hominem," et simile per "humum" in sensu spirituali, ubi agitur de bono caelesti, significatur. Quod Edomus dictus sit ex rubro, videatur *Genes. xxv. 30*; et inde per illum significatur verum boni naturalis hominis; quod rubinus etiam dicitur ex rubro, videatur *Exod. xxviii. 17*; cap. xxxix. 10; *Ezech. xxviii. 13*; inde est quod per "rubinum" significetur verum boni caelestis. (Quod "Adam" significet Ecclesiam Antiquissimam, quae fuit ecclesia caelestis, seu ecclesia quae in bono amoris in Dominum, videatur n. 478, 479; quod "Homo" significet ecclesiam quoad bonum, n. 4287, 7424, 7523; quod "humus" etiam simile significet, n. 566, 10570; quod "Edom," quia dictus est ex rubro, significet verum boni naturalis hominis, n. 3300, 3322; et quod "rubinus" significet verum boni caelestis, n. 9865.) Quia "rubrum" significat quale rei quoad bonum, ideo in sensu opposito significat quale rei quoad malum quod est oppositum bono, et inde bonum desperditum; in hoc sensu dicitur "rubrum" in sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

"Si fuerint peccata vestra sicut coccinea, sicut nix albescere; si rubra fuerint sicut purpura, sicut lana erunt" (i. 18);

et apud *Nahum*,

"Clipeus fortium ejus rubicundus factus est, viri fortitudinis purpurati; in igne facularum currus ejus, . . . . in plateis insaniverunt currus, discurrerunt in vicis, asperitus [deorum] sicut facum" (ii. 4, 5).

In eo sensu etiam *draco* dicitur "rufus" (*Apoc. xii. 3*), de quo in sequentibus.

**365[a].** "Et sedenti super illo datum ei tollere pacem de terra."—Quod significet *Verbum* inde non intellectum, unde dissidia in ecclesia, constat ex significatione sedentis super equo rufo, quod sit *Verbum* non intellectum quoad bonum; (per "sedentem enim super equo" significatur *Verbum*

(ut supra, n. 355[*a,c*], 356); per "equum" significatur intellectus ejus (n. 355), et per "equum rufum" intellectus deperditus quoad bonum (n. 364); quare per "sedentem super equo rufo" significatur Verbum inde non intellectum; ex significatione "tollere pacem," quod sit quod inde dissidia (de qua sequitur), et ex significatione "terrae," quod sit ecclesia (quod "terra" significet ecclesiam, videatur supra, n. 29, 304). Antequam explicatur quid significat "pax," aliquid dicetur de eo, quod quando intellectus Verbi deperditus est, oriantur dissidia in ecclesia. Per *bonum* intelligitur bonum amoris in Dominum et bonum amoris erga proximum, quoniam omne bonum est amoris. Quando haec bona apud hominem ecclesiae non sunt, tunc non intelligitur Verbum; conjunctio enim Domini et conjunctio caeli cum homine ecclesiae est per bonum; quare si non bonum est apud illum, non dari potest aliqua illustratio, omnis enim illustratio cum legitur Verbum est e caelo a Domino; et cum nulla illustratio est, tunc vera, quae in Verbo, in obscuro sunt; inde dissidia. Quod Verbum non intelligatur si homo non in bono sit, etiam constare potest ex eo, quod in singulis Verbi sit conjugium caeleste, hoc est, conjunctio boni et veri; quare si bonum non adest homini legenti Verbum, nec apparet verum, verum enim apparet ex bono, et bonum per vera. (Quod in singulis Verbi sit conjunctio boni et veri, videatur supra, n. 238 fin., 288[*b*].) Ita enim se res habet: quantum homo in bono est, tantum influit Dominus, et dat affectionem veri et inde intellectum; nam mens interior humana formata prorsus est ad imaginem caeli, ac totum caelum formatum est secundum affectiones boni et veri ex bono; quare nisi bonum apud hominem est, mens illa non aperiri potest, minus formari ad caelum; formatur per conjunctionem boni et veri. Inde etiam constare potest quod nisi homo in bono est, vera non habent humum in qua recipientur, nec calorem ex quo crescant; sunt enim vera apud hominem qui in bono est sicut semina in humo tempore veris; at vera apud hominem qui non in bono est, sunt sicut semina in humo constricta gelu tempore hiemis, quando non gramen, nec flos, nec arbor, minus fructus. In Verbo sunt omnia vera caeli et ecclesiae, immo omnia arcana sapientiae quae sunt angelis caeli, sed nemo illa videt nisi qui in bono amoris in Dominum et in bono amoris erga proximum est: qui non sunt, illi hic et ibi vident vera, sed non intelligunt illa; habent de illis prorsus

aliam perceptionem et aliam ideam quam quae est ipsis veris in se; inde, quamvis vera vident aut sciunt, usque vera non sunt vera apud illos, sed falsa; nam vera non sunt vera ex sono et ex elocutione eorum, sed ex idea et perceptione de illis. Aliter cum vera implantata sunt bono; tunc vera apparent in sua forma, nam verum est forma boni. Exinde concludi potest qualis est intellectus Verbi apud illos qui solam fidem faciunt unicum salutis medium, ac bonum vitae seu bonum charitatis rejiciunt ad tergum; compertrum est quod illi qui confirmaverunt se in eo tam doctrina quam vita, ne quidem unam justam ideam veri habeant; quae etiam causa est quod nec sciant quid bonum, quid charitas et amor, quid proximus, quid caelum et infernum, quod vivant post mortem ut homines, immo nec quid regenerationis, quid Baptismus, et plura alia; immo in tali caecitate sunt de Ipso Deo, ut colant tres in cogitatione, et non unum nisi solum ore, et non sciant <sup>11</sup>quod Pater Domini sit Divinum in Ipso, et Spiritus Sanctus sit Divinum ab Ipso. Haec dicta sunt ut sciatur quod nullus intellectus Verbi sit ubi non bonum. Quod hic dicatur quod sedenti super equo rufo datum sit "tollere pacem de terra," est quia "pax" significat pacificum mentis et tranquillum animi ex coniunctione boni et veri; inde "tollere pacem" significat impacificum et intranquillum ex disjunctione eorum, ex quo intestina dissidia: cum enim bonum separatum est a vero, tunc loco illius succedit malum; et hoc non amat verum, sed amat falsum; nam omne falsum est mali, sicut omne verum est boni: quare cum videt verum in Verbō, aut audit verum ex alio, malum quod est amoris ejus et inde voluntatis ejus contranititur; et tunc vel rejicit illud, vel pervertit illud, vel per ideas ex malo ita obscurat illud ut tandem ipse nihil veri in vero videat, utcunque sonat ut verum cum id eloquitur. Inde est origo omnium dissensionum, controversiarum et haeresium in ecclesia. Ex his constare potest quid per "tollere pacem de terra" hic significatur.

[b.] Quid autem pax est in sua prima origine, ample ostensum est in opere *De Caelo et Inferno*, ubi actum est *De Statu Pacis in Caelo* (n. 284-290); quod nempe in sua prima origine sit ex Domino, in Ipso ex unione Ipsius Divini ac Divini Humani, et ab Ipso ex coniunctione Ipsius cum caelo et ecclesia, et in particulari ex coniunctione boni

et veri apud unumquemvis. Inde est quod per "pacem" in supremo sensu significetur Dominus, in sensu respectivo caelum et ecclesia in communi, et quoque caelum et ecclesia in particulari apud unumquemvis. Quod haec per "pacem" in Verbo significantur, constare potest ex pluribus locis ibi, quorum sequentia ad confirmationem volo adducere:—Apud *Johannem*,

Jesus dixit, "Pacem relinqu oibis, pacem meam do vobis; non sicut mundus dat Ego do vobis: ne turbator cor vestrum, neque formidet" (xiv. 27):

agitur ibi de unione Domini cum Patre, hoc est, de unione Divini Humani Ipsius cum ipso Divino quod in Ipso ex conceptione, et inde de coniunctione Domini cum illis qui in veris ex bono sunt; inde per "pacem" intelligitur tranquillum mentis ex illa coniunctione: et quia per illam tui sunt a malis et falsis quae ab inferno, tutatur enim Dominus illos qui Secum coniuncti sunt, ideo dicit, "Ne turbator cor vestrum, neque formidet." Haec Divina pax est in homine; et quia est caelum cum illa, etiam per "pacem" ibi intelligitur caelum, et in supremo sensu Dominus. Pax autem mundi est ex successibus ibi, ita ex coniunctione cum mundo; quae quia est modo externa, et non Dominus et inde non caelum in illa, perit cum vita hominis in mundo, et vertitur in non pacem; ideo dicit Dominus, "Pacem meam do vobis; non sicut mundus dat Ego do vobis." Apud eundem,

Jesus dixit, "Haec locutus sum vobis, ut in Me pacem habeatis; in mundo afflictionem habetis: sed confidite, Ego vici mundum" (xvi. 33):

etiam hic per "pacem" intelligitur jucundum internum ex coniunctione cum Domino, unde caelum et gaudium aeternum. Opponitur hic pax afflictioni, quia per "afflictionem" significatur infestatio a malis et falsis, quae illis est qui in pace Divina sunt quamdiu vivunt in mundo; caro enim, quam tunc circumferunt, concupiscit illa quae mundi sunt; inde afflictio: quare dicit Dominus, "Ut in Me pacem habeatis; in mundo afflictionem habetis:" et quia Dominus quoad Humanum suum acquisivit Sibi potentiam super inferna, ita super mala et falsa quae inde apud unumquemvis assurgunt in carnem et infestant, ideo dicit, "Confidite, Ego vici mundum." Apud *Lucam*,

Jesus dixit ad septuaginta quos emisit, "In quam domum intraveritis, primum dicite, Pax domui huic; et si quidem fuerit [ibi] filius pacis, requiescat super illo pax vestra; si vero non, super vos revertetur" (x. 5, 6):

**et apud Matthaeum,**

"Ingredientes in domum, salutate eam; et si quidem fuerit domus digna, veniet pax vestra super eam; sin autem non fuerit digna, pax vestra ad vos revertetur; et quicunque non receperit vos, neque audiverit verba vestra, exeentes domo aut urbe ista, excutite pulverem pedum vestrorum" (x. 12-14):

quod dicerent "Domui pax," significat ut cognoscerent num illi qui ibi sunt reciperent Dominum: evangelizabant de Domino, ac inde de caelo, gaudio caelesti et vita aeterna; nam omnia illa significantur per "pacem;" et illi qui receperunt, intelliguntur per "filios pacis," super quibus pax requiesceret: si autem non agnoscerent Dominum, et inde non reciperent illa quae Domini sunt seu quae pacis, quod ab iis auferretur, significatur per "si domus aut urbs non digna esset, quod pax reverteretur super eos;" ne tunc a malis et falsis quae in illa domo aut in illa urbe laedarentur, mandatum est ut "exeentes excuterent pulverem pedum suorum," per quod significatur ne damnatum inde adhaereret; per "pulverem pedum" enim significatur datum: nam ultimum apud hominem, quod est sensuale naturale, correspondet plantis pedum; et quia huic adhaeret malum, ideo apud illos qui in repraesentativis ecclesiae erant, ut plerique eo tempore, excutiebant pulverem pedum cum non reciperent vera doctrinae. In mundo enim spirituali, quando aliquis bonus venit ad malos, influit malum ab his, et aliquantum perturbat; sed hoc solum perturbat ultima quae correspondent plantis pedum; inde cum se vertunt et abeunt, apparet sicut pulverem pedum suorum retro excutiant, quod est indicium quod liberati sint, et quod malum adhaereat illis qui in malo sunt. (Quod "plantea pedum" corrispondent infimis naturalibus, et quod inde in Verbo significant illa, videatur n. 2162, 3147, 3761, 3986, 4280, 4938-4952: et quod "pulvis," quem excuterent, significet datum, n. 249, 7418, 7522.) **Apud Lucam,**

Jesus flevit super urbe, dicens, "Si nosses, et quidem in die hoc, quae ad pacem tuam; sed nunc absconditum est ab oculis tuis" (xix. [41,] 42):

qui de his verbis et mox sequentibus ibi solum cogitant ex sensu litterae, credunt, quia non aliud vident, quod a Do-

mino illa dicta sint de destructione Hierosolymae; sed omnia quae Dominus locutus est, quia a Divino, non spectabant mundana et temporaria, sed caelestia et aeterna; quare per "Hierosolymam," super qua Dominus flevit, hic ut alibi significatur ecclesia, quae tunc prorsus vastata fuit, ut amplius non verum et inde non bonum esset, et sic quod perituri in aeternum: quare dicit, "Si nosse, et quidem in die hoc, quae ad pacem tuam," hoc est, quae ad vitam et felicitatem aeternam quae a solo Domino; nam per "pacem," ut dictum est, intelligitur caelum et gaudium caeleste per conjunctionem cum Domino. Apud eundem,

"Zacharias... prophetans dixit..., Ortus de alto apparet illis qui in tenebris et umbra mortis sedent, ad dirigendum pedes nostros in viam pacis" (i. [67, 78,] 79):

haec de Domino in mundum venturo, et de illustratione illorum tunc qui extra ecclesiam erant, et in ignorantia Divini Veri quia non habebant Verbum; Dominus intelligitur per "Ortum ab alto" qui apparet, et illi qui extra ecclesiam intelliguntur per eos "qui in tenebris et umbra mortis sedent;" et illustratio eorum in Divinis veris per receptionem Domini et conjunctionem cum Ipso, unde caelum et felicitas aeterna, intelligitur per "viam pacis;" per "dirigere pedes nostros in illam" significatur instructio. Apud eundem,

Discipuli laudabant Deum, dicentes, "Benedictus Rex qui venit in nomine Domini; pax in caelo et gloria in altissimis" (xix. 38):

haec a discipulis dicta sunt cum Dominus ivit Hierosolymam, ut ibi per passionem crucis, quae fuit ultima Ipsius tentatio, plane uniret Humanum suum Divino suo, et quoque prorsus subjugaret inferna; et quia tunc ab Ipso procederet omne Divinum Bonum et Verum, dicunt, "Benedictus Rex qui venit in nomine Domini," per quod significabatur agnitus, glorificatio, et gratiarum actio quod ab Ipso illa (videatur supra, n. 340[*a,b*]); per "pacem in caelo" et per "gloriam in altissimis," significatur quod illae quae significantur per "pacem" sint ex unione Ipsius Divini ac Divini Humani, et inde angelis et hominibus ex conjunctione cum Domino; nam cum a Domino subjugata fuerunt inferna, tunc facta est pax in caelo, et tunc Divinum Verum fuit illis qui ibi, a Domino, quod est "gloria in altissimis." (Quod

"gloria" significet Divinum Verum procedens a Domino, videatur supra, n. 133, 288, 345.)

[c.] Quia "pax" in sensu interno Verbi significat Dominum, et inde caelum et vitam aeternam, in specie jucundum caeli oriundum ex coniunctione cum Domino, ideo Dominus, post resurrectionem, cum apparuit discipulis, dixit illis,

"Pax vobis" (*Luc. xxiv. 36, 37; Joh. xx. 19, 21, 26*).

Porro, apud *Mosen*:

"Benedic tibi Jehovah, et custodiat te; lucere faciat Jehovah facies suas super te, et misereatur tui; et attollat Jehovah facies suas super te, et ponat tibi pacem" (*Num. vi. 24-26*):

Divinum Verum, ex quo omnis intelligentia et sapientia, cum quo influit Dominus, intelligitur per "lucere faciat Jehovah facies suas super te;" et per id tutela a falsis intelligitur per "misereatur tui;" ac Divinum Bonum, ex quo omnis amor et charitas, cum quo influit Dominus, intelligitur per "attollat Jehovah facies suas super te;" et per id tutela a malis, ac inde caelum et felicitas aeterna, intelligitur per "ponat tibi pacem;" nam cum mala et falsa remota sunt, et non amplius infestant, tunc influit Dominus cum pace, in qua et ex qua est caelum, ac jucundum beatitudine implens interiora mentis, ita gaudium caeleste. (Haec benedictio etiam explicata videatur supra, n. 340[<sup>b</sup>].) Simile significatur per "pacem" apud *Davidem*,

"Jehovah benedic populo suo in pace" (*Ps. xxix. 11*);

et apud eundem,

"Quis ostendet nobis bonum? Attolle super nos lucem facierum tuarum, Jehovah; das gaudium in corde meo prae tempore [quo] frumentum et mustum eorum multiplicantur; in pace simul cubo et dormio, nam Tu, Jehovah, solus securum me habitare facis" (*Ps. iv. 7-9 [B. A. 6-8]*):

hic describitur pax quae illis qui sunt in coniunctione cum Domino per receptionem Divini Boni et Divini Veri ab Ipso, et quod pax sit in qua et ex qua gaudium caeleste; Divinum Bonum intelligitur per "Quis ostendet nobis bonum?" et Divinum Verum, per "Attolle super nos lucem facierum tuarum;" "lux facierum" Domini est Divina lux procedens ex Ipso ut Sole in caelo angelico, quae in sua essentia est Divinum Verum (ut ostensus videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 126-140); gaudium caeleste inde, intelligitur per "das

gaudium in corde ;” multiplicatio boni et veri, intelligitur per “frumentum et mustum eorum multiplicantur” (“frumentum” significat bonum, et “mustum” verum) : quia pax est in illis et ex illis ideo dicitur, “In pace simul cubo et dormio, nam Tu, Jehovah, securum me habitare facis ;” per “pacem” significatur internum jucundum caeli, per “securitatem” jucundum externum, et per “cubare et dormire,” ac per “habitare,” significatur vivere. Apud Mosen,

“Si in statutis meis ambulaveritis, et praecepta mea observaveritis, et feceritis ea,....dabo pacem in terra, ita ut secure cubetis, et non perterrefaciens ; et cessare faciam feram malam e terra, et gladius non transbit per terram” (*Levit. xxvi. 3, 6*) :

unde pax, hoc est, unde caelum et gaudium caeleste, hic describitur. Pax in se spectata non est caelum et gaudium caeleste, sed haec sunt in pace et ex pace ; est enim pax sicut aurora aut sicut ver in mundo, quae disponunt mentes humanas ad recipiendum corde jucunda et amoena ex iis quae coram oculis apparent, jucundat namque et amoenat illa ; et quia ex pace Divina sunt omnia caeli et ejus gaudii similiter, inde etiam haec per “pacem” intelliguntur. Quoniam homini caelum est ex vivere secundum praecepta, inde enim conjunctio ei est cum Domino ; ideo dicitur, “Si in statutis meis ambulaveritis, et praecepta mea observaveritis, et feceritis ea, dabo pacem in terra :” quod tunc non infestandi sint a malis et falsis, intelligitur per quod “secure cubarent, et non perterrefaciens,” et per quod “Jehovah cessare faciet feram malam e terra,” et quod “gladius non transbit per illam ;” per “feram malam” significantur cupiditates malae, et per “gladium” significantur falsitates inde ; hae et illae destruunt bonum et verum ex quibus pax : et per “terram” significatur ecclesia. (Quod “fera mala” significet cupiditates malas, et destructionem boni per illas, videatur n. 4729, 7102, 9335 : quod “gladius” significet falsitates, et destructionem veri per illas, supr. n. 131[6] : et quod “terra” significet ecclesiam, etiam supra, n. 29, 304.) Qui non elevatur supra sensum litterae Verbi, is non videt aliud quam quod qui vivit secundum statuta et praecepta victurus sit in pace, hoc est, quod ei non hostes et inimici, et quod sic secure cubaturus ; tum quod non aliquae ferae malae illaturaे damnum, et quod non <sup>[1]</sup>periturus gladio : sed hoc non est spirituale Verbi ; est usque Verbum in singulis spirituale, et hoc latet in sensu litterae ejus qui naturalis ;

spirituale ejus est quod nunc supra explicatum est. Apud *Davidem*,

"Miseri possidebunt terram, et deliciabuntur super multitudine pacis: . . . observa integrum et vide rectum, nam postremum viro pax" (Ps. xxxvii. 11, 37):

per "miseros" intelliguntur hic qui in temptationibus sunt in mundo; per "multitudinem pacis" qua deliciabuntur, significantur jucunda quae post temptationes, nam post temptationes dantur jucunda a Domino ex coniunctione boni et veri tunc, et inde ex coniunctione cum Domino; quod ex coniunctione boni et veri sit homini jucundum pacis, intelligitur per "Observa integrum et vide rectum, nam postremum viro pax;" "integrum" quod observandum dicitur in Verbo de bono, et "rectum" quod videndum dicitur de vero; "postremum" est finis, quando pax. Apud eundem,

"Ferent montes pacem populo, et colles in justitia; . . . florebit in diebus Ejus justus, et multa pax usque dum non luna" (Ps. Ixxii. 3, 7):

agitur ibi de adventu Domini et de regno Ipsius; per "montes" qui ferent pacem populo, significatur amor in Dominum; et per "colles" qui in justitia, significatur charitas erga proximum; (quod haec per "montes" in Verbo significantur, videatur n. 795, 6435, 10438, ex causa quia illi qui in amore in Dominum sunt habitant in caelo super montibus; et illi qui in charitate erga proximum sunt, super collibus ibi, n. 10438; et in opere *De Caelo et Inferno*, n. 188;) inde patet quod per "pacem" intelligatur gaudium caeleste, quod est ex coniunctione cum Domino per amorem: per "florebit in diebus Ejus justus," significatur qui in bono amoris; inde dicitur "et multa pax;" non aliunde enim quam ex Domino, et ex Ipsius coniunctione cum illis qui in bono amoris sunt, est pax, ut supra dictum est: "usque dum non luna" dicitur, per quod significatur quod non verum erit separatum a bono, sed coniuncta ita ut sint unum, hoc est, ut verum etiam sit bonum; est enim omne verum boni quia ex bono, et inde in sua essentia bonum; tale est verum apud illos qui in bono amoris in Dominum a Domino sunt, qui hic intelliguntur per "justum." (Quod "sol" significet bonum amoris, et quod "luna" verum inde, videatur n. 1521-1531, 2495, 4060, 104696, 7083.) Apud *Esaiam*,

"Puer natus est nobis, Filius datus est nobis, super cuius humero principatus; vocabit nomen Ipsius Mirabilis, Consiliarius, Deus, Heros, Pater aeternitatis, Princeps pacis: multiplicanti principatum et pacem non erit finis" (ix. 5, 6 [B. A. 6, 7]):

haec de adventu Domini, de quo dicitur quod "Puer natus sit nobis, et Filius datus nobis," quia per "puerum" in Verbo significatur bonum, ibi Divinum Bonum, et per "filium" verum, ibi Divinum Verum; ita dicitur propter conjugium boni et veri, quod est in singulis Verbi: et quia ab Ipso Divinum Bonum et Divinum Verum est, ideo vocatur "Princeps pacis," ac dicitur "Multiplicanti principatum et pacem non erit finis;" "principatus" dicitur ex Divino Vero, et "pax" ex Divino Bono conjuncto Divino Vero; inde vocatur "Princeps pacis." (Quod "princeps" dicatur de veris, et quod significet principale verum, videatur n. 1482, 2089, <sup>[1]</sup>5044; et supra, n. 29; et "pax" de coniunctione boni et veri, supra in hoc articulo.)

[d.] Sed quia plurimis in locis in Verbo dicitur "pax," et explicatio erit applicata ad rem de qua dicitur, seu ad subjectum de quo praedicatur, et inde appareat varia ejus significatio, ideo velim in summa tradere quid "pax" significat, ne mens feratur quaquaversum:—

*Pax est beatum cordis et animae oriundum ex coniunctione Domini cum caelo et cum ecclesia, et haec ex coniunctione boni et veri apud illos qui ibi; inde non pugnali et falsi amplius contra bonum et verum, seu non dissidium aut bellum in spirituali sensu: inde pax, in qua sit omnis fructificatio boni et multiplicatio veri, proinde omnis sapientia et intelligentia. Et quia pax illa est a solo Domino, et ab Ipso apud angelos in caelo et apud homines in ecclesia, ideo per "pacem" in supremo sensu intelligitur Dominus, et in sensu respectivo caelum et ecclesia, proinde bonum coniunctum vero apud illos qui ibi.*

Ex his idea de significatione pacis haberi potest in sequentibus locis:—Apud Davidem,

"Recede a malo et fac bonum; quaere pacem et persequere eam" (Ps. xxxiv. 15 [B. A. 14]):

"pax" pro omnibus quae caeli et ecclesiae sunt, unde felicitas vitae aeternae; quae quia est solum illis qui in bono, ideo dicitur "Recede a malo et fac bonum, quaere pacem et persequere eam." Apud eundem,

"Pax multa amantibus legem tuam, nec illis offendiculum: exspectavi salutem tuam, Jehovah, et praecepta tua feci" (Ps. cxix. 165, 166):

“pax” pro beato, felici et jucundo caelesti, quae quia solum dantur apud illos qui amant facere praecepta Domini, ideo dicitur, “Pax multa amantibus legem tuam ; . . . exspectavi salutem tuam, Jehovah, et praecepta tua feci ;” “salus” pro vita aeterna ; quod non illis infestatio sit a malis et falsis, significatur per quod “non illis offendiculum.” Apud Esiam,

“Jehovah, dispone pacem nobis, nam omnia opera nostra operatus es nobis” (xxvi. 12) :

quia pax a solo Jehovah, hoc est, Domino est, et in faciendo bonum ab Ipso, ideo dicitur, “Jehovah, dispone pacem nobis, nam omnia opera nostra operatus es nobis.” Apud eundem,

“Angeli pacis amare flent, devastatae sunt semitae, cessavit transiens viam” (xxxiii. 7, 8) :

quia pax est a Domino, et in caelo ab Ipso, ideo angeli ibi vocantur “angeli pacis ;” et quia nulla pax illis est qui in terra in malis sunt et inde falsis, ideo dicitur quod amare fleant quia “devastatae sunt semitae, cessavit transiens viam ;” “semitae” et “via” significant bona vitae et vera fidei ; quare “devastatae semitae” significant quod non amplius bona vitae, et “cessavit transiens viam” significat nec amplius vera fidei. Apud eundem,

“Utinam auscultasses praeceptis meis, et futura fuisset sicut fluvius pax tua, et justitia tua sicut fluctus maris : . . . non pax, inquit Jehovah, impiis” (xlviii. 18, 22) :

quia illis pax est qui vivunt secundum praecepta Domini, et non illis qui non vivunt, ideo dicitur, “Utinam auscultasses praeceptis meis, et futura fuisset pax tua sicut fluvius ; non pax impiis :” “pax sicut fluvius” significant in abundantia ; “justitia” quae “sicut fluctus maris” significant fructificationem boni per vera (“justitia” in Verbo dicitur de bono, ac “mare” de veris). Apud eundem,

“Montes recessent et colles dimovebuntur, sed misericordia mea a tecum non recedet ; foedus pacis meae non dimovebitur. . . . Omnes filii tui docti a Jehovah, et multa pax filiorum tuorum” (liv. 10, 13) :

agitur ibi de novo caelo et de nova ecclesia ; prius caelum et prior ecclesia, quae peritura, intelligitur per “montes recessent et colles dimovebuntur ;” quod illi qui in novo caelo et nova ecclesia erunt in bono a Domino, et eis gau-

dium caeleste in aeternum per conjunctionem cum Domino, significatur per "Misericordia mea a tecum non recedet, et foedus pacis meae non dimovebitur;" "misericordia" significat bonum a Domino, et "foedus pacis" significat gaudium caeleste ex conjunctione cum Domino; "foedus" est conjunction: per "filios" qui "docti a Jehovah," et quibus "multa pax," intelliguntur qui in novo caelo et in nova ecclesia in veris ex bono erunt a Domino, quod illis beatitudo et felicitas aeterna; per "filios" in Verbo significantur qui in veris ex bono sunt; per quod "docti a Jehovah," significatur quod in veris ex bono sint a Domino; et per "multam pacem" significatur beatitudo et felicitas aeterna.

*Apud Ezechielem,*

"David....princeps illis in aeternum; et pangam illis foedus pacis, foedus aeternitatis erit cum illis, ac dabo eos et multiplicabo eos, et ponam sanctuarium meum in medio eorum in aeternum" (xxxvii. 25, 26):

agitur ibi de Domino, de creatione novi caeli et novae ecclesiae ab Ipso; per "Davidem" qui "princeps illis in aeternum," intelligitur Dominus; per "pangere illis foedus pacis" significatur gaudium caeleste et vita aeterna illis qui Domino conjuncti sunt; "foedus pacis" est hic ut supra gaudium caeleste et vita aeterna ex conjunctione cum Domino: fructificatio boni et multiplicatio veri inde, significatur per "Dabo eos et multiplicabo eos;" et quia inde caelum et ecclesia est, additur "Et ponam sanctuarium meum in medio eorum in aeternum;" "sanctuarium" est caelum et ecclesia. *Apud Malachiam,*

"Ut sit foedus meum cum Levi;....foedus meum cum illo fuit vitae et pacis;....lex veritatis fuit in ore ejus, et perversitas non inventa in labiis ejus; in pace et in rectitudine ambulavit Mecum" (ii. 4, 5[. 6]):

per "Levin" significantur omnes qui in bono charitatis erga proximum sunt, et in supremo sensu Ipse Dominus quia ab Ipso id bonum; hic Ipse Dominus: "foedus vitae et pacis" significat unionem Divini Ipsius cum Divino Humano Ipsius, ex qua unione omnis vita et pax; quod Divinum Verum sit ab Ipso, significatur per quod "lex veritatis fuit in ore Ipsius, et perversitas non inventa in labiis Ipsius;" ipsa unitio quae facta in mundo, intelligitur per "In pace et in rectitudine ambulavit Mecum." (Quod per "Levin" in Verbo

significetur amor spiritualis seu charitas, videatur n. 4497, 4502, 4503: et quod per illum in supremo sensu intelligatur Dominus, n. 3875, 3877.)

[e.] Apud Ezechielem,

"Tunc pangam iis foedus pacis, et cessare faciam feram malam e terra,  
ut habitent in deserto secure, et dormiant in silvis:....tunc dabit  
arbor agri fructum suum, et terra dabit proventum suum,....  
quando fregero lora jugi eorum, et liberavero eos e manu servire  
facientium eos" (xxxiv. 25, 27):

etiam ibi agitur de adventu Domini, et de instauratione novae ecclesiae ab Ipso; conjunctio illorum qui ab ecclesia cum Domino, significatur per "foedus pacis" quod tunc panget iis; inde tutela et securitas a malis et falsis, significatur per "Cessare faciam feram malam e terra, ut habitent in deserto secure, et dormiant in silvis;" "fera mala" significat mala omnis generis, "desertum" ubi "habitabunt secure" significat cupiditates mali quod non infestabunt, et "silvae" in quibus "dormient," significant falsa inde quae nec infestabunt: fructificatio boni per vera, et multiplicatio veri ex bono, significantur per "Tunc dabit arbor fructum suum, et terra dabit proventum suum;" "arbor agri" significat cognitiones veri, "fructus" significat bonum inde, "terra" significat ecclesiam quoad bonum, ita quoque bonum ecclesiae, et "proventus ejus" significat inde multiplicationem veri: quod haec fient illis postquam Dominus removit mala et falsa quae illis, significatur per "quando fregero lora jugi eorum, et liberavero e manu servire facientium eos;" "lora jugi" sunt jucunda mali ex amore sui et mundi quae illos vincitos tenent; et "servire facientes eos" sunt falsa, quia haec faciunt ut serviant illis malis.

Apud Sachariam,

"Semen pacis erunt, vitis dabit fructum suum, et terra dabit proventum suum, et caeli dabunt rorem suum:....loquimini veritatem virum socio suo, veritatem et judicium pacis judicate in portis vestris;....veritatem modo et pacem amate" (Iviii. 12, 16, 19):

"semen pacis" dicuntur apud quos est conjunctio boni et veri; et quia illi per "semen pacis" intelliguntur, ideo dicitur quod "vitis dabit fructum suum, et terra proventum suum;" per quod "vitis dabit fructum suum" significatur quod verum producit bonum, et per quod "terra dabit proventum suum" significatur quod bonum producit vera; "vitis" enim significat ecclesiam quoad vera, seu vera ecclesiae, et "terra" significat ecclesiam quoad bonum, seu bonum ecclesiae, ac

“proventus” significat productionem veri: per “caelos” qui “dabunt rorem suum” significatur fructificatio boni et multiplicatio veri: conjunctio veri et boni ulterius describitur per “Loquimini veritatem vircum socio suo, veritatem et judicium pacis judicate in portis vestris, veritatem modo et pacem amate;” per “veritatem” significatur verum; per “judicium pacis,” et per “pacem” significatur conjunctio ejus cum bono. Apud *Davidem*,

Jehovah “loquetur pacem ad populum suum et ad sanctos suos, ut non revertantur ad stultitiam; . . . misericordia et <sup>[1]</sup>veritas obvient, justitia et pax osculentur se” (Ps. lxxxv. 9, <sup>[2]</sup>11 [B. A. 8, 10]):

quod “Jehovah loquetur pacem ad populum suum et ad sanctos suos,” significat quod docebit et dabit conjunctionem Secum per conjunctionem boni et veri apud illos; per “pacem” significatur utraque illa conjunctio, per “populum” significantur illi qui in veris ex bono sunt, et per “sanctos” illi qui in bono per vera sunt: quod non illis dein malum ex falso et falsum ex malo sint, significatur per “ut non revertantur ad stultitiam:” utraque illa conjunctio ulterius describitur per quod “misericordia et <sup>[1]</sup>veritas obvient, ac justitia et pax osculentur se:” “misericordia” ibi significat remotionem a falsis, unde illis vera; [inde patet quid significat “misericordia et veritas obvient:”] et “justitia” [significat] remotionem a malis, unde illis bona; inde patet quid significat “justitia et pax osculentur se.” Apud *Esaiam*,

“Quam jucundi sunt super montibus pedes evangelizantis, audire facientis pacem, evangelizantis bonum, audire facientis salutem, dicentis Zioni, Regnat <sup>[3]</sup>Rex tuus” (lvi. 7):

haec de Domino, et per “pacem” ibi significatur Ipse Dominus, et inde caelum illis qui Ipsi conjuncti sunt; “evangelizare” significat praedicare illa: et quia illa conjunctio fit per amorem, ideo dicitur “evangelizare super montibus,” et “dicere Zioni;” “montes” significant hic ut supra, bonum amoris in Dominum, et “Zion” significat ecclesiam quae in illo bono; ac Dominus intelligitur per “<sup>[3]</sup>Regem tuum qui regnat:” quia conjunctio veri et boni a conjunctione cum Domino significatur per “pacem,” ideo dicitur “audire facientis pacem, evangelizantis bonum, audire facientis salutem;” “evangelizare bonum” significat conjunctionem cum Ispo per bonum, et “audire facere salutem” significat con-

junctionem cum Ipso per vera et per vitam secundum illa, per hanc enim est salus. Apud eundem,

"Atque Ille confossum ob praevaricationes nostras, contusum ob iniquitates nostras, castigatio pacis nostrae super Ipso, et vulnere Ipsius sanitatis data nobis" (lili. 5):

haec de Domino, de quo in eo capite manifeste agitur; et per illa verba describuntur tentationes quas Ipse in mundo subiit ut subjugaret inferna, et redigeret omnia ibi et in caelis in ordinem: atroces illae tentationes intelliguntur per quod "confossum ob praevaricationes nostras, et contusum ob iniquitates nostras," et quod "castigatio pacis nostrae super Ipso;" salvatio per id significatur per "vulnere Ipsius sanitatis data nobis:" per "pacem" itaque ibi significatur caelum et vita aeterna illis qui conjuncti cum Ipso sunt; genus enim humanum nullatenus salvari potuit nisi Dominus redegisset omnia in infernis et in caelis in ordinem, et simul glorificasset Humanum suum, quae facta sunt per tentationes in Humanum suum admissas. Apud *Jeremiam*,

"Ecce Ego ascendere facturus <sup>[1]</sup>ei sanitatem et medelam; et sanaturus sum eos, et revelabo iis <sup>[2]</sup>abundantiam pacis et veritatem:.... omnes gentes terrae, quae audient omne bonum quod Ego facturus illis, ut timeant et commoveantur super omni bono et super omni pace quam Ego facturus <sup>[3]</sup>illi" (xxxiii. 6, 9):

haec etiam de Domino, quod liberatus a malis et falsis illos qui in conjunctione cum Ipso sunt; liberatio a malis et falsis significatur per "ascendere facturus sum <sup>[1]</sup>ei sanitatem et medelam, et sanaturus sum eos," spiritualiter enim sanari est a malis et falsis; et quia hoc fit a Domino per vera, dicitur "et revelabo iis <sup>[2]</sup>abundantiam pacis et veritatem;" per "gentes terrae" significantur illi qui in malis et falsis sunt, de quibus dicitur quod "timebunt et commovebuntur super omni bono et super omni pace quam Ego facturus <sup>[3]</sup>illi." Apud *Davidem*,

"Redimet in pace animam meam, ne appropinquent mihi" (Ps. lv. 19 [B. A. 18]):

per "redimere in pace animam meam" significatur salvatio per conjunctionem cum Domino; et per "ne appropinquent mihi" significatur remotione inde malorum et falsorum. Apud *Haggaeum*,

"Major erit gloria domus hujus posterioris quam prioris,....nam in loco hoc dabo pacem" (ii. 9):

per "Domum Dei" significatur ecclesia, per "domum priorem" ecclesia quae ante adventum Domini, et per "domum posteriorem" ecclesia quae post adventum Ipsius; per "gloriam" significatur Divinum Verum quod in hac et illa; et per "pacem quam dabit in loco hoc," seu in ecclesia, intelliguntur omnia illa quae significantur per "pacem" (de quibus supra, quae videantur).

[f.] *Apud Davidem,*

"Petite pacem Hierosolymae, quieti sint amantes te; sit pax in antemurali tuo, quies in palatiis tuis; propter fratres et socios meos loquar, age, pacem in te; propter Domum Jehovahe Dei nostri quaeram bonum tibi" (Ps. cxxii. 6-9):

per "Hierosolymam" non intelligitur Hierosolyma, sed ecclesia quoad doctrinam et cultum; per "pacem" intelligitur omne doctrinae et cultus, nam cum haec ex origine caelesti sunt, hoc est, e caelo a Domino, tunc a pace et in pace sunt; inde constat quid intelligitur per "petite pacem Hierosolymae:" et quia illi qui in illa pace sunt vocantur "quieti," dicitur etiam, "quieti sint amantes te," nempe amantes ecclesiae doctrinam et cultum: per "sit pax in antemurali tuo, et quies in palatiis tuis," significatur quod in exteriori homine et in interiori; exterior enim homo cum illis quae ibi, quae sunt scientifica et jucunda naturalia, est instar antemuralis seu munimenti interiori homini, quia extra et ante hunc est et protegit; ac interior homo cum illis quae ibi, quae sunt vera et bona spiritualia, est instar palatii aut domus, quia intra exteriorem est; inde exteriora hominis significantur per "antemurale," ac interiora ejus per "palatia;" similiter quoque alibi in Verbo: "propter fratres meos et socios meos" significat propter illos qui in bonis et inde veris sunt, et abstracte a personis significat bona et vera; (quod haec intelliguntur per "fratres et socios" in Verbo, videatur n. 10490, et supra, n. 47;) per "Domum Jehovahe Dei nostri" significatur ecclesia, in qua illa. Apud eundem,

"Lauda, Hierosolyma, Jehovah; celebra, Zion, <sup>[2]</sup>nomen tuum; . . . qui ponit terminum tuum pacem; adipe triticorum satiat te" (Ps. cxlvii. 12, 14):

per "Hierosolymam" et per "Zionem" intelligitur ecclesia, per "Hierosolymam" ecclesia quoad vera doctrinæ, et per "Zionem" ecclesia quoad bona amoris; per "<sup>[2]</sup>nomen Jehovah" quod celebrabit Zion, significatur omne cultus

ex bono amoris ; "qui ponit terminum tuum pacem" significat omnia caeli et ecclesiae, nam "terminus" significat omnia illorum, quoniam in termino seu in ultimo sunt omnia in complexu (videatur n. 634, 5897, 6239, 6451, 6465, 8603, <sup>[1]</sup>9215, <sup>[2]</sup>9216, 9824, 9828, 9836, 9905, 10044, 10099, 10329, 10335, 10548) ; "adipe triticorum satiat te" significat omni bono amoris et sapientia ("adeps" enim significat bonum amoris, videatur n. 5943, 6409, 10033 ; et "triticum" significat omnia quae ex bono amoris sunt, in specie vera caeli, et inde sapientiam, n. 3941, 7605.)

Apud eundem,

"Benedicet tibi Jehovah e Zione, ut videoas bonum Hierosolymae omnibus diebus vitae tuae, ut videoas filios filiorum tuorum, pacem super Israele" (Ps. cxxviii. 5, 6) :

per "Zionem" et per "Hierosolymam" significatur, hic ut supra, ecclesia quoad bona amoris et quoad vera doctrinae ; quod dicatur "Benedicat tibi Jehovah e Zione," est ut ex bono amoris, nam "Zion" significat ecclesiam quoad bonum amoris ; et quia ex illo bono omne bonum et verum doctrinae procedit et existit, inde dicitur, "ut videoas bonum Hierosolymae, ac filios filiorum tuorum ;" "filii filiorum" significant vera doctrinae ac multiplicationem eorum in aeternum ; quia haec omnia sunt ex Domino, et per pacem quae ab Ipso, ideo concluditur per "ut videoas pacem super Israele ;" "Israel" sunt illi apud quos ecclesia. Apud eundem,

"Est in Schalem tabernaculum" Dei, "et habitaculum Ipsius in Zione ; ibi fregit scintillas arcus, scutum, gladium et bellum" (Ps. lxxvi. 3, 4 [B. A. 2, 3]) :

hic Hierosolyma vocatur Schalem, quia per "Schalem" significatur pax, e qua etiam Hierosolyma nominata est ; quod ita nominata sit, est quia "pax" significat omnia illa quae supra in summa dicta sunt, quae videantur : per tabernaculum Dci," quod ibi, significatur ecclesia ex illis, et per "habitaculum Ipsius in Zione" significatur bonum amoris, quoniam in illo Dominus habitat, et inde dat vera, ac fructificat et multiplicat illa : et quia per "pacem" etiam significatur quod non pugnae mali et falsi amplius contra bonum et verum, seu non dissidium aut bellum in spirituali sensu, ideo dicitur, "Ibi fregit scintillas arcus, scutum et gladium et bellum," per quae significatur dissipatio omnis pugnae falsorum doctrinæ contra bonum et verum, ac in genere dissipatio omnis dissidii. A pace etiam

Dicta est Hierosolyma "Schelomim" (*Jerem.* xiii. 19):  
 Et ideo Melchizedech, qui sacerdos Deo altissimo, fuit "rex Schalem"  
*(Gen.* xiv. 18);

et per illum repraesentatus est Dominus; ut patet apud *Davidem*,

"Tu Sacerdos in aeternum juxta modum Melchizedechi" (*Ps. cx. 4*).

[g.] Apud *Esaiam*,

"Laetamini cum Hierosolyma, et exultate in ea, omnes amantes eam, . . . ut sugatis et saturemini ex ubere consolationum ejus, et exprimatis et deliciemini ex splendore gloriae ejus; . . . ecce Ego expandens super eam sicut fluvium pacem, et sicut flumen inundans gloriam gentium, ut sugatis; ad latus suscipiemini, et super genibus delectabimini" (*lxvi. 10-12*):

per "Hierosolymam" ibi intelligitur, ut supra, ecclesia quoad doctrinam, seu quod idem, doctrina ecclesiae; de hac dicitur, "Laetamini cum Hierosolyma, et exultate in ea, omnes amantes eam;" et de doctrina etiam dicitur, "ut sugatis et saturemini ex ubere consolationum ejus, et exprimatis et deliciemini ex splendore gloriae ejus;" per "uber consolationum" significatur Divinum Bonum, et per "splendorem gloriae" significatur Divinum Verum ex quo doctrina: quod omnia illa in abundantia erunt ex coniunctione cum Domino, significatur per "Ecce Ego expandens super eam sicut fluvium pacem, et sicut flumen inundans gloriam gentium, ut sugatis;" per "pacem" significatur coniunctio cum Domino, per "gloriam gentium" coniunctio boni et veri inde, per "sugere" influxus a Domino, et per "sicut fluvium et sicut flumen inundans" abundantia: quod inde amor spiritualis, et amor caelestis, per quos coniunctio cum Domino fit, significatur per "ad latus suscipiemini, et super genibus delectabimini;" per "latus" significatur amor spiritualis, et per "genua" amor caelestis, et per "suscipi et delectari" significatur ex coniunctione felicitas aeterna: (quod "uber" significet amorem spiritualem, et quod quoque "latus" seu "pectus," videatur supra, n. 65; quod "genua" significant amorem conjugialem, et inde amorem caelestem, in *Arcanis Caelestibus*, n. 3021, 4280, 5050-5062:) quod "gloria" significet Divinum Verum, et inde intelligentiam et sapientiam, videatur supra (n. [1]33, 288, 345): et quod "gentes" significant illos qui in bono amoris sunt, et abstracte a personis bona amoris, etiam supra (n. 175[a], 331); inde "gloria gentium" significat genuinum verum quod ex bono amoris, ita coniunctionem illorum. Apud eundem,

"Est opus <sup>[1]</sup>Jehovae pax, et labor justitiae quies, et securitas usque in aeternum; ut habitet populus meus in habitaculo pacis, et in tentoriis securitatum, et in quietibus tranquillis" (xxxii. 17, 18):

"pax" dicitur "opus <sup>[1]</sup>Jehovae," quia unice a Domino; et omne quod ex pace a Domino existit apud illos qui in coniunctione cum Domino sunt, vocatur "opus <sup>[1]</sup>Jehovae." inde dicitur "Est opus <sup>[1]</sup>Jehovae pax: "labor justitiae" significat bonum coniunctum vero, in quo pax; "labor" enim in Verbo dicitur de vero, "justitia" de bono, et "quies" de pace inibi: "securitas in aeternum" significat quod sic non infestatio et timor a malis et falsis: inde patet quid significatur per "ut habitet populus meus in habitaculo pacis, et in tentoriis securitatum, et in quietibus tranquillis," quod nempe ut sint in caelo ubi Dominus, et inde in bono amoris et cultus, absque infestatione ab infernis, et sic in jucundis boni et amoenis veri: "habitaculum pacis" est caelum ubi Dominus, "tentoria securitatum" sunt inde bona amoris et cultus absque infestatione a malis et falsis quae ab inferno, et "quietes tranquillae" sunt jucunda boni et amoena veri. (Quod "tentoria" significant bona amoris et cultus, videatur n. 414, 1102, 2145, 2152, 3312, <sup>[2]</sup>4391, 10545.) Apud eundem,

"Pro aere adducam aurum, et pro ferro adducam argentum, . . . et pro lapidibus ferrum; et ponam praefecturam tuam pacem, et exactores tuos justitiam; non audietur amplius violentia in terra tua, vastatio et confractio in terminis tuis" (lx. 17, 18):

agitur in eo capite de adventu Domini, et de novo caelo et nova ecclesia tunc; ac intelligitur per illa verba quod spirituales futuri et non naturales ut prius, nempe illi qui conjuncti Domino per bonum amoris, et quod non amplius futurum discidium inter internum seu spiritualem hominem et externum seu naturalem: quod futuri sint spirituales et non naturales ut prius, significatur per "pro aere adducam aurum, pro ferro argentum, et pro lapidibus ferrum;" "aes," "ferrum" et "lapides" significant naturalia, ac "aurum," "argentum" et "ferrum," quae loco illorum, significant spiritualia; "aurum" bonum spirituale, "argentum" verum illius boni, et "ferrum" verum spirituale naturale: quod per bonum amoris regnaturus sit Dominus, significatur per "Ponam praefecturam tuam pacem, et exactores justitiam;" "praefectura" significant regnum, "pax" Dominum, et "justitia" bonum ab Ipso: quod non dissidium

amplius futurum inter spiritualem hominem et inter naturalem, significatur per "Non audietur amplius violentia in terra tua, vastatio et confractio in terminis tuis;" per "violentiam" significatur dissidium, per "terram" internus spiritualis homo, quia ibi est ecclesia quae in genere per "terram" significatur; per "vastationem et confractiōnēm," quae "non amplius," significatur quod non mala et falsa; et per "in terminis" significatur in naturali homine, nam in illis quae ibi sunt terminantur spiritualia; quod per "vastationem et confractiōnēm" significantur mala et falsa, est quia mala vastant naturalem hominem et falsa confringunt illum.

[h.] Quoniam pax est apud illos qui in coniunctione boni et veri sunt a Domino, et quia malum destruit bonum et falsum verum, ita quoque pacem. Inde sequitur quod nulla pax sit apud illos qui in malis et falsis sunt; appareat quidem sicut sit pax apud illos quando illis in mundo succedunt, et quoque videntur sibi tunc sicut quod contento animo sint; sed pax illa apparens est solum in extremis eorum, interiorius tamen non est pax; cogitant enim de honore et lucro absque fine, et fovent animo astus, dolos, inimicitias, odia, vindictas, et plura similia, quae illis insciis discindunt et devorant interiora mentis eorum, et inde quoque interiora corporis; hoc quod ita sit appareat luculentiter apud illos post mortem, quando in interiora sua veniunt; tunc illa jucunda animi eorum vertuntur in contraria (ut constare potest ex illis quae in opere *De Caelo et Inferno*, n. 485-490, ostensa sunt). Quod pax sit illis qui in bono et inde veris sunt, et non pax illis qui in malo et inde falsis, constare potest a sequentibus his locis:—Apud *Esaiam*,

"*Impii sicut mare impulsum, quando quiescere non potest, sed ejiciunt aquae ejus caenum et lutum[; non pax, inquit Deus meus, impiis]*" (lvii. 20, 21):

*apud eundem,*

"*Pedes eorum ad malum currunt, et festinant ad effundendum sanguinem innocentem, cogitationes eorum cogitationes iniquitatis, vastatio et confractio in semitis eorum; viam pacis non sciunt, neque iudicium in orbitis eorum, semitas suas perverterunt sibi, omnis qui calcat eam non cognoscit pacem*" (lix. 7, 8):

*apud Davidem,*

"*Nimium habitavit sibi anima [mea] cum osore pacis; ego pacem, sed cum loquor, illi ad bellum*" (Ps. cxx. 6, 7):

apud *Ezechielem*,

Prophetae "seducunt populum meum, dicendo Pax, cum non pax; et quando hic aedificat maceriem, illi ecce incrustantes eam inepto: .... prophetae Israëlis... vident visionem pacis cum non pax" (xiii. 10, 16):

apud *Jeremiam*,

"A minimo ad maximum omnes student usurae, a propheta usque ad sacerdotem quivis facit mendacium, et sanant confractiōnēm filiae populi mei per nullius ponderis verbum, dicendo, Pax, pax, cum non sit pax" (viii. 10, 11):

apud *eundem*,

"Vox clamoris pastorum, et ejulatus potentium gregis, quia vastans Jehovah pascuum <sup>[1]</sup> eorum, unde devastatae sunt caulae pacis propter ardorem irae Jehovahe" (xxv. 36, 37):

apud *Davidem*,

"Non integritas in carne mea propter indignationem tuam, non pax in ossibus meis propter peccatum meum" (Ps. xxxviii. 4 [B.A. 3]):

in *Threnis*,

"Satiavit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio;....et remota est a pace anima mea, oblitus sum boni" (iii. 15, 17):

praeter alibi. Quoniam pax in sua prima origine est ex unione Ipsius Divini ac Divini Humani in Domino, et inde a Domino in conjunctiōne Ipsius cum caelo et cum ecclesia, et apud unumquemque ibi in conjunctiōne boni et veri, ideo *Sabbatum*, quod fuit sanctissimum ecclesiae repraesentatiūm, dictum est a quiete seu pace; et ideo quoque sacrificia, quae dicta fuerunt "*pacifica*," mandata sunt

(De quibus videatur *Exod.* xxiv. 5; cap. xxxii. 6; *Levit.* iii. 3; cap. iv. 20, 26, 31, 35; cap. vi. 5 [B. A. 12]; cap. vii. 11; cap. xiv. 20, 21, 33; cap. xvii. 5; cap. xix. 5: *Num.* vi. 17: *Ezech.* xlvi. 15: *Amos* v. 22; et alibi):

et ideo de Jehovah dicitur quod

Ex holocaustis odoratus sit "odorem quietis" (*Exod.* xxix. 18, 25, 41: *Levit.* i. 9, 13, 17; cap. ii. 2, 9; cap. vi. 8, 14 [B. A. 15, 21]; cap. xxix. 12, 13, 18: *Num.* xv. 3, 7, 13; cap. xxviii. 6, 8, 13; cap. xxix. 2, 6, 8, 13, 36);

per "odorem quietis" significatur perceptio pacis.

**366. "Ut alii alios <sup>[2]</sup> occidant."**—Quod significet falsificationem seu extictionem veritatum, constat ex significatiōne "occidere," quod sit extinguere vera, nam per "occidere" in Verbo significatur occidere spiritualiter, seu occidere spirituale hominis aut animam ejus, quod est extinguere vera: quod etiam sit falsificare, est quia vera cum

falsificantur etiam extinguntur; per falsificationem enim fit alius intellectus eorum, ac verum est verum cuivis secundum intellectum de eo; amor enim et principium quae regnant in homine, trahunt omnia ad se, et applicant sibi, etiam ipsa vera; quare cum amor malus est aut principium falsum, tunc vera infectantur malo amoris aut falso principii, et sic extinguntur: hoc itaque est quod hic significatur per quod "alii alios occident." Quod hoc fiat quando bonum non est apud hominem, et magis quando bonum non est in doctrina ecclesiae ejus, constat ex praecedentibus, ubi dicitur "Cum aperuisset secundum sigillum, exivit equus rufus, et sedenti super illo datum est tollere pacem de terra;" per quae significatur secundus status ecclesiae, qui est quando intellectus Verbi deperditus sit quoad bonum, unde dissidia in ecclesia (de quibus videatur supra, n. 361, 364, 365). Quod intellectus Verbi, seu quod idem, intellectus veri, deperditus sit quando apud hominem non est bonum, hoc est, quando non est amor in Dominum et charitas erga proximum, videatur supra (n. 365<sup>[a]</sup>): bonum enim apud hominem, seu quod idem, amor apud illum, est ignis vitae ejus, et verum apud illum seu fides veri, est lux inde; quapropter quale est bonum seu qualis est amor apud illum, tale est verum seu talis est fides veri apud illum. Inde constare potest, si malum est apud illum seu amor malus, quod non verum sit apud illum, seu quod non fides veri; lux enim quae ex illo igne exit, est qualis est lux illis qui in inferno sunt, quae est lux fatua, sicut lux ex carbonibus ignitis, quae lux influente luce e caelo vertitur in meram caliginem. Talis etiam est lux quae vocatur lumen naturale apud malos, quum ratiocinantur contra res ecclesiae. Quod falsificaturi sint vera, et per id extincturi illa, etiam intelligitur per Domini verba apud *Matthacum*,

Jesus dixit discipulis, "Tradet frater fratrem..., pater filium, insurgent liberi contra parentes, et morti dabunt illos" (x. 21):

*et apud Lucam,*

"Trademini a parentibus, et fratribus, et cognatis et amicis, et morti dabunt ex vobis" (xxi. 16):

per "parentes," "fratres," "liberos," ["cognatos"] et "amicos" non intelliguntur ibi parentes, fratres, liberi, cognati, amici, nec per "discipulos" intelliguntur discipuli, sed bona

et vera ecclesiae, ac mala et falsa; et quod mala exstinctura sint bona, et quod falsa vera. (Quod illa per ea nomina significantur, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 10490.)

**367. "Et data ei machaera magna."**—Quod significet *per falsa*, constat ex significatione "machaerae" seu "gladii," quod sit verum pugnans contra falsum, et in opposito sensu falsum pugnans contra verum, ac destrucción ejus (de qua supra, n. 131); hic falsum pugnans contra verum ac destruens illud, nam praecedit, "ut alii alias occidant," per quod significatur falsificatio et extinctio veritatum. Dicitur in Verbo "gladius," "machaera," et "romphaea," et per "gladium" significatur in genere pugna illa, per "machaeram" pugna veri ex bono ac falsi ex malo, ac per "romphaeum" pugna veri ex doctrina contra falsum ac falsi ex doctrina contra verum; "machaera" enim est *brachii*, ac "romphaea" dicitur *exire ex ore*,

Ut *Apoc.* i. 16; cap. ii. 12, 16; cap. xix. 15, [1]21.

#### VERSUS 5, 6.

**368.** "Et cum aperuisset tertium sigillum, audivi tertium animal dicens, Veni et aspice: et vidi, et ecce equus niger; et sedens super illo habens stateram in manu sua. Et audivi vocem in medio quatuor animalium, dicentem, *Choenix tritici denario, et tres choenices hordei denario; et oleum et vinum ne laeseris.*"

5. "*Et cum aperuisset tertium sigillum,*" significat *praedictionem de statu adhuc succidente apud illos qui ab ecclesia ubi Verbum* [n. 369]; "*audivi tertium animal dicens,*" significat *e caelo intimo a Domino* [n. 370]; "*Veni et aspice,*" significat *attentionem et perceptionem* [n. 371]; "*et [vidi, et] ecce equus niger,*" significat *intellectum Verbi desperditum quoad verum* [n. 372]; "*et sedens super illo habens stateram in manu sua,*" significat *aestimationem veri ex Verbo in illo statu ecclesiae* [n. 373].
6. "[*Et audivi vocem in medio animalium dicentem,*] *Choenix tritici denario, et tres choenices hordei denario,*" significat *quod genuinum bonum ecclesiae sit illis nihil, et quoque genuinum verum ecclesiae* [n. 374]; "*et oleum et vinum ne laeseris,*" significat *quod provisum sit ne damnum inferatur sensui interno seu spirituali Verbi, nec quoad bonum nec quoad verum* [n. 375, 376].

**369.** [Vers. 5.] "*Et cum aperuisset tertium sigillum.*"—Quod significet *praedictionem de statu adhuc succidente apud illos qui ab ecclesia ubi Verbum*, constat ex illis quae supra (n. 351, 352, 361) dicta sunt: agitur enim in hoc et in sequente capite de statu Ecclesiae Christianae seu ecclesiae ubi est Verbum, a principio ad finem, seu a tempore Domini usque ad ultimum judicium; ecclesia enim nova, quae Christiana vocatur, incohata est a Domino cum in mundo fuit, et

postquam propagata est, decrevit successive usque ad hoc tempus, quod est ultimum ejus, quo judicium. Praedictiones de his successivis ecclesiae statibus manifestantur hic sicut ex libro per varia repraesentativa; sed sciendum est quod praedictiones tales non visae et lectae sint in libro, postquam sigilla ejus aperta sunt, sed manifestatae per caelos a Domino coram angelis intimi caeli, quae in ultimis caeli repraesentatae sunt per talia quae in hoc capite memorantur; nempe, per equos varii coloris, et dein per terrae motus, solis et lunae obscurations, et stellarum lapsus in terram: sed haec erant apparentiae coram angelis ultimi caeli, et significant illa quae audita et percepta sunt in intimo caelo, ubi non tales apparentiae fuerunt: nam quicquid in intimo caelo auditur, cogitatur et percipitur a Domino, hoc cum descendit per caelum medium ad ultimum, vertitur in tales apparentias. Ita coram ultimi caeli angelis promulgantur arcana sapientiae Divinae: illi qui ibi intelligentes sunt, percipiunt arcana illa ex correspondentiis; at infimi illorum non percipiunt, sed modo sciunt quod inibi sint arcana, nec ultra inquirunt; cum his fuit Johannes cum in spiritu seu in visione. Haec dicta sunt, ut sciatur quomodo Verbum conscriptum sit, quod nempe ex talibus quae visa et audita sunt in ultimis caeli, ita ex meris correspondentiis et repraesentativis, in quorum singulis latent innumerabilia et ineffabilia arcana sapientiae Divinae.

**370. "Audivi tertium animal dicens."**—Quod significet *e caelo intimo a Domino*, constat ex illis quae supra (n. 353 et 362) dicta sunt, ubi similia. Quod quatuor animalia seu quatuor cherubi unus post alterum locuti sint, est quia illa quae dixerunt correspondent ex opposito; primus enim cherubus erat similis leoni, secundus similis vitulo, tertius quoad faciem sicut homo, et quartus similis aquilae volanti; et per "leonem" significatur potentia (videatur supra, n. 278), per "vitulum" significatur bonum (n. 279), per "hominem" sapientia (n. 280), et per "aquilam" intelligentia (n. 281); quare cum primum animal, quod erat simile leoni, locutum est, describitur primus status eorum qui ab ecclesia, quod ibi tunc esset pugna ex Divino Vero (videatur supra, n. 355-359), nam per "leonem" significatur potentia quae est Divino Vero: cum secundum animal locutum est, quod erat simile vitulo, describitur secundus status eorum qui ab ecclesia,

quod nempe bonum sit deperditum (*videatur n. 361-367*) ; per "vitulum" enim significatur bonum ecclesiae : cum tertium animal locutum est, quod erat quoad faciem sicut homo, describitur tertius status eorum qui ab ecclesia, qui erat quod non amplius verum quia non bonum, proinde non amplius aliqua sapientia, nam omnis sapientia est veri ex bono ; per "hominem" enim significatur sapientia : et cum quartum animal locutum est, quod erat simile aquilae volanti, describitur quartus status eorum qui ab ecclesia, quod essent in malis et inde falsis, ita non in aliqua intelligentia ; per "aquilam" enim significatur intelligentia. Ex his patet quod quatuor animalia ordine locuta sint secundum correspondentias ex opposito.

**371.** "*Veni et aspice.*"—Quod significet attentionem et perceptionem, constat etiam ex illis quae supra (n. 354) explicata sunt, ubi similia verba.

**372[a].** "*Et [vidi et] ecce equus niger.*"—Quod significet intellectum Verbi deperditum quoad verum, constat ex significatione "equi," quod sit intellectus (*de qua supra, n. 355*) ; et ex significatione "nigri," quod sit non verum ; ita per "equum nigrum" significatur intellectus deperditus quoad verum. Quod "niger" significet non verum, est quia "album" significat verum ; quod "album" dicatur de vero, et significet illud, *videatur supra* (n. 196). Quod "album" dicatur de vero et significet illud, est quia album originem dicit ex candore lucis, et "lux" significat verum ; et quod "nigrum" dicatur de non vero et significet illud, est quia nigrum originem dicit ex tenebris seu ex privatione lucis ; et "tenebrae," quia existunt ex privatione lucis, significant ignorantiam veri. Quod "equus niger" hic significet intellectum Verbi deperditum quoad verum, etiam patet ex significatione "equi rufi," (*de quo supra,*) quod sit intellectus deperditus quoad bonum ; in ecclesia etiam successu temporis primum perit bonum, et dein verum, et tandem loco boni succedit malum, et loco veri falsum ; hic ultimus status ecclesiae intelligitur per "equum pallidum," *de quo in sequentibus.* Quod "nigrum" significet non verum, constat quoque ex aliis locis in Verbo, ubi dicitur :—*Ut apud Micham,*

"Nox vobis pro visione, et tenebrae orientur vobis pro divinatione ; et occidet sol super prophetis, et nigrescit super iis dies" (iii. 6) :

per "prophetas," de quibus hic agitur, significantur illi qui in veris doctrinae sunt, et abstracte a personis vera doctrinae; quod illi qui per "prophetas" intelliguntur mala visuri, et falsa divinaturi, significatur per "Nox vobis pro visione, et tenebrae orientur vobis pro divinatione;" quod non scituri bonum nec verum, significatur per "Occidet sol super prophetis, et nigrescet super iis dies;" "sol" significat bonum amoris, et "dies" verum fidei, et "nigrescere" quod non videatur et sciatur. Apud *Ezechielem*,

"Quin obtegam, cum extinxero te, caelos, et atrabo stellas eorum; solem nube obtegam, et luna non lucere faciet lumen suum" (xxxii. 7):

haec de Pharaone rege Aegypti, per quem significatur scientificum applicatum falsis, quod fit quando naturalis homo ex scientiis intrat in spiritualia, et non vicissim; id quia contra ordinem est, pro veris arripiuntur et confirmantur falsa: quod tunc non influat aliquid e caelo, significatur per "obtegam caelos;" et quod tunc nullae cognitiones veri, significatur per "atrabo stellas eorum," "stellae" enim sunt cognitiones veri; quod inde non bonum amoris et non verum fidei, significatur per "solem nube obtegam, et luna non lucere faciet lumen suum;" per "solem" significatur bonum amoris, et per "lunam" verum fidei. (Quod per "solem" et "lunam" illa significantur, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 116-125.)

[*b.*] Similia significantur per "solem," "lunam" et "stellas" apud *Foelem*,

"Coram illo commota est terra, contremuerunt caeli, sol et luna atrati sunt et stellae contraxerunt splendorem suum" (ii. 10; cap. iv. [B. A. iii.] 15);

et similia in *Apocalypsi*,

"Sol factus est niger, tanquam saccus cilicinus, et luna facta est tanquam sanguis" (vi. 12):

quid in specie per haec significatur, videbitur in sequentibus. Apud *Ezechielem*,

"In die quo descensurus est in infernum, . . . obtegam super eo abyssum, et inhibebo flumina ejus, ut occiudantur aquae magnae, et atrabo super eo Libanum, et omnes arbores agri super eo languescent" (xxxii. 15):

agitur ibi de Aschure, qui ibi assimilatur cedro; et per "Aschurem" ibi significatur ratiocinatio de veris ecclesiae

ex propria intelligentia, et per "cedrum" verum ecclesiae spiritualis; quod sic periturae omnes cognitiones veri, et cum illis omnia vera quae sapiunt ex bono et inde suam essentiam habent, significatur per omnia illa verba: "abyssus" quae super illo obtegetur, et "flumina" quae inhibebuntur, sunt cognitiones veri ac inde intelligentia; "abyssus" aut "mare" significat scientificum et cognitivum in communi quod in naturali homine, et "flumina" significant illa quae sunt intelligentiae: "aquaee magnae" quae occludentur, significant vera quae sapiunt ex bono et inde essentiam trahunt; "aquaee" sunt vera, et "magnum" in Verbo praedicatur de bono: "Libanus" qui "super eo atrabitur," et "arbores" quae "super eo languescent," significat quod vera ecclesiae amplius nulla erunt, et quod cognitiones erunt absque perceptione veri; "Libanus" enim significat ecclesiam quoad vera, ita quoque vera ecclesiae, simile ac "cedrus;" et "arbores agri" significant ecclesiam quoad cognitiones veri, ita quoque cognitiones veri ecclesiae, "arbores" ipsas cognitiones, et "ager" ecclesiam; inde patet quod "atratre Libanum" significet quod non amplius vera ecclesiae. In *Threnis*,

"Albi erant Naziraei p[re]a nive, candidi erant p[re]a lacte; . . . obscurata est p[re]a nigredine forma eorum, non cognoscuntur in plateis" (iv. 7, 8):

quid haec significant nemo scire potest, nisi sciat quid Naziraei repreäsentabant; "Naziraei" repreäsentabant Dominum quoad Divinum caeleste; et quia omnia statuta ecclesiae tunc repreäsentabant talia quae caeli et ecclesiae sunt, ita quae Domini, nam a Domino sunt omnia caeli et ecclesiae, et quia principale repreäsentativum Domini erat Naziraeatus, inde per illa verba significatur quod omne repreäsentativum Domini perierit. Genuinum repreäsentativum Domini describitur per "Albi erant Naziraei p[re]a nive, et candidi erant p[re]a lacte," per quae significatur repreäsentativum Divini Veri et Divini Boni in sua perfectione; "album" enim praedicatur de vero, similiter "nix;" et "candidum" de bono veri, similiter "lac:" quod omne repreäsentativum Divini Veri deperditum sit, describitur per "Obscurata est p[re]a nigredine forma eorum, non cognoscuntur in plateis;" "forma" significat quale veri, "nigredo" significat non amplius apparens, "plateae" significant vera doctrinæ, et

“non cognosci in illis” significat non recognosci a genuinis veris. Quid porro per “Naziraeos” significatur, dicetur alibi. Apud *Jeremiam*,

“Vastitas erit tota terra, consummationem tamen non faciam; propter hoc lugebit <sup>[1]</sup>terra, et atrati erunt caeli desuper” (iv. 27, 28):

“vastitas erit tota terra,” significat quod bonum et verum in ecclesia peritum (“terra” est ecclesia); “consummationem tamen non faciam” significat quod usque aliquid boni et veri remansurum; “propter hoc lugebit terra” significat imbecillitatem ecclesiae inde; “atrati erunt caeli desuper” significat non aliquem influxum boni et veri a Domino per caelum; caeli enim dicuntur “atrati,” quando non influit a Domino per caelum aliqua affectio et perceptio veri. Quoniam luctus in ecclesiis ante adventum Domini, quae erant ecclesiae repraesentativae, repraesentabat dolorem mentis spiritualem ob non verum et bonum, (luctus enim erat propter oppressionem ab hoste, propter mortem patris aut matris, et propter similia, et per oppressionem ab hoste significabatur oppressio a malis quae ab inferno, et per patrem et matrem significabatur ecclesia quoad bonum et quoad verum,) quia haec repraesentabantur per luctus apud illos, ideo tunc incedebant atrati:—Ut apud *Davidem*,

“Dico Deo petrae meae, Quare oblitus es mei? quare atratus incedam in oppressione hostis?” (Ps. xlvi. 10 [*B. A.* 9]; Ps. xlvi. 2):

apud eundem,

“Quasi lugens matrem atratus incurvavi me” (Ps. xxxv. 14):

apud eundem,

“Eversus sum, incurvatus sum valde, tota die atratus incessi” (Ps. xxxviii. <sup>[2]</sup>7 [*B. A.* 6]).

apud *Malachiam*,

“Dixistis, . . . Quid lucri, . . . si ambulemus atrati coram Jehovah?” (iii. 14)

apud *Jeremiam*,

“Super confractione filiae populi mei confractus sum, atratus sum” (viii. 21);

“filia populi” significat ecclesiam. Apud *Jeremiam*,

“Luxit Iudeah, et portae ejus languescentes factae sunt; atrati sunt usque ad terram; et clamor Hierosolymae ascendit; nam magnates eorum miserunt minores suos aquae causa, venerunt ad foveas, nec invenerunt aquas, reversa sunt vasa eorum vacua” (xiv. 2, 3):

quod "atratus" significet dolorem mentis spiritualem ob non verum in ecclesia, patet a singulis ibi in sensu interno; per "Jehudam" enim significatur ecclesia quoad affectionem boni, et per "Hierosolymam" ecclesia quoad doctrinam veri; per "portas" significatur aditus ad illa; quod non vera amplius, describitur per quod "magnates miscerint minores suos aquae causa, venerunt ad foveas, nec invenerunt aquas, réversa sunt vasa eorum vacua;" "aqua" significant vera, "foveae" illa quae continent, quae sunt doctrinalia ex Verbo ac ipsum Verbum, in quo non amplius vera vident. Ex his constare potest quod "nigrum" et "atrum" in Verbo significet non verum, similiter ac "tenebrae," "nubes," "obscuritas," et plura ex quibus nigredo: ut apud *Joelem*,

"Dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et obscuritatis" (ii. 2):

et alibi.

**373. "Et sedens super illo habens stateram in manu sua."**—

Quod significet aestimationem veri ex Verbo in illo statu ecclesiae, constat ex significatione "sedentis super equo," quod sit Verbum (ut supra, n. 355<sup>[a,c]</sup>, 356, 365<sup>[a]</sup>); et ex significatione "staterae in manu," quod sit aestimatio veri inde; omnes enim mensurae et ponderationes, quae memorantur in Verbo, significant aestimationem rei de qua agitur quoad bonum et quoad verum; numeri adjuncti determinant aestimationem quoad ejus quale et quantum, ut hic "choenix tritici denario et tres choenices hordei denario," de quibus sequitur. Mensurae in ecclesia repraesentativa erant plures, sicut omer, chomer, ephah, bathus, hin (de quibus videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 10262); et praeterea erant staterae, lances seu librae, per quas fiebant trutinationes et ponderationes, et per has in specie significantur aestimationes rei quoad verum; quare etiam pondera lancium erant lapides seu ex lapide, per "lapides" enim in Verbo significantur vera.

Quod pondera fuerint lapides seu ex lapide, constat ex *Levit.* xix. 36; *Deut.* xxv. 13; *2 Sam.* xiv. 26; *Esai.* xxxiv. 11; *Sach.* iv. 10.

(Quod "lapides" in Verbo significant vera, videatur n. 643, 3720, 6426, 8609, 10376.) Quapropter hic per "stateram in manu sedentis super equo nigro" significatur aestimatio veri ex Verbo. Quod "sedens super equis," tam "super equo albo," quam "super rufo," "nigro" et "pallido," significet Verbum, et per "equos"

secundum colores eorum intellectus ejus, per "equum rufum" intellectus Verbi deperditus quoad bonum, et per "equum nigrum" intellectus Verbi deperditus quoad verum, supra ostensum est: sed quia aegre capi potest quod "sedens super equis" significet Verbum, quia per "equos rufum et nigrum" significatur intellectus Verbi deperditus quoad bonum et quoad verum, quare dicetur quomodo cum hoc se habet:—Verbum in se est ipsum Divinum Verum, sed intellectus ejus est secundum statum hominis qui legit. Homo qui non in bono est, nihil boni ibi appercipit; et homo qui non in veris est nihil veri ibi videt; quare causa non est in Verbo sed in legente illud. Inde patet quod usque "sedens super equis" significet Verbum, tametsi "equi" significant intellectum Verbi deperditum quoad bonum et quoad verum. Quod "sedens super equo albo" significet Verbum, constat manifeste in *Apocalypsi*, ubi dicitur,

Vocatur nomen sedentis super equo illo "Verbum Dei" (cap. xix. 13).

Quod per "stateram" seu "lances" significetur aestimatio, et quoque justa ordinatio, quae fit per vera, constat apud *Danielem*,

Apparuit scriptura in pariete coram Belschazare rege Babelis, cum biberat ex vasis auri et argenti Templi Hierosolymitani, "Mene Mene, Thekel, et Perezin," hoc est, Numeratus Numeratus, Appensus, Divisus. "Haec interpretatio illorum verborum est: Mene, numeravit Deus regnum tuum et finivit illud; Thekel, appensus es in trutina et deprehensus deficiens; Perez, divisum est regnum tuum, et datum Medo et Persae" (v. 25-28):

describitur per hoc historicum in sensu interno profanatio boni et veri, quae significatur per "Babel;" Belschazar enim erat rex in Babele, et per "regem" in Verbo simile significatur quod per ipsam gentem aut per ipsum regnum cui praeest: profanatio boni et veri ecclesiae significatur per quod "biberit ex vasis auri et argenti Templi Hierosolymitani, et simul laudaverit deos auri, argenti, aeris, ferri, ligni et lapidis" (vers. [3.] 4 ibi); per "vasa Templi Hierosolymitani aurea et argentea" significatur bonum et verum caeli et ecclesiae, per "aurum" bonum, et per "argentum" verum; et per "laudare deos auri, argenti, aeris, ferri, ligni et lapidis," significatur cultus idololatricus omnis generis, ita cultus externus absque ullo interno,

qualis est apud illos qui intelliguntur per "Babelem:" quod nulla prorsus ecclesia apud illos sit, quia nihil boni et nihil veri ecclesiae ibi est, significatur per scripturam e caelo; nam per "numeratus numeratus" significatur exploratio quoad bonum et quoad verum; per "appensus in trutina" significatur aestimatio secundum quale eorum ac judicium; et per "divisus" significatur dissipatio, exterminatio, et separatio a bono et vero ecclesiae; et per "regnum" significatur ecclesia; inde patet, quod [per] "appendi in trutina" seu "statera" significetur aestimatio secundum quale ejus; (quod "dividere" significet dissipare, exterminare, et separare a bono et vero, videatur n. 4424, 6360, 6361, 9093;) quod regnum sit ecclesia, est quia regnum Domini est ubi ecclesia; quapropter illi qui ab ecclesia sunt, vocantur "Filii regni" (*Matth. viii. 12; cap. xiii. 38*). Apud *Esaiam*,

"Quis mensus est pugillo suo aquas, et caelos spithama exaequavit, complexusque est in trientali pulverem terrae, et appendit in libra montes, et colles in lancibus?" (*xl. 12*:

describitur per "mensuras" hic justa ordinatio et aestimatio omnium in caelo et in ecclesia secundum quale boni et veri; mensurae hic sunt "pugillus," "spithama," "triental," "libra" et "lances;" per "aqua" significantur vera, per "caelos" interiora seu spiritualia vera et bona, per "pulverem terrae" exteriora seu naturalia vera et bona, utraque caeli et ecclesiae; per "montes" bona amoris, per "colles" bona charitatis, et per "appendere" aestimare et ordinare secundum quale eorum: quod haec significantur per illa verba, nemo videre potest nisi ex scientia correspondiarum. Quoniam justa aestimatio et exploratio boni et veri significatur per "mensuras" in Verbo, ideo praceptum est ut mensurae essent justae, et non aliqua fraus circa illas, apud *Mosen*,

"Non facietis perversitatem in iudicio, in mensura, in pondere, et in dimensione; librae justae, lapides justi, ephah justa, et hin justus, erunt vobis" (*Levit. xix. 35, 36*):

et quoque ideo justitia, ubi per illam intelligitur aestimatio et exploratio hominum secundum quale boni et veri apud illos, passim in Verbo exprimitur per "lances," "stateras," "libras," "trutinas," et per "ephias," "omeres," "chomes," "seas," "hines"

(Ut apud *Hiobum*, cap. vi. 2; cap. xxxi. 6);

ac injustitia per “libras et lances fraudis et doli”

(Ut *Hosch.* xii. 8 [*B. A.* 7]; *Amos* viii. 5; *Mich.* vi. 11).

**374[a].** [Vers. 6.] “*[Et audivi vocem in medio quatuor animalium dicentem,] Choenix tritici denario, et tres choenices hordei denario.*”—Quod significet quod genuinum bonum ecclesiae illis sit nihili, et quoque genuinum verum ecclesiae, constat ex significatione “choenicis,” quae fuit mensura tritici et hordei apud Graecos, quod sit quale aestimationis; nam per “mensuras” in Verbo (ut in superiori articulo dictum est) significatur quale rei quoad bonum et quoad verum; ex significatione “tritici,” quod sit bonum ecclesiae in genere (de qua sequitur); ex significatione “hordei,” quod sit verum illius boni (de qua etiam sequitur); et ex significatione “denarii,” qui est aestimationis pretium, quod sit tanquam nihili: is nummus quia erat omnium minimus, inde per illum significatur pretium minimum, hic autem tanquam nihili. Causa est, quia per “equum rufum” (de quo supra) significatur intellectus Verbi deperditus quoad bonum, et per “equum nigrum” intellectus Verbi deperditus quoad verum (supra, n. 364 et 372); et cum intellectus Verbi quoad bonum et quoad verum deperditus est, tunc genuinum bonum ac genuinum verum ecclesiae aestimatur tanquam nihili. Quod aestimetur hic pro “denario,” est quia aliquis nummus assumendus erat, ut aliquid pretii diceretur in sensu litterae, quia dicitur quod “statera esset in manu sedentis super equo,” ac quod “triticum et hordeum mensurarentur;” ideo is nummus qui erat omnium minimus, pro aestimationis pretioassumptus est; et quia intellectus Verbi quoad bonum et quoad verum non amplius est, ideo per “denarium” hic in sensu spirituali significatur tanquam nihili. Quod dicatur “choenix tritici et tres choenices hordei,” est quia “unum” praedicatur de bono, ac “tria” de veris; ac per “unum” cum de bono significatur perfectum, ita quoque genuinum, et per “tria” cum de veris significatur plenum, ita quoque genuinum; inde est quod per “choenix tritici et tres choenices hordei” significetur genuinum bonum et genuinum verum ecclesiae. Quod “triticum” significet bonum, et “hordeum” verum ejus, est quia omnia quae agri sunt, significant illa quae ecclesiae sunt; et illa quae agri sunt, ut messes varii generis, inserviunt esui; ac quae esui sunt et nutriunt corpus, sig-

nificant in spirituali sensu talia quae nutriunt animam seu mentem, quae omnia se referunt ad bonum amoris et ad verum fidei; inde imprimis "triticum" et "hordeum," quia ex illis panis. (Quod "cibi" omnis generis significant cibum spiritualem, ita quae sunt scientiae, intelligentiae et sapientiae, proinde bonum et verum ex quibus illa, videatur n. 3114, 4459, 5147, 5293, 5340, 5342, 5410, 5426, 5576, 5582, 5588, [1]5655, [2]5915, [3]8408, 8562, 9003; in genere "panis," in opusculo *De Nova Hierosolyma*, n. 218; quod "ager" significet ecclesiam, n. 2971, 3766, 9139.)

[b.] Quod "triticum" et "hordeum" significant talia, est ex correspondentia, ut constare potest ex illis quae apparent in mundo spirituali, ubi omnes apparentiae sunt correspondentiae; apparent ibi campi, agri, messes varii generis, et quoque panes; unde scitur quod corresponsant, et consequenter quod secundum correspondentias significant. Quod "triticum" et "hordeum" significant bonum et verum ecclesiae, "triticum" bonum ejus et "hordeum" verum ejus, etiam constare potest ex locis in Verbo ubi nominantur, ut ex sequentibus:—Apud *Jeremiam*,

Jehovah "qui dispersit Israelem, congregabit eum, et custodiet eum sicut pastor gregem suum; quia redemit Jehovah Jacobum, et liberavit eum e manu fortioris illo: unde venient et canent in altitudine Zionis, et confluent ad bonum Jehovah, ad triticum, ad mustum, et ad oleum, et ad filios gregis et armenti; et fiet anima eorum sicut hortus irriguus" (xxxii. 10-12):

agitur ibi de instauratione ecclesiae novae; per "Israelem" et per "Jacobum" significatur illa ecclesia; per "Israelem" ecclesia spiritualis interna, et per "Jacobum" externa, nam omnis ecclesia est interna et externa: instauratio ejus describitur per quod "Jehovah congregabit eum, custodiet eum sicut pastor gregem suum, quia redemit Jacobum, et liberavit e manu fortioris illo;" per "redimere" significatur reformare (videatur supra, n. 328); per "manum fortioris illo" significatur e malo et falso, quae prius occupaverunt; gaudium internum seu gaudium cordis illorum oriundum ex bono caelesti et ex veris inde, significatur per "unde venient et canent in altitudine Zionis, et confluent ad bonum Jehovah, ad triticum, ad mustum, et ad oleum, et ad filios gregis et armenti;" "canere in altitudine Zionis" significat gaudium internum caeleste seu quale est in regno caelesti Domini, "canere" gaudium illud (videatur supra, n. 326), "altitudo" internum, et "Zion" regnum caeleste; "triticum" significat bonum naturalis hominis, "mustum" verum ejus, "oleum" bonum spiritualis hominis, "filii gregis" vera spiritualia, et

“filii armenti” vera naturalia ; haec quia significantur, vocantur “bonum Jehovae :” quod illis inde intelligentia et sapientia, significatur per “fiet anima eorum sicut hortus irriguus,” per “hortum” enim in Verbo significatur intelligentia, et per “irriguum” continue crescens : quod non ibi intelligantur triticum, mustum, oleum, filii gregis et armenti, patet, nam dicitur “redemit Jehovah Jacobum,” et quod “fiet anima eorum sicut hortus irriguus.” Apud *Joelcm*,

“Devastatus est ager, luxit terra, quia devastatum est frumentum, exaruit mustum, languet oleum ; pudefacti sunt agricolae, ejularunt vinitores, super tritico et super hordeo, eo quod perierit messis agri” (*i. 10-12*) :

haec non dicta sunt de agro et ejus sterilitate, sed de ecclesia et ejus vastatione ; quare per “agrum,” “terram,” “frumentum,” “mustum” et “oleum,” non illa intelliguntur, sed per “agrum” et per “terram” ecclesia, (per “agrum” ecclesia quoad receptionem et procreationem veri et boni, et per “terram” ecclesia quoad gentem ibi,) per “frumentum” bonum omnis generis in externo homine, per “mustum” verum etiam ibi, per “oleum” bonum in interno homine ; per “agricolas” qui pudefacti, et per “vinitores” qui ejularunt, super tritico et super hordeo, significantur illi qui ab ecclesia, et per “triticum” et per “hordeum” significatur bonum ejus et verum ejus ; et per “messem agri” quae inde periit, significatur omnis cultus ex illis. Apud *Jeremiam*,

“Super omnes colles in deserto venerunt vastatores, quia gladius Jehovae devourans a fine terrae usque ad finem terrae : non pax ulli carni ; severunt tritica, et spinas messuerunt” (*xii. 12, 13*) :

etiam haec dicta sunt de ecclesia et ejus vastatione ; per “colles in deserto” super quos “venerunt vastatores” significatur quod omne bonum charitatis perierit per mala et falsa ; “colles” in Verbo significant ubi bonum charitatis, et in sensu abstracto ipsum illud bonum, “desertum” significat ubi non illud quia non verum, et “vastatores” significant mala et falsa per quae bonum et verum pereunt : per “gladium Jehovae devourantem a fine terrae usque ad finem terrae” significatur falsum destruens omnia ecclesiae ; per “gladium devourantem” falsum destruens, et per “a fine terrae, usque ad finem terrae” significantur omnia ecclesiae : per “non pax ulli carni” significatur quod non amplius interna requies propter dominium mali et falsi : per “seve-

runt tritica, et spinas messuerunt" significatur quod pro bonis veri sint mala falsi; "tritica" sunt bona veri, et "spinae" sunt mala falsi. Apud eundem,

Ismael qui fuit de semine regni, occidit Gedaliam, quem fecerat rex Babelis praefectum in terra, et omnes Judaeos qui fuerunt cum eo, et Chaldaeos, tum viros ex Sichem, ex Schilunte et Samaria: "decem tamen viri inventi sunt inter eos, qui dixerunt ad Ismaelem, Ne occidas nos, quia sunt nobis abscondita in agro, tritica et hordea, et oleum et mel; ideo omisit eos nec occidit" (xli. 1-8):

per haec historica in sensu interno describitur damnatio eorum qui profanant sancta; per "Gedaliam" enim, quem rex Babelis praefectum fecit in terra, et per "Judaeos qui fuerunt cum eo," ac per "Chaldaeos," "viros ex Sichem, ex Schilunte et Samaria," intelliguntur illi qui profanant, ac in sensu abstracto omnis generis profanationes, nam "rex Babelis" significat profanationem boni et veri; damnatio eorum significatur per quod "occisi sint," per "occidi" enim significatur spiritualiter occidi (*videatur n. 315*); per "decem" autem "viros," qui dixerunt ad Ismaelem, "Ne occidas nos, quia sunt nobis abscondita in agro, tritica et hordea, et oleum et mel," intelliguntur illi qui non profanarunt sancta ecclesiae, quia illis bonum et verum intus est; qui enim profanant, illis nihil boni et veri intus est, sed modo extra cum loquuntur et praedicant; at illi qui non profanant est bonum et verum intus: hoc intelligitur per quod dixerint "esse illis abscondita in agro, tritica, hordea, oleum et mel;" per "tritica" et "hordea" significantur bona et vera externi hominis, per "oleum" significatur bonum interni hominis, et per "mel" ejus jucundum; per "decem viros" significantur omnes illi qui tales sunt, nam "decem" significant omnes et omnia: per quod "omiserit eos et non occiderit" significatur quod non profani, ita non damnati: per Ismaelem repraesentantur qui in genuinis veris ecclesiae sunt, quod etiam significatur per "semen regni" e quo erat. Talia involvunt haec historica, nam historica in Verbo aeque habent sensum internum ac prophetica.

[c.] Apud Mosen,

"Jehovah Deus tuus deducens te ad terram bonam, terram fluviorum aquae, fontium et abyssorum exeuntium e valle et e monte, terram tritici et hordei, et vitis et ficus, et malogranati, terram olivae olei et mellis" (*Deutr. viii. 7, 8*):

describitur ita terra Canaan in sensu litterae, at in sensu

spirituali describitur ecclesia Domini, quoniam haec per "terram Canaan" in hoc sensu significatur, et recensentur omnia genera boni et veri quae ecclesiae sunt; quod dicatur "terra fluviorum aquae," est quia "fluvii aquae" significant doctrinalia veri; per "fontes et abyssos exeuntes e valle et e monte" significantur interiora et exteriora vera ex Verbo, per "fontes" interiora vera inde, et per "abyssos" exteriora vera; haec dicuntur "ex valle exire" quia "vallis" significant inferiora et exteriora ubi talia, et illa dicuntur "ex monte exire" quia "mons" significant superiora et interiora ubi talia: per "terram tritici et hordei, et vitis et ficus, et malogranati," significatur ecclesia quoad bonum et verum omnis generis, "triticum et hordeum" significant bonum et verum ex caelesti origine, "vitis et ficus" bonum et verum ex spirituali origine, et "malogranatum" cognitiones boni et veri; et per "terram olivae olei et mellis" significatur ecclesia quoad bonum amoris et ejus jucundum. Qui non scit sensum spiritualem Verbi, is non aliter credit quam quod solum terra Canaan per illa verba describatur; unde foret Verbum modo naturale et non spirituale; et tamen Verbum ubi vis in sinu suo est spirituale, et spirituale est quum per verba illa intelliguntur spiritualia quae significantur, nempe bona et vera omnis generis. (Quid autem in specie per "fluvios," "fontes," "abyssos," "vallem," "montem," "vitem," "ficum," "malogranatum," "olivam," "oleum" et "mel" significatur, ostensum est in *Aceanis Caelestibus*, quae omnia adducere prolixum nimis foret; pleraque tamen ex illis ostensa sunt et ostendentur in hac super *Apocalypsin* explicatione, quac consulantur in suis locis.) *Apud Hiobum,*

"Si vim" terrae "comedi sine argento, et animam [dominorum] ejus exhalare feci, pro tritico exeat spina, et pro hordeo labrusca" (xxxii. 39, 40):

"vim terrae comedere sine argento" significant appropriare sibi bonum ecclesiae absque vero ("terra" est ecclesia, et "argentum" est verum); et "exhalare facere animam [dominorum] ejus" significant sic vitam spiritualem evacuare; "pro tritico exeat spina, et pro hordeo labrusca," significant quod pro bono habeatur malum, et pro vero falsum ("triticum" est bonum, "spina" malum, "hordeum" verum, et "labrusca" falsum); bonum enim non comparari potest nisi per vera. *Apud Esaiam,*

"Consummationem et decisionem audivi a cum Domino Jehovah Zebaoth, super universam terram; . . . . num toto die arabit arator ad

serendum, aperiet et occabit terram suam? nonne quando complanavit facies ejus, dispergit nigellam?...et reponit triticum mensuratum et hordeum designatum, et zeas designatas? ita erudit eum ad judicium, Deus ejus docet eum" (xxviii. 22, 24-26):

per haec in sensu spirituali describitur quod ecclesia apud gentem Judaicam et Israeliticam prorsus destructa sit, et quod nihil faciat quod discant et sciant Verbum, sed ut bonum et verum ejus usui vitae applicetur; inde et non aliunde intelligentia a Domino: quod ecclesia apud illam gentem prorsus destructa sit, intelligitur per "Consummationem et decisionem audivi a Domino Jehovih Zebaoth super universam terram;" "consummatio et decisio" est plenaria destructio, et "universa terra" est tota ecclesia, hoc est, omne ejus; quod nihil faciat quod discant et sciant Verbum, significatur per "Num toto die arabit arator ad serendum, aperiet et occabit terram suam?" "Arare ad serendum" est discere, et "occire terram" est reponere in memoria. Quod bonum et verum Verbi usui vitae applicandum sit, significatur per "Nonne quando complanavit facies ejus, dispergit nigellam, et reponit triticum mensuratum et hordeum designatum, et zeas designatas?" "Nonne quando complanavit facies terrae dispergit nigellam?" significat quando praeparavit per Verbum; "triticum mensuratum et hordeum designatum, et zea designatae?" significant applicare bonum et verum usui vitae ("triticum" est bonum, "hordeum" est verum, et "zea" sunt cognitiones): quod inde non aliunde intelligentia a Domino, significatur per "ita erudit ad judicium, Deus ejus docet eum;" "judicium" significat intelligentiam, "Deus ejus docet eum" significat quod a Domino. Apud *Mosen*,

Jehovah "equitare fecit eum super excelsis terrae, et cibavit proventu agrorum, sugere fecit eum mel e rupe, et oleum e saxo petrae; butyrum armenti et lac gregis cum adipe agnorum et arietum filiorum Baschanis et hircorum, cum adipe renum tritici, et <sup>[1]</sup>sanguinem uavarum bibis merum" (*Deutr. xxxii. 13, 14*):

haec dicta sunt de Ecclesia Antiqua post diluvium a Domino instaurata, quae in intelligentia et sapientia erat quia in bono charitatis et inde in fide; intelligentia eorum et sapientia a Domino significatur per quod "Jehovah equitare fecerit eum super excelsis terrae, et cibaverit proventu agrorum;" bona caelestia et spiritualia quae illis per vera, describuntur per quod "sugere fecerit eum mel e rupe, et

oleum e saxo petrac, butyrum armenti et lac gregis cum adipe agnorum et arietum filiorum Baschanis et hircorum, cum adipe renum tritici, et sanguinem uavarum bibis merum ;” “triticum” significat ibi in genere omne bonum, et “sanguis uavarum” ac “merum” omne verum inde. Apud *Davidem*,

“Utinam populus meus obediret Mihi, et Israel in viis meis ambularent, ... <sup>[v]</sup>cibarem eos adipe tritici, et e petra melle saturarem eos” (Ps. lxxxii. 14, 17 [B. A. 13, 16]):

per “adipem tritici,” et per “mel e petra,” quibus cibarentur et saturarentur, significatur bonum omnis generis ex bono caelesti, et jucundum ejus a Domino, per “adipem” enim significatur bonum caeleste, per “triticum” bonum omnis generis, per “mel” jucundum boni, et per “petram” Dominus; quod haec illis si vivant secundum praecepta Domini, intelligitur per “Utinam populus meus obediret Mihi, et Israel in viis meis ambularent ;” “viae” in Verbo significant vera et quoque praecepta, ac “ambulare” significat vivere. Apud eundem,

“Lauda, Hierosolyma, Jehovah ; collauda, Zion, Deum tuum ; nam firmat vectes portarum tuarum : benedicit filiis tuis in medio tui, qui ponit terminum tuum pacem, adipe triticorum satiat te” (Ps. cxlvii. 12-14) :

per “Hierosolymam” et “Zionem” intelligitur ecclesia, per “Hierosolymam” ecclesia quoad vera doctrinæ, et per “Zionem” ecclesia quoad bona amoris ; “qui ponit terminum tuum pacem” significat omnia caeli et ecclesiae, nam “terminus” significat omnia illa ; “adipe triticorum satiat te” significat omni bono amoris et sapientia, “adeps” enim significat bonum amoris, et “triticum” omnia quae ex illo, quae quia ex bono sunt etiam bona sunt ; quia haec significantur, ideo dicitur “adeps triticorum.”

[d.] Apud *Hoscheam*,

“Dixit Jehovah” ad prophetam, “Denuo abi, ama mulierem amatam socio et adulterantem, juxta amorem Jehovah erga filios Israelis, et hi respicientes ad deos alios, et amantes lagenas uavarum : et comparavi eam mihi per quindecim argenti, et corum hordeorum, et semicorum hordeorum” (iii. 1, 2) :

per hoc reprezentabatur Ecclesia Judaica et Israelitica qualis erat quoad doctrinam et cultum, quod nempe per traditiones vanas falsificaverit omnia Verbi, tametsi id ut sanctum coluerunt ; “mulier amata socio et adulterans”

quam propheta amaret, significat ecclesiam talem; "muller" ecclesiam, "amata socio et adulterans" falsificationem veri et adulterationem boni: "juxta amorem Jehovae erga filios Israelis, et hi respicientes ad deos alias," significat falsa doctrinæ et mala cultus; haec significantur per "respicere ad deos alias;" "amantes lagenas uavarum" significat Verbum in solo sensu litteræ, nam "vinum" significat vera doctrinæ ex Verbo, "uvae" bona ejus ex quibus vera, et "lagena" id quod continet; ita ultimum Verbi sensum, qui est sensus litteræ, quem applicant suis falsis et malis: quod "comparaverit sibi illam per quindecim argenti" significat exiguo pretio; "quindecim" significant exiguum: "corus hordeorum et semicorus hordeorum" significat tam parum boni et veri ut vix aliquid. Apud *Matthæum*,

Johannes de Jesu, "Ille vos baptizabit spiritu sancto et igne, cuius ventilabrum in manu Ipsius, et per purgabit aream suam, et colliget triticum in horreum, paleam autem comburet igne inextinguibili" (iii. 11, 12):

per "baptizare spiritu sancto et igne" significatur reformatre ecclesiam et regenerare hominem ecclesiae per Divinum Verum et Divinum Bonum; "baptizare" significat reformatre et regenerare, "spiritus sanctus" Divinum Verum procedens ab Ipso, et "ignis" Divinum Bonum Divini Amoris Ipsius: per "triticum" quod colliget in horreum, et per "paleam" quam comburet igne inextinguibili, significatur bonum omnis generis quod ex origine caelesti quod in aeternum conservaturus, ita eos qui in illo sunt, et falsum omnis generis quod ex origine infernali quod destructurus, ita eos qui in illo sunt; et quia dicitur "triticum," "horreum" et "palea," etiam dicitur "ventilabrum" et "area," ac per "ventilabrum" significatur separatio, ac per "arcam" ubi separatio fit. Apud eundem,

Jesus dixit, "Simile est regnum caelorum homini seminanti bonum semen in agro suo, sed cum dormiverunt homines, venit ejus inimicus et seminavit zizania et abivit: quum vero germinavit herba, et fructum fecit, tunc apparuerunt etiam zizania: accedentes autem servi patris familias dixerunt illi, Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania? Hic tunc dixit illis, Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt, Visne ergo exeuntes colligamus ea? Ipse vero dixit, Non, ne forte colligentes zizania eradicetis simul cum illis triticum; sinite una crescere utraque usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus, Colligite prius zizania, et colligate ea in fasciculos ad comburendum ea, triticum vero congregate in horreum meum" (xiii. 24-30):

quid haec involvunt, patet manifeste ex sensu spirituali, nam singula ibi sunt correspondentiae; Dominus enim cum in mundo fuit per meras correspondentias locutus est, quia ex Divino; agitur ibi de ultimo judicio, quando separandi sunt boni a malis, ac boni venturi in caelum et mali in infernum: "semen bonum in agro," quod homo seminavit, significat ecclesiae vera quae ex bono sunt; "ager" significat ecclesiam ubi illa, et "seminare" significat influere ac recipere, ita quoque instruere: "homo qui seminavit" est Dominus per Verbum ubi omnia vera ecclesiae sunt: "cum dormiverunt homines, venit ejus inimicus et seminavit zizania et abivit," significat quod apud naturales homines falsa mali ab inferno influant et recipiantur, "dormire" enim significat vivere vitam naturalem absque spirituali (videatur supra, n. 187[a]), et "inimicus" significat infernum, et "zizania" significant mala falsi. Quid reliqua usque ad finem significant, constare potest ex illis quae in opusculo *De Ultimo Judicio* (n. 70) adducta sunt, involvunt enim arcana quae ibi exposita sunt; hic solum quod per "triticum" significetur bonum veri et inde illi qui in bono per vera sunt, ac per "zizania" malum falsi et inde illi qui in malo per falsa sunt. Quod illa dicta sint de ultimo judicio, constat ex sequentibus in eo capite, ubi dicitur,

"Qui seminat bonum semen est Filius hominis, ager est mundus, semen... sunt filii regni, zizania sunt filii mali, inimicus... est diabolus, messis consummatio saeculi" (vers. [37.] 38, 39):

"consummatio saeculi" est ultimum tempus ecclesiae quando judicium. Ex his locis ex Verbo allatis constare potest quod "triticum" significet bonum ecclesiae in genere, ac "hordeum" verum ejus.

**375[a]. "Et oleum et vinum ne laeseris."**—Quod significet quod pro visum sit ne damnum inferatur sensui interno seu spirituali Verbi, nec quoad bonum nec quoad verum, constat ex significatione "olei," quod sit bonum amoris (de qua sequitur); ex significatione "vini," quod sit verum illius boni, nam omne bonum habet suum verum, seu omne verum est boni, inde quale bonum tale verum; et ex significatione "laedere," quod sit damnum eis inferre. Quod sit sensus internus seu spiritualis Verbi quoad bonum et quoad verum qui hic in specie significatur per "oleum et vinum," constat ex eo, quod per "triticum et hordeum"

significetur bonum et verum aequa ac per "oleum et vinum;" sed per "triticum et hordeum" bonum et verum ecclesiae in genere, ita quae in sensu litterae Verbi; nam bona et vera quae in eo sensu Verbi sunt, bona et vera in generc sunt, includit enim sensus litterac sensum spiritualem, et inde bona et vera spiritualia; quare "triticum et hordeum" significant bona et vera ecclesiae in generc, quae sunt sensus litterae Verbi, at "oleum et vinum" bona et vera sensus interni seu spiritualis Verbi; haec sunt bona et vera interiora, illa vero exteriora. Quod sint bona et vera interiora et exteriora, illa in spirituali seu interno homine, haec in naturali seu externo, constare potest ex illis quae in opere *De Caelo et Inferno* dicta et ostensa sunt, quod nempe sint tres caeli, et quod intimum seu tertium caelum sit in bonis et veris intimis seu tertii gradus, quodque medium seu secundum caelum sit in bonis et veris inferioribus seu secundi gradus, et quod ultimum seu primum caelum sit in bonis et veris ultimis seu primi gradus. Bona et vera ultima seu primi gradus sunt qualia continentur in sensu litterae Verbi; quapropter qui in illo sensu manent, et inde faciunt sibi doctrinam, et vivunt secundum illam, in bonis et veris ultimis sunt: illi quoniam non vident interiora, ex causa quod non pure spirituales sint sicut angeli superiorum caelorum, sed spirituales naturales, usque in caelo sunt sed in ultimo; nam bona et vera quae hauserunt ex sensu litterae Verbi, et sunt apud illos, in se habent bona et vera interiora quae sunt sensus spiritualis Verbi, correspondent enim, et per correspondentiam unum faciunt. <sup>[1]</sup>Sit pro exemplo, qui ex sensu litterae Verbi credit, quod Deus irascatur, condemnat et dejiciat in infernum illos qui male vivunt; hoc tametsi in se non verum est, quoniam Deus nusquam irascitur, nec condemnat hominem et dejicit in infernum, usque tamen hoc apud illos qui bene vivunt, et ita credunt quia Verbum in littera sic dicit, a Domino acceptatur ut verum, quoniam verum intus in eo latet, quod etiam patet coram angelis interioribus, tametsi ipsi id non vident. Sit etiam pro exemplo, qui credit quod longaevus fiet si amat patrem et matrem, secundum praeceptum decalogi; ac si amat illos propterea, et bene vivit, is acceptatur similiter sicut credidisset ipsum verum, nescit enim quod per "patrem et matrem" intelli-

gatur in supremo sensu Dominus et regnum Ipsius, per "patrem" Dominus, et per "matrem" regnum Ipsius, et quod per "prolongari dies" seu longaeus fieri significetur felix in aeternum. Similiter in mille aliis. Haec dicta sunt ut sciatur quid intelligitur per bona et vera exteriora et per bona et vera interiora Verbi, quia per "triticum et hordeum" significantur bona et vera exteriora, hoc est, quae sunt sensus litterae Verbi, at per "oleum et vinum" significantur bona et vera interiora, hoc est, quae sunt sensus spiritualis Verbi.

[b.] Quod per "triticum et hordeum" significantur bona et vera exteriora, seu bona et vera sensus litterae Verbi, est quia sunt messis agri, et non inserviunt esui antequam fiant panes, ac per "panes" in Verbo significantur bona interiora; ita per "triticum et hordeum" talia ex quibus illa bona; talia etiam sunt bona et vera sensus litterae Verbi: quod autem per "oleum et vinum" significantur bona interiora, quae sunt sensus interni seu spiritualis Verbi, constare potest ex significatione illorum in Verbo, ut ex sequentibus patebit. Quod his "non damnum inferendum sit," est causa, ne illa profanentur; nam si scirentur et crederentur ac postea negarentur, aut quoque si viveretur contra illa, tunc profanarentur; et profanare bona et vera interiora est conjungere se cum caelo et simul cum inferno, quod est prorsus perdere vitam spiritualem; nam bona et vera quae creduntur, permanent, et quoque mala et falsa, quae per negationem aut per vitam contra illa, loco eorum succedunt; inde coniunctio boni et veri quae caeli sunt cum malis et falsis quae inferni sunt, quae non separari possunt, sed discerpi, et cum discepuntur, destruitur omne vitae spiritualis. Inde est quod profanatores post mortem non sint spiritus in forma humana, ut alii, sed mere phantasiae, et appareant sibi volare huc illuc absque aliqua cogitatione; et tandem separantur ab aliis, ac in infernum omnium infimum dejiciuntur: et quia non apparent in forma humana sicut alii spiritus, ideo non amplius de iis dicitur ille vel illa, sed *illud*, hoc est, non homo. (Sed plura de profanatione boni et veri videantur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 169, 172.)

[c.] Quoniam talis sors manet illos qui profanant bona et vera interiora caeli et ecclesiae, ideo sensus internus seu

spiritualis Verbi, in quo illa continentur, non apertus fuit Judaeis, quia si apertus, profanavissent; et ideo nec apertus fuit Christianis, quoniam etiam hi, si apertus, profanavissent; ideo etiam his sicut illis celatum fuit quod aliquis sensus internus seu spiritualis inesset sensui litterae, qui naturalis, Verbi; utque in ignorantia de illo essent, provisum est ut scientia correspondentiarum, quae fuit scientia primaria antiquis, deperdita sit, ita prorsus ut nec scitum sit quid correspondentia, et inde quid sensus spiritualis Verbi: est enim Verbum per meras correspondentias conscriptum, quare absque scientia illarum nec sciri potuit quid sensus internus. Hoc provisum est a Domino ne profanarentur ipsa genuina bona et vera, in quibus sunt caeli superiores. Quod autem sensus internus seu spiritualis Verbi hodie apertus sit, est quia ultimum judicium peractum est, et inde omnia in caelis et in infernis in ordinem redacta sunt, et sic a Domino provideri potest ne profanationes existant. Quod sensus internus seu spiritualis aperiretur postquam ultimum judicium peractum est, praedictum est a Domino in *Apocalypsi* (de qua re videatur in opusculo *De Equo Albo*). Quod non damnum inferretur sensui interno seu spirituali Verbi, etiam significatur per quod vestes Domini a militibus divisae fuerint, et non tunica quae erat inconsuta desuper texta pertotum (*Joh. xix. 23, 24*); per "vestes" enim Domini significatur Verbum, per "vestes quae divisae" Verbum in littera, per "tunicam" Verbum in sensu interno, et per "milites" illi qui militarent pro veris et bonis ecclesiae. (Quod "milites" significant illos, videatur supra, n. 64 fin.; et quod "vestes" in Verbo significant vera induentia bonum, et quod "vestes Domini" significant Divinum Verum, ita Verbum, etiam supra, n. 64, 195.)

[d.] Quod "oleum" significet bonum amoris, imprimis constare potest ex unctionibus apud filios Israelis, seu in ecclesia eorum, quae fiebant per oleum; omnia enim ecclesiae per illud inauguraruntur, et cum inaugurate fuerunt vocabantur sancta; prout altare et ejus vasa, tentorium conventus et omnia quae inibi, tum illi qui sacerdotio fungerentur ac eorum vestes, et insuper prophetae, et tandem reges. Quisque potest videre quod ipsum oleum non sanctificet, sed quod id significatur per "oleum," quod est bonum amoris in Dominum a Domino; hoc significatur per "oleum;" quapropter cum uncta aut uncti fuerint, ab eo momento repraesentabant; nam oleum inducebat re-

praesentationem Domini ac boni amoris ab Ipso; bonum enim amoris in Dominum a Domino est ipsum sanctum caeli et ecclesiae, omne namque Divinum per id influit; quare illa quae caeli et ecclesiae sunt, quae vocantur spiritualia, tantum sancta sunt quantum ex illo tenent. Causa repraesentationis sancti per oleum haec est: Solus Dominus quoad Divinum Humanum est *Unus Iehovae*, nam in Ipso ex conceptione erat ipsum Divinum Bonum Divini Amoris, et ex illo erat Humanum Ipsius ipsum Divinum Verum cum fuit in mundo, ac dein per unionem cum Ipso Divino in Se fecit illud quoque Divinum Bonum Divini Amoris; et quia omnia quae ecclesiae erant, repraesentabant Divina quae a Domino, ac in supremo sensu Ipsum Dominum, (erat enim ecclesia apud filios Israelis instituta ecclesia repraesentativa,) ideo oleum, per quod significabatur Divinum Bonum Divini Amoris, adhibebatur ad inducendum repraesentationes; ac postquam uncti aut uncti fuerunt, considerabantur ut sancta aut sancti; non quod aliqua sanctitas per id illis inesset, sed quod sanctitas in caelo per id repraesentaretur cum in cultu erant. Haec dicta sunt ut sciatur quod "oleum" significet bonum amoris.

[e.] Sed ut hoc melius pateat, velim ordine singula exponere, nempe,

- [i.] *Quod antiquis temporibus unixerint oleo lapides erectos in statuas;*
- [ii.] *Tum quod arma belli, ut scuta et clipeos;*
- [iii.] *Ac postea altare et omnia ejus vasa, ac tentorium conventus et omnia quae inibi;*
- [iv.] *Ac praeterea illos qui sacerdotio fungerentur, eorumque vestes;*
- [v.] *Et quoque prophetas;*
- [vi.] *Et tandem reges, qui inde "uncti" dicebantur.*
- [vii.] *Quod etiam usu communi receptum fuerit semet et alios ungere, ad testificandum animi laetitiam et benevolentiam.*
- [viii.] *Et quod inde pateat, quod "oleum" in Verbo significet bonum; "oleum sanctitatis," quod praeparatum erat pro ungendo illa quae inservirent pro cultu in ecclesia, Divinum Bonum Divini Amoris; et "oleum" in genere, bonum et ejus jucundum.*

(i.) Quod primum attinet, *Quod unixerint lapides erectos in statuas*, constat in *Libro Geneseos*,

"Mane surrexit Jacob in matutino, et sumpsit lapidem quem posuit sub capitalia sua, et posuit illum in statuam, et fudit oleum super caput ejus; et vocavit nomen loci illius Bethel; . . . et dixit, Si rediero in pace ad domum patris mei, . . . lapis hic quem posui statuam, erit domus Dei" (xxviii. 18, 19, [21,] 22).

Causa quod ita unixerint lapides, erat quia per "lapides" significabantur vera, ac vera absque bono non vitam spiritualem habent, hoc est, vitam a Divino; cum vero lapides oleo uncti erant, tunc repreäsentabant vera ex bono, ac in supremo sensu Divinum Verum procedens a Divino Bono Domini, qui inde dictus est "Lapis Israelis." Ipsi lapides erecti dicti fuerunt statuae, et habebantur sanctae; inde usus statuarum apud antiquos, et dein in eorum templis. Quia tunc lapis ille a Jacobo erectus repreäsentative sanctificatus erat, ideo vocabat Jacob nomen loci "Bethel," et dixit quod ille lapis esset "domus Dei." *Bethel* significat "domum Dei," et "domus Dei" significat ecclesiam quoad bonum, et in supremo sensu Dominum quoad Divinum Humanum suum (*Joh.* ii. 19–22). (Reliqua videantur explicata in *Arcanis Caelestibus*. Praeterea etiam ibi, Quod statuae ab antiquis erectae fuerint in signum, in testem et in cultum, n. 3727. Quod primitus fuerint sancti termini, n. 3727. Quod dein factae sint in cultum, n. 4580. Quid significarunt, n. 4580, 10643. Quod "lapides" significant vera, ac "Lapis Israelis" Dominum quoad Divinum Verum, n. 643, 1298, 3720, 6426, 8609, 9388, 9389, 10376. Quod fuderint oleum super caput statuae, seu unixerint illam, quod factum sit ut induceretur repreäsentativum veri ex bono, et sic adhiberetur in cultum, n. 3728, 4090.)

(ii.) *Quod unixerint arma belli, sicut scuta et clipeos, constat apud Esaiam,*

"Surgite principes, ungite scutum" (xxi. 5);

et in *Libro Secundo Samuelis*,

"Pollutus est clipeus heroum, clipeus Saulis non unctus est oleo" (i. 21).

Quod arma belli uncta fuerint, erat causa quia significabant vera pugnatio contra falsa; ac vera ex bono sunt quae valent contra illa, non autem vera absque bono: quapropter arma belli repreäsentabant vera per quae Ipse Dominus pugnat apud hominem contra falsa ex malo, quae sunt ex inferno. (Quod "arma belli" significant vera pugnatio contra falsa, videatur n. 1788, 2686, et supra, n. 131[a], 367: et quod "bella" in genere significant pugnas spirituales, n. 1664, 2686, 8273, 8295: ac "hostes" mala et falsa, in genere inferna, n. 2851, 8289, 9314.)

(iii.) *Quod unixerint altare et omnia ejus vasa, tum tentorium conventus, et omnia quae inibi, constat apud Mosen,*

Dixit Jehovah ad Mosen, "Unges" altare, "et sanctificabis illud" (*Exod.* xxix. 36);

*apud eundem,*

“Facies oleum unctio[n]is sanctitatis, . . . quo unges tentorium conven-tus, et arcam testimonii, et mensam et omnia vasa ejus, ac cande-labrum et omnia vasa ejus, et altare suffimenti, et altare holocausti et omnia vasa ejus, et labra, et basin: ita sanctificabis ea, ut sint sanctum sanctorum; omnis qui tetigerit ea, sanctificabit se” (*Exod.* xxx. 25-29; *cap. xl.* 9-11: *Levit.* viii. 10-12: *Num.* vii. 1):

causa quod ungerentur altaria, ac tentorium conventus cum omnibus quae inibi, erat, ut reprezentarent Divina et sancta caeli et ecclesiae, consequenter sancta cultus; nec reprezentare illa potuerunt nisi inaugurata fuissent per tale quod significabat bonum amoris; nam Divinum per bonum amoris intrat, et per illud adest, proinde etiam in cultu, et absque illo Divinum non intrat nec adest. (Quod altare esset praeципuum repreäsentativum Domini, ac inde cultus ex bono amoris, videatur n. 2777, 2811, 4489, 4541, 8935, 8940, 9388, 9389, 9714; et quod tentorium cum arca esset praeципuum repreäsentativum caeli ubi Dominus, n. 9457, 9481, 9485, 9594, 9632, 9596, 9784.)

(iv.) *Quod unxerint illos qui sacerdotio fungerentur, eorumque vestes, constat apud Mosen,*

“Sume oleum unctionis et effunde super caput” Aharonis, “et unges eum” (*Exod.* xxix. 7; *cap. xxx.* 30);

*apud eundem,*

“Indue Aharonem vestibus sanctitatis et unges eum, et sanctificabis eum, ut sacerdotio fungatur Mihi; . . . et filios ejus. . . . unges quemadmodum unxisti patrem; . . . et erit ut sit illis unctio eorum in sacerdotium saeculi in generationes eorum” (*Exod.* xl. 13-15);

*apud eundem,*

Moscheh “effudit de oleo. . . . super caput Aharonis, et unxit illum ad sanctificandum illum: . . . et dein sumpsit de oleo unctionis, et de sanguine qui super altari, et sparsit super Aharonem, super vestes ejus, super filios ejus, et super vestes filiorum ejus cum eo, et sanctificavit Aharonem, vestes ejus, filiosque ejus, et vestes filiorum ejus cum eo” (*Levit.* viii. [1]12, 30):

causa quod ungeretur Aharon, et quod ungerentur filii ejus, ipsaeque eorum vestes, erat, ut reprezentarent Dominum quoad Divinum Bonum et quoad Divinum Verum inde, Aharon Dominum quoad Divinum Bonum, ac filii ejus quoad Divinum Verum inde; ac in genere ut sacerdotium repreäsentaret Dominum quoad opus salvationis Ipsius. Quod ungerentur in vestibus (*Exod.* xxix. 29), erat quia “vestes” repreäsentabant spiritualia induentia. (Quod Aharon repreäsentaverit Dominum quoad Divinum Bonum, videatur n. 9806; quod filii ejus repreäsentaverint Dominum quoad Divinum Verum ex Divino Bono procedens, n. 9807; quod sacerdotium in genere repreäsentaverit Dominum quoad opus salvationis

Ipsius, n. 9809; quod vestes Aharonis et filiorum ejus repreaesentaverint spiritualia, n. 9814. [1]9942, [2]9952.) Quia inauguratio ad repreaesentandum fiebat per unctiōem, et per Aharonem et filios ejus repreaesentabatur Dominus et quod ab Ipso, ideo Aharoni et filiis ejus dabantur sancta filiorum Israelis, quae erant dona data Jehovah, et vocabantur "sublationes," et dicitur quod sint "unctio" aut "pro unctione," hoc est, quod sint repreaesentatio aut pro repreaesentatione Domini ac Divinorum quae ab Ipso; ut constat ex his apud *Mosen*,

"Pectus motitationis et armum sublationis accepi a cum filiis Israelis, . . . haec unctio Aharonis et unctio filiorum ejus de ignitis Jehovah, . . . quae [3]praecepit dare illis, quo die unixerat illos a cum filiis Israelis" (*Levit.* vii. 34-36);

et alibi apud eundem,

"Locutus est Jehovah ad Aharonem, Ecce dedi tibi custodiam sublationum mearum quoad omnia sancta filiorum Israelis, tibi dedi ea pro unctione et filiis tuis, in statutum saeculi; . . . omne munus eorum quoad omnem mincham eorum, quod omne sacrificium peccati et reatus, . . . omnem agitationem filiorum Israelis, . . . omnem adipem olei puri, et omnem adipem musti et frumenti, primicias eorum quas dabunt Jehovah, tibi dedi eas; . . . tum omne devotum in Israele, . . . omnem aperturam uteri, . . . ita omnem sublationem sanctorum. . . . In terra eorum non habebis hereditatem, nec pars tibi erit in medio eorum; Ego pars tua et hereditas tua in medio filiorum Israelis" (*Num.* [4]xviii. 8-20):

ex his constat quod unctio sit repreaesentatio, quoniam per unctiōem inaugarabant ad repreaesentandum; et quod per id significatum sit quod omnis inauguratio in sanctum caeli et ecclesiae sit per bonum amoris quod a Domino, et quod bonum amoris sit Dominus apud illos; quia ita est, dicitur, quod "Jehovah sit pars et hereditas ejus."

(v.) *Quod unixerint etiam prophetas*, constat ex *Libro Primo Regum*,

Dixit Jehovah ad Eliam, "Unge Chasaelem in regem super Syros, et Jehu...unge in regem super Israelem, et Elischam...unge in prophetam pro te" (*xix. 15, 16*);

et apud *Esaiam*,

"Spiritus Domini Jehovih super me, ideo unxit Jehovah me ad evangelizandum pauperibus" (*lxii. 1*).

Quod ungerentur prophetae, erat causa quia prophetae repreaesentabant Dominum quoad doctrinam Divini Veri, proinde quoad Verbum, nam Verbum est doctrina Divini Veri. (Quod prophetae doctrinam e Verbo repreaesentaverint et inde significa-

verint, videatur n. 2534, 7269; in specie Elias et Elischah, n. 2762, 5247 fin., 9372.) Quod Dominus quoad Divinum Humanum sit qui representatur, ita per quem unxit Jehovah, docet Ipse Dominus apud *Lucam* (cap. iv. 18-21).

(vi.) *Quod postea unixerint reges, et quod illi dicti fuerint "uncti Jehovahe,"* constat ex pluribus locis in Verbo

(Ut i *Sam.* x. 1; cap. xv. 1; cap. <sup>[1]</sup>xvi. 3, 6, 12; cap. xxiv. 7, 11 [*B. A.* 6, 10]; cap. xxvi. 9, 11, 16, <sup>[2]</sup>23: 2 *Sam.* cap. i. 16; cap. ii. 4, 7; cap. v. 3; cap. xix. 22: 1 *Reg.* i. 34, 35; cap. xix. 15, 16; 2 *Reg.* ix. 3; cap. xi. 12; cap. xxiii. 30: *Thren.* iv. 20: *Hab.* iii. 13: *Psalm.* ii. 2, 6; Ps. xx. <sup>[3]</sup>7 [*B. A.* 6]; Ps. xxviii. 8; Ps. xlvi. <sup>[4]</sup>8 [*B. A.* 7]; Ps. lxxxiv. <sup>[5]</sup>10 [*B. A.* 9]; Ps. lxxxix. <sup>[6]</sup>21, 39, 52 [*B. A.* 20, 38, 51]; Ps. cxxxii. 17; et alibi).

Causa quod unixerint reges, erat, ut repreäsentarent Dominum quoad judicium ex Divino Vero; quapropter in Verbo per "reges" significantur Divina vera (videatur supra, n. 31). Quod reges dicti fuerint "uncti Jehovahe," et quod ideo sacrosanctum fuerit laedere illos, erat causa quia per "Unctum Jehovahe" intelligitur Dominus quoad Divinum Humanum, tametsi quoad sensum litterae applicatur regi qui oleo unctus; Dominus enim cum in mundo fuit, fuit Ipsum Divinum Verum quoad Humanum, et fuit Ipsum Divinum Bonum Divini Amoris quoad ipsum Esse vitae suae, quod apud hominem vocatur anima ex patre, conceptus enim fuit ex Jehovah; Jehovah in Verbo est Divinum Bonum Divini Amoris, quod est Esse omnium vitae; inde est quod solus Dominus fuerit Unctus Jehovahe ipsa essentia et ipso actu, quoniam Divinum Bonum Divini Amoris fuit in Ipsi, ac Divinum Verum procedens ex ipso illo Bono in Humano Ipsius cum fuit in mundo (videatur supra, n. 63, 200, 228, 328; et in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 293-295, 303-305). Reges autem terrae non fuerunt uncti Jehovahe, sed ita dicti sunt quia repreäsentabant Dominum qui solus Unctus Jehovahe; [ac] ideo sacrosanctum fuit laedere reges terrae propter unctionem: at unctio regum terrae fiebat per oleum, unctio autem Domini quoad Divinum Humanum facta est per Ipsum Divinum Bonum Divini Amoris quod "oleum" significabat et "unctio" repreäsentabat. Inde est quod Dominus dictus fuerit Messias et Christus; *Messias* in lingua Hebraea significat Unctum, similiter *Christus* in lingua Graeca (*Joh.* i. 42 [*B. A.* 41]; cap. iv. 25). Ex his constare potest quod ubi in Verbo

dicitur "Unctus Jehovae" in sensu repraesentativo intelligatur Dominus; ut apud *Esaiam*,

"Spiritus Domini Jehovih super Me, ideo unxit Jehovah Me ad evangelizandum pauperibus; misit Me ad obligandum fractos corde, ad praedicandum captivis libertatem" (lxi. 1).

Quod Dominus quoad Divinum Humanum sit quem unxit Jehovah, constat apud *Lucam*, ubi Dominus id aperte dicit his verbis,

Traditus est Iesu "Liber Esiae prophetae; et revolvit librum, et invenit locum ubi erat scriptum, Spiritus Domini super Me, propter quod unxit Me, ad evangelizandum pauperibus misit Me, ad sanandum contritos corde, ad evangelizandum vincitis remissionem, et caecis visum, ad dimittendum sauciatos cum remissione, ad praedicandum annum Domini acceptum: postea convolvens librum dedit ministro, ac consedit; omnium autem in synagoga oculi erant detenti in Ipsum: coepit dicere ad illos, Hodie impleta est scriptura haec in auribus vestris" (iv. 17-21).

Apud *Danielem*,

"Scito ergo et percipito, ab exitu Verbi usque ad restituendum et ad aedificandum Hierosolymam, usque ad Messiam Principem septimanae septem" (ix. 25):

"aedificare Hierosolymam" est instaurare ecclesiam ("Hierosolyma" est ecclesia); "Messias Princeps," seu "Unctus," est Dominus quoad Divinum Humanum. Apud eundem,

"Septimanae septuaginta decisae sunt....ad obsignandum visionem et prophetam, et ad ungendum Sanctum sanctorum" (ix. 24):

"obsignare visionem et prophetam" est concludere illa quae in Verbo de Domino dicta sunt, et completere illa; "ungere Sanctum sanctorum," est Divinum Humanum Domini in quo fuit Divinum Bonum Divini Amoris seu Jehovah. Per "Unctum Jehovae" in sequentibus locis etiam Dominus intelligitur:—Apud *Davidem*,

"Constiterunt reges terrae, et dominatores consultarunt una contra Jehovah et contra Unctum Ipsius:....Ego unxi Regem meum super Zionem, montem sanctitatis mee" (Ps. ii. 2, 6):

"reges terrae" sunt falsa, et "dominatores" sunt mala quae ab infernis, contra quae Dominus, cum fuit in mundo, pugnavit, et quae vicit et subjugavit; "Unctus Jehovae" est Dominus quoad Divinum Humanum, ex quo pugnavit; "Zion, mons sanctitatis," super quem dicitur Unctus in Regem, est regnum caeleste, quod est in bono amoris; hoc regnum est intimum caeli ac intimum ecclesiae. Apud eundem,

"Inveni Davidem servum meum, oleo sanctitatis [meae] unxi eum" (Ps. lxxxix. 21 [*B. A.* 20]):

per "Davidem" ibi intelligitur Dominus, ut quoque alibi (videatur supra, n. 205); "oleum sanctitatis" quo Jehovah unxit eum, est Divinum Bonum Divini Amoris. Quod sit Dominus qui per "Davidem" ibi intelligitur, patet ab illis quae ibi praecedunt et quae ibi sequuntur, dicitur enim,

"Locutus in visione de Sancto tuo, . . . ponam in mari manum Ejus, et in flaviis dextram Ejus: Ille vocabit Me Pater meus, . . . etiam Ego Primogenitum dabo Eum, altum regibus terrae; . . . ponam in aeternum semen Ejus, et thronum Ejus sicut dies caelorum" (vers. 20, 26-30 [*B. A.* 19, 25-27, 29]; praeter plura):

similiter alibi apud eundem,

In Zione "germinare faciam cornu Davidi, disponam lucernam Uncto meo; hostes ejus induam pudore, et super Ipsum florebit corona Ipsius" (Ps. cxxii. 17, 18).

Quod etiam ibi Dominus per "Davidem" intelligatur, patet ab illis quae ibi praecedunt, ubi dicitur,

"Audivimus de Eo in Ephratha, invenimus Eum in agris silvae, intrabimus in habitacula Ejus, incurvabimus nos scabello pedum Ejus: . . . sacerdotes tui induentur justitia et sancti tui jubilabunt, propter Davidem servum tuum, ne avertas facies Uncti tui" (vers. 6-9, seq.):

ex quibus constare potest quod Dominus quoad Divinum Humanum suum ibi intelligatur per "Davidem," "Unctum Jehovah." Apud *Jeremiam*,

"Super montibus insectati sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis, spiritus narium nostrarum, Unctus Jehovah, captus est in foveis eorum, de quo dixeramus, In umbra Illius viveremus inter gentes" (*Thren.* iv. 19, 20):

ibi etiam per "Unctum Jehovah" intelligitur Dominus, agitur enim ibi de impugnatione Divini Veri a falsis et malis, quod significatur per quod "super montibus insectati sint, et in deserto insidiati;" "spiritus narium" est ipsa vita caelestis quae a Domino (n. 9818). Ex his nunc sciri potest cur tam sacrosanctum fuit laedere unctum Jehovah, ut etiam patet ex Verbo:—Ut in *Libro Primo Samuelis*,

Dixit David, "Absit a Jehovah mihi, si fecero verbum hoc domino meo uncto Jehovah, et mittam manum meam in eum, quia unctus Jehovah ille" (xxiv. 7, 11 [*B. A.* 6, 10]);

et alibi,

"Dixit David ad Abischaium, Ne perde eum, nam quis miserit manum in unctum Jehovae, et innocens sit?" (xxvi. 9.)

*In Libro Secundo Samuelis,*

Dixit David ad illum qui dixit se occidisse Saulem, "Sanguis tuus super capite tuo, quia dixisti, Occidi unctum Jehovae" (i. 16);

et alibi,

"Dixit Abischai, . . . Num propter hoc non occidetur Schimei, quod maledixit uncto Jehovae?" (xix. 22 [B. A. 21].) (Quod Schimei ideo Salomonis jussu interfactus sit, videatur <sup>[1]</sup> Reg. ii. 36 ad finem.)

(vii.) *Quod usu communi receptum fuerit scemet et alios ingere ad testificandum animi laetitiam ac benevolentiam, constat a sequentibus his locis:—Apud Amos,*

"Qui bibunt ex scyphis vini, et ex primitiis oleorum se ungunt, sed super confractione Josephi non afficiuntur dolore" (vi. 6):

*apud Micham,*

"Calcabis olivam, sed non unges te oleo" (vi. 15);

*pro non laetaberis. Apud Mosen,*

"Oleae erunt tibi in omni termino tuo, sed oleo non unges te" (*Deuter.* xxviii. 40);

*similiter. Apud Esaiam,*

"Ad dandum illis cidarim pro cinere, oleum gaudii pro luctu" (lx. 3):

*apud Davidem,*

"Unxit te . . . Deus tuus oleo laetitiae p[re]e sociis tuis" (Ps. xlv. 8 [B. A. 7]):

*apud eundem,*

"Exaltabis sicut monocerotis cornu meum, consenescam in oleo viridi" (Ps. xcii. 11 [B. A. 10]):

*apud eundem,*

"Vinum laetificat cor hominis, ad exhilarandum facies oleo" (Ps. civ. 15):

*apud Lucam,*

Jesus ad Simonem, "Ingressus sum in domum tuam, . . . et oleo caput meum non unxisti; haec vero unguento unxit pedes meos" (vii. [44.] 46).

*Apud Matthaeum,*

"Tu quando jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava, ne appareas hominibus jejunare" (vi. 17[, 18]):

"jejunare" significat lugere, quoniam in luctu jejunabant,

et quia tunc desistebant a testificatione laetitiae ; ideo tunc nec se oleo ungere solebant : ut apud *Danielem*,

“Ego Daniel fui lugens tribus septimanis, panem desideriorum non comedи, ac caro et vinum non venit ad os meum, et ungendo non unctus sum, usque dum implerentur tres septimanae dierum” (x. 2.] 3).

Ex his patet quod usu receptum fuerit ungere semet et alios oleo ; non oleo sanctitatis, quo ungebantur sacerdotes, reges, altare et tabernaculum, sed oleo communi, ex causa quia hoc “oleum” significabat laetum et faustum quod est amoris boni : “oleum” autem “sanctitatis” significabat Divinum Bonum ; de quo dicitur,

“Super carnem hominis non fundetur, et in qualitate ejus non facietis sicut illud, . . . . sanctum erit vobis : qui praeparaverit sicut illud, aut qui dederit ex eo super alienum, excidetur e populis suis” (*Exod.* xxx. 32, 33, 38).

(viii.) *Quod inde pateat, quod “oleum” in Verbo significet bonum, (“oleum sanctitatis,” quod praeparatum erat pro ungendo illa quae inservirent pro cultu in ecclesia, Divinum Bonum Divini Amoris, et “olcum” in genere bonum et ejus jucundum,) constare etiam potest ex aliis locis in Verbo, ubi oleum nominatur, ut ex his sequentibus :— Apud Davidem,*

“Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres una ; sicut oleum bonum super capite Aharonis descendens in barbam, barbam Aharonis, quod descendit super os vestium ejus ; sicut ros Chermonis qui descendit super montes Zionis ; ibi praecepit Jehovah benedictioni vitae usque in aeternum” (*Ps. cxxxiii. 1-3*) :

quid haec significant, nemo scire potest, nisi qui scit quid significant “fratres,” quid “oleum super caput Aharonis,” quid “barba” ejus, et “os vestium” ejus, et quid “ros Chermonis,” et “montes Zionis :” per “fratres” ibi significatur bonum et verum, nam illi dicuntur fratres in Verbo ; quare per “Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres una” significatur quod in coniunctione boni et veri sit omne bonum et jucundum caeleste, nam omne caeleste bonum et jucundum est ex coniunctione boni et veri ; per “oleum super caput descendens in barbam, barbam Aharonis, quod descendit super os vestium ejus,” significatur quod inde omne bonum et jucundum caeli ab intimis ad ultima, per “caput” enim significatur intimum, per “barbam” ultimum, per “descendere super os vestium” signifi-

catur influxus et conjunctio boni caelestis et boni spiritualis. (Quod in Verbo bonum et verum dicantur "fratres," videatur n. 367, 3160, 9806; quod "caput" significet intimum, n. 4938, 4939, 9656, 9913, 9914; quod "barba" ultimum, n. 9960; quod "os vestium" influxum et conjunctionem boni (caelestis et spiritualis, ita boni et veri, n. 9913, 9914; et dicitur "Aharon," quia per illum repreäsentabatur Dominus quoad Divinum Bonum; omne enim bonum, et omnis conjunctio boni et veri ab Ipso est, n. 9806, [2]9946, 10017.) Per "rorem Chermonis" significatur Divinum Verum, et per "montes Zionis" significatur Divinum Bonum; inde per "sicut ros Chermonis qui descendit super montes Zionis," significatur conjunctio veri et boni, de qua ibi agitur: et quia ex conjunctione illa omnis vita spiritualis est angelis et hominibus, etiam dicitur, "Ibi paecepit Jehovah benedictioni vitae in aeternum." (Quod "ros" significet Divinum Verum videatur n. 3579, 8455; quod "montes" significant Divinum Bonum, et unde hoc, n. 795, 4210, 6435, 8327, 8758, 10438, [3]10608; et quod "Zion" significet ecclesiam ubi bonum amoris, n. 2362, 9055 fin.) Inde patet quale Verbum est in suo spirituali, tametsi ita sonat in littera. Apud *Ezechielēm*,

"Inivi foedus tecum.... ut essem Mihi, et lavi te aquis, et ablui sanguines tuos a super te, unxique te oleo, et vestivi te acupictō, et calceavi te taxo;.... similam, mel et oleum comedisti; unde pulchra facta es valde, et prosperata es usque ad regnum" (xvi. 8-10, 13):

haec de Hierosolyma, per quam significatur ecclesia; quare singula haec significant spiritualia quae ecclesiae sunt. Quod haec non dicta sint de habitatoribus Hierosolymae, nempe quod Jehovah "laverit illos aquis," "abluerit sanguines eorum," "vestiverit acupictō," et "calceaverit taxo," patet; sed per "lavare aquis" significatur per vera reformare et purificare; per "abluere sanguines" significatur falsa mali removere, per "ungere oleo" significatur bono amoris donare, per "vestire acupictō et calceare taxo" significatur instruere cognitionibus veri et boni ex Verbi sensu litterae seu ultimo; per "similam, mel et oleum comedere" significatur appropriare verum ac bonum; per quod "inde pulchra facta sit" significatur quod intelligens, et per "prosperata usque ad regnum" significatur quod sic facta sit ecclesia ("regnum" est ecclesia). Apud *Jeremiam*,

"Redemit Jehovah Jacobum,.... unde venient et canent in [4]altitudine Zionis, et confluent ad bonum Jehovah, ad triticum, et ad mustum et ad oleum, et ad filios gregis et armenti; et fiet anima eorum sicut hortus irriguus" (xxxii. 11, 12):

per "mustum et oleum" significatur verum et bonum. (Quid per cetera, videatur mox supra, n. 374[5].) Apud *Joelem*,

"Filii Zionis gaudete, et laetamini in Jehovah Deo <sup>[1]</sup>vestro, quia dedi vobis pluviam tempestivam in justitiam,....ut plenae sint areae frumento puro, exudent torcularia mustum et oleum" (ii. 23, 24):

etiam ibi per "mustum et oleum" significatur verum et bonum ecclesiae; nam per "filios Zionis," ad quos haec dicuntur, significantur illi qui ab ecclesia; per "pluviam tempestivam in justitiam," significatur Divinum Verum influens in bonum, unde eorum conjunctio, fructificatio et multiplicatio; et per "areas plenas frumento puro" significatur plenitudo inde. Apud eundem,

"Devastatus est ager, luxit terra, quia devastatum est frumentum, exaruit mustum, languet oleum" (i. 10):

per haec significatur quod omnia ecclesiae, quae in genere se referunt ad bonum amoris et verum fidei, devastata sint; "ager" est ecclesia, et quoque "terra;" "ager" ecclesia ex receptione veri, et "terra" ecclesia ex perceptione boni: "frumentum" est omne ejus, "mustum" est verum, et "oleum" bonum. Apud *Esaiam*,

"Cantabo Dilecto meo canticum amici mei. ....; vinea fuit Dilecto meo in cornu filii olei, quam circumdedit et elapidavit, et plantavit eam vite nobili;....et exspectavit ut faceret uvas, sed fecit labruscas" (v. 1[. 2]):

per "vineam quae Dilecto in cornu filii olei," significatur ecclesia spiritualis, cui vera ex bono amoris, ita praestantissima, "vinea" enim significat ecclesiam spiritualem, seu ecclesiam quae in veris ex bono est; inaugurationes fiebant per oleum ex cornu, ac "filius olei" est verum ex bono; per "Dilectum" intelligitur Dominus, quia Ipse ecclesias instaurat, de quo ideo dicitur "quam circumdedit et elapidavit et plantavit vite nobili;" "vitis nobilis" est verum spirituale ex caelesti seu verum ex bono amoris; per "uvas" quas exspectavit ut faceret, significantur bona charitatis, quae sunt bona vitae; et per "labruscas" quas fecit significantur mala opposita bonis charitatis, seu mala vitae. Apud *Hoscheam*,

"In die illo....exaudiām caelos, et hi exaudiēt terram, et terra exaudiēt frumentum et mustum et oleum, et haec exaudiēt Jisreelem; et seminabo eam Mibi in terra" (ii. 21-23);

haec dicta sunt de Nova Ecclesia a Domino instauranda.

et per "exaudire" intelligitur obedire et recipere : sequens et in ordine succedens obedientia et receptio ita describitur ; quod caeli recepturi sint a Domino, intelligitur per "exaudiam caelos;" quod ecclesia receptura sit e caelis, ita per caelos a Domino, intelligitur per quod "caeli exaudient terram;" quod bonum et verum recepturum sit ab ecclesia, intelligitur per quod "terra exaudiet frumentum, et mustum et oleum" ("mustum" est verum ac "oleum" est bonum) ; et quod illi ab ecclesia, apud quos bonum et verum est, inde recepturi sint, intelligitur per quod "haec exaudient Jisreelem :" quod non terra, ejus frumentum, mustum et oleum intelligatur, sed ecclesia cum ejus bonis et veris, patet, nam dicitur, "Seminabo Jisreelem Mihi in terra." Apud *Esaiam*,

"Dabo in deserto cedrum schittae, et myrtum, et arborem olei ; ponam in solitudine abietem, taedam et buxum" (xli. 19) :

haec de instauratione ecclesiae a Domino apud gentes dicta sunt ; et per "desertum" et per "solitudinem" significatur ubi prius non bonum quia non verum ; per "cedrum schittae," "myrtum" et "arborem olei" significatur bonum spirituale et caeleste ; ac per "abietem," "taedam" et "buxum" significatur bonum et verum inde in naturali ; per unquamvis enim arborem aliquid boni et veri ecclesiae in Verbo significatur, et illa ecclesiae quae sunt in spirituali seu interno homine significantur per "cedrum schittae," "myrtum" et "arborem olei;" et illa ecclesiae quae sunt in naturali seu externo homine per "abietem," "taedam" et "buxum." Apud *Davidem*,

"[Jehovah] Pastor meus, non carebo ; in pascuis herbae cubare faciet me, ad aquas quietum deducet me ; . . . dispones ante me mensam coram inimicis meis ; pinguefacies oleo caput meum, poculum meum abundabit" (Ps. xxiii. 1, 2, 5) :

per haec in sensu interno intelligitur quod qui confidit Domino ducatur in omnia bona et vera caeli et abundet jucundis eorum ; per "Pastorem meum" intelligitur Dominus ; per "pascua herbae" significantur cognitiones veri et boni ; per "aquas quietum" significantur vera caeli inde ; per "mensam" significatur nutritio spiritualis ; per "pinguefacere oleo caput" significantur sapientia quae ex bono ; per "poculum meum abundabit" significantur intel-

ligentia quae ex veris, per "poculum" enim simile significatur quod per "vinum:" dicuntur "pascua herbae" et "aqua quietum," sicut forent comparationes, ex causa quia Dominus vocatur Pastor, et pastoris grex in pascua herbae et ad aquas limpidas ducitur; sed usque sunt correspondentiae. Apud *Ezechielem*,

"Jehudah et terra Israelis fuerunt negotiatores tui, in triticis minnith et pannag, et in melle et oleo et balsamo" (xxvii. 17) :

haec dicta sunt de Tyro, per quam significatur ecclesia quoad cognitiones veri et boni, et ita per "Tyrum" significantur cognitiones veri et boni ecclesiae: ac per "Jehudam" et "terram Israelis," qui negotiatores, significatur ecclesia; per "Jehudam" ecclesia quoad bonum, et per "terram Israelis" ecclesia quoad vera ex bono; et per "negotiari" significatur comparare sibi et communicare aliis: per "tritica minnith et pannag" significantur bona et vera in genere; et per "mel," "oleum," "balsamum," bona et vera in specie, per "mel" et "oleum bona," et per "balsamum" vera quae ex bono grata sunt; nam omnia vera quae ex bono, in caelo percipiuntur fragrantia et inde grata; quae etiam causa fuit quod oleum unctionis ex variis fragrantibus confectionem fuerit (de quo *Exod.* xxx. 22-33); et quoque oleum lucernarum (de quo *Exod.* xxvii. 20, 21). Apud *Mosen*,

Jehovah "cibavit proventu agrorum, sugere fecit eum mel e rupe, et oleum e saxo petrae" (*Deut.* [1]xxxii. 13):

haec de Antiqua Ecclesia; "sugere oleum e saxo petrae" pro imbuī bono per vera fidei; "mel" est bonum et jucundum naturale, "oleum" est bonum et jucundum spirituale, ac "rupes" et "saxum petrae" est verum fidei a Domino: si non spiritualia per haec intelligerentur, quid foret quod "sugeret mel e rupe, et oleum e saxo petrae?" Apud *Habakuk*,

"Ficus non florebit, nec proventus e vitibus, mentietur opus [2]olivae, et agri non ferent cibum" (iii. 17):

hic non ficus, nec vitis, nec oliva, nec agri intelliguntur, sed caelestia quibus correspondent: "ficus" correspondet bono naturali, et inde significat illud; "vitis" correspon-

det bono spirituali, quod in sua essentia est verum ; "oliva," ut fructus ex quo oleum, correspondet bono amoris actu; et "agri" correspondent omnibus ecclesiae ; "proventus" et "cibi" inde significant omnia quae sunt nutritionis spiritualis : inde patet quid illa in ordine significant. Apud *Hoscheam*,

"Ephraim pascens ventum, . . . foedus cum Assyrio pangunt, et oleum in Aegyptum defertur" (xii. 2 [B. A. 1]):

haec prorsus non intelliguntur nisi sciatur quid "Ephraim," quid "Assyrius," et quid "Aegyptus :" describitur ibi intellectuale proprium hominis, quod per ratiocinia ex scientificis pervertit et adulterat bona ecclesiae ; "Ephraim" est intellectuale, "Assyrius" ratiocinatio, et "Aegyptus" scientificum ; inde "oleum in Aegyptum deferre" est bona ecclesiae per ratiocinia ex scientificis pervertere. Apud *Sachariam*,

"Vidi candelabrum auri, . . . duae oleae juxta id, una a dextra lecythi, et una ad sinistrum ejus : . . . hi sunt duo filii olei stantes juxta Dominum totius terrae" (iv. 2, 3, 14) :

"duae oleae" et "duo filii olei" sunt bonum amoris in Dominum, et bonum charitatis erga proximum, hoc ad sinistram Ipsius, illud ad dextram Ipsius. Similiter in *Apocalypsi*,

Duo testes prophetabant dies mille ducentos <sup>[1]</sup>sexaginta ; . . . "hi sunt duae oleae, et duo candelabra coram Deo terrae stantia" (xi. 3, 4) :

"duae oleae" et "duo candelabra" sunt eadem illa bona, quae quia sunt a Domino, vocantur "duo testes ;" sed de his plura in explicatione eorum. Quoniam "oleum" significabat bonum amoris in Dominum et bonum charitatis erga proximum, ideo

Dominus assimilabat regnum caelorum decem virginibus, quarum quinque habebant oleum in lampadibus, et quinque non habebant ; quare hae vocantur stultae, et illae prudentes (*Matth. xxv. 1-11*) : \*

per "decem virgines" significantur omnes qui ab ecclesia, et per "quinque" significantur aliqui seu pars eorum, nam haec significantur per numeros "decem" et "quinque" in Verbo, ac per "virginem" seu "filiam" significatur ecclesia ; per "oleum" significatur bonum amoris in Dominum et bonum charitatis erga proximum, et per "lampades" significantur vera quae fidei vocantur ; inde constare potest quid

per illa in sensu spirituali <sup>[1]</sup>intelligitur, quod nempe qui sciunt vera ex Verbo seu ex doctrina ecclesiae, ac non in bono amoris et charitatis sunt, hoc est, non vivunt secundum illa, <sup>[2]</sup>sint virgines quae oleum non habent in lampadibus, et quae ideo non admittuntur in caelum; sed quod illi qui in bono amoris et charitatis sunt, et inde in veris ex Verbo aut ex doctrina ecclesiae, sint virgines quae habent oleum in lampadibus, et recipiuntur in caelo; inde patet unde est quod hae virgines dicantur "prudentes," at illae "stultae." Quoniam "oleum" significabat bonum amoris et charitatis, ac "vinum" significabat verum, ideo

Dominus dicit de Samarita, qui iter faciens vidit in via vulneratum a latronibus, quod infuderit oleum et vinum in vulnera ejus, et dein sustulerit eum super proprium jumentum, duxerit in diversorium, et dixerit ut curam ejus haberent (*Luc. x. 33-35*):

haec in sensu spirituali ita percipiuntur; per "Samaritam" intelliguntur gentes quae in bono charitatis erga proximum erant; per "vulneratum a latronibus" intelliguntur qui infestantur ab illis qui ab inferno sunt, illi enim sunt latrones, quia vitam spiritualem hominis laedunt et occidunt; per "oleum et vinum" quae infudit in vulnera ejus intelliguntur spiritualia quae sanant hominem, per "oleum" bonum et per "vinum" verum; per quod "sustulerit illum super proprium jumentum" significatur quod hoc fecerit secundum suam intelligentiam quantum posset, "equus" enim significat intellectuale, pariter "jumentum;" quod "duxerit eum in diversorium, et dixerit ut curam ejus haberent," significat quod ad illos qui instructi sunt in ecclesiae doctrina ex Verbo, qui eum sanare possent plus quam ille, qui adhuc in ignorantia: ita haec verba intelliguntur in caelo; ex quibus etiam patet quod Dominus, cum fuit in mundo, per meras correspondentias locutus sit, ita pro mundo et pro caelo simul. Quoniam "oleum" significabat bonum amoris et charitatis, et per id sanantur qui spiritualiter aegroti sunt, ideo dicitur de discipulis Domini

Quod unixerint oleo multos et sanaverint (*Marc. vi. 13*).

(Praeterea quid per "oleum praeparatum ad lucernas," et quid per "oleum praeparatum ad unctiones," in specie significatur, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 9778-9789, et n. 10250-10288, ubi explicata sunt.) Ex his nunc videri potest quod per "oleum" significetur bonum caeleste et bonum spirituale, seu bonum amoris in Dominum, et bonum charitatis

erga proximum; per "oleum unctio[n]is" bonum amoris in Dominum a Domino, et per "oleum lucernarum" bonum charitatis a Domino erga proximum.

**376[a].** Haec tenus ostensum est quod "oleum" significet bonum caeleste, quod est bonum amoris in Dominum; nunc etiam ostendetur quod "vinum" significet bonum spirituale, quod est bonum charitatis erga proximum et bonum fidei; et quia hoc bonum in sua essentia est verum, ideo in communi explicatione dictum est quod "oleum et vinum ne laeseris" significet quod non damnum inferendum sit sensui interno seu spirituali Verbi nec quoad bonum nec quoad verum; seu quod idem, quod non damnum inferendum sit bonis et veris quae in sensu interno seu spirituali Verbi. Quod bonum charitatis et bonum fidei in sua essentia sit verum, est quia id bonum implantatur a Domino parti intellectuali hominis per vera quae fidei vocantur; et cum homo vivit secundum illa tunc vera illa fiunt bona, nam per vera in illa parte formatur nova voluntas, et quicquid ex voluntate procedit hoc vocatur bonum. Haec voluntas etiam eadem est cum conscientia; et conscientia est conscientia veri quia formatur per vera omnis generis, quae ex doctrina ecclesiae et ex Verbi sensu litterae (sed de hac re videantur plura in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 130-138; et [in collectis] ex *Arcanis Caelestibus*, n. 139-141). Inde nunc est quod per "vinum" significetur verum. Praeterea sunt bona et vera interna et externa; bona et vera interna significantur per "oleum et vinum" quae non laedenda sunt; at bona et vera externa significantur per "triticum et hordeum." Bona et vera externa sunt quae in sensu litterae Verbi sunt, at bona et vera interna sunt quae in sensu interno seu spirituali Verbi sunt; seu bona et vera externa sunt qualia in inferioribus caelis apud angelos ibi, nempe in ultimis caeli; at bona et vera interna sunt qualia in caelis superioribus apud angelos ibi, nempe in tertio et secundo; haec bona et vera sunt ipsa bona et vera genuina, at illa sunt vera et bona quia correspondent, ita correspondentiae; illa communicationem immediatam habent cum angelis caeli, haec autem non immediatam sed mediatam per correspondentias. Inde est quod Judaei, quia solum in sensu litterae fuerunt, et non in cognitione de significatione rerum in sensu spirituali, non potuerint damnum inferre sensui spirituali ejus, nec

quoad bonum nec quoad verum, consequenter nec genuinis bonis et veris: similiter Ecclesia Christiana hodie nec potuit damnum inferre bonis et veris genuinis quae sunt in sensu spirituali Verbi, nam ignoravit eum sensum, et cum illo etiam ignoravit genuina bona et vera. Quod Christianis non detectus fuerit sensus spiritualis Verbi, est causa quia genuina bona et vera, qualia sunt in caelis superioribus, latent in sensu Verbi spirituali; et quamdiu illa bona et vera non percepta et nota fuerunt nec potuit ille sensus aperiri, non enim videri potuerunt: quod genuina bona et vera in Christianis Ecclesiis non percepta et nota fuerint, est causa quia Ecclesiae illae divisae fuerunt, in genere in Pontificiam et in Evangelicam; et in Pontifica prorsus ignorantur vera, quia illi qui in illa non pendent ex Verbo, ita ex Domino qui est Verbum, hoc est Divinum Verum, sed ex Pontifice, ex cuius ore vix aliquid procedit nisi quod est ex amore imperandi, et is amor est ex inferno; quare etiam vix unum verum, quod est ecclesiae, apud illos datur; in Evangelicis autem Ecclesiis est sola fides assumpta pro essentiali medio salutis, et per id est bonum amoris et charitatis rejectum sicut non essentiale, et ubi bonum est rejectum, ibi nec dari potest aliquod verum quod in se est verum; omne enim verum est ex bono, nam influit Dominus in bonum hominis, et per bonum illustrat eum, et dat lucem ut percipiat vera; quare absque illa luce, quae est ipsa vita spiritualis hominis, non est verum, utcunque sonat ut verum quia ex Verbo; est verum falsificatum per ideas quas de eo habet; nam ex fide separata a charitate, seu ex veris absque bono, non aliud resultat. Inde nunc est quod Ecclesiis Christianis non patefieri potuerit sensus spiritualis Verbi; nam si patefactus, falsificavissent et pervertissent illum per ideas ex fallaciis, et sic profanavissent. Inde quoque est quod nusquam aliquis, etiam posthac, admittatur in sensum spiritualem Verbi, nisi in genuinis veris ex bono sit; et nullus in genuinis veris ex bono esse potest nisi corde agnoscat solum Dominum pro Deo caeli et terrae, ab Ipso enim est omne bonum et inde verum. Quod sensus spiritualis Verbi hodie patefactus sit, et cum illo etiam genuina vera et bona detecta, est causa quia ultimum judicium a Domino peractum est, et sic omnia in caelis et in infernis in ordinem redacta sunt; et per id provideri a Domino potest ne genu-

inis veris et bonis, quae in sensu spirituali Verbi sunt, aliquod damnum inferatur, quod prius non potuit (*videatur in opusculo De Ultimo Judicio*, n. 73).

[b.] Quod "vinum" significet bonum spirituale, seu bonum charitatis et bonum fidei, quod in sua essentia est verum, constare potest ex sequentibus locis in Verbo:— Apud *Esaiam*,

"Omnis sitiens ite ad aquas, et cui non argentum, ite, emite, et comedite; . . . emite sine argento et sine pretio vinum et lac" (lv. 1):

quod hic non vinum et lac, quae sine argento emerent, intelligantur, quisque videre potest: quare per "vinum et lac" significantur spiritualia, nempe per "vinum" spirituale bonum, quod in sua essentia est verum, ut supra dictum est, per "lac" autem bonum illius veri; quod illa gratis dentur a Domino illis qui in ignorantia veri et boni sunt, et tamen in desiderio illorum, significatur per "cui non argentum, ite, emite, et comedite; emite sine argento;" "emere" significat sibi comparare, et "comedere" sibi appropriare, quod fit per applicationem sicut ex se; quod illi qui in ignorantia veri et boni et usque in desiderio illorum sunt, intelligantur, patet, nam dicitur "Omnis sitiens ite ad aquas;" "sitire" significat desiderare, et "aqueae" significant vera, hic Verbum ubi sunt. Apud *Zoelem*,

"Fiet in die illo, stillabunt montes mustum, et colles fluent lacte, omnes rivi Jehudae fluent aquis" (iv. [B. A. iii.] 18):

agitur ibi de adventu Domini, et de novo caelo et nova ecclesia ab Ipso; quod tunc non in terra Canaane seu in Iudea montes stillaverint mustum, nec colles fluxerint lacte, et quod nec tunc prae tempore priori rivi Jehudae fluxerint aquis, notum est; quare per illa verba intelliguntur alia quam mustum, lac et aquae, tum quam montes, colles, rivi; nempe quod per "montes stillabunt mustum" seu vinum, intelligitur quod ex bono amoris in Dominum omne genuinum verum; per quod "colles fluent lacte" intelligitur quod ex bono charitatis erga proximum vita spiritualis; et per quod "omnes rivi Jehudae fluent aquis" intelligitur quod ex singulis Verbi vera. (Per "Jehudam" enim significatur caeleste regnum Domini, et quoque Verbum, *videatur n. 3881, 6363*; inde per "rivos" ejus significantur singula ejus: quod per "montes" significetur bonum amoris in Dominum, n. 795, 4210, 6435, 8327, 8758, 10438, <sup>[1]</sup>10608; et quod per "colles" bonum caritatis erga proximum, n. 6435, 10438; ex causa quia in caelo super montibus

**habitant qui in bono amoris in Dominum sunt, et super collibus qui in bono charitatis erga proximum, n. 10438; et in opere *De Caelo et Inferno*, n. 188.) Apud Amos,**

"Ecce dies venientes, . . . attinget arans metentem, et calcans uvas distrahentem semen, et stillabunt montes mustum, et omnes colles diffluent: reducam captivitatem populi mei Israelis, et aedificabunt urbes devastatas, et sedebebunt et plantabunt vineas, et bibent vinum earum, et facient hortos, et comedent fructum eorum; tunc plantabo eos super terra eorum" (ix. 13-15):

agitur in eo capite primum de vastatione ecclesiae, et dein de restauratione ejus a Domino; ac per "populum Israelem" non intelligitur ille populus, sed illi apud quos ecclesia instauranda erat; et per "arans attinget metentem, et calcans uvas distrahentem semen," significatur quod qui recipit bonum et verum etiam usum seu fructum facturus sit, ita quod simul erunt apud hominem ecclesiae; per "stillabunt montes mustum, et omnes colles diffluent," significatur ut mox supra, quod ex bono amoris in Dominum et ex bono charitatis erga proximum [erunt] vera in abundantia; "mustum" ibi seu "vinum" est verum; per "captivitatem populi Israelis" quae "reducetur," significatur restauratio ecclesiae apud gentes, nam per "captivitatem" intelligitur captivitas spiritualis, quae est apud illos qui remoti a bonis et veris sunt et usque in desiderio illorum (videatur n. 9164): per "urbes devastatas" quas "aedificabunt," significantur doctrinalia veri et boni ex Verbo hactenus deperdita et tunc restauranda: per "vineas" quas plantabunt, et quarum vinum bibent, significantur omnia ecclesiae a quibus intelligentia; per "vineam" significatur ecclesia spiritualis, et inde per "vineas" significantur omnia ecclesiae, per "vinum" significatur in genere verum ejus, et per "bibere illud" significatur instrui et intelligens fieri, ita intelligentia: et per "hortos" quos facient et quorum fructum comedent, significatur sapientia; per "hortos" omnia quae intelligentiae sunt, et per "fructum eorum" significantur bona vitae; ita per "comedere fructum eorum" significatur appropriatio boni, ita sapientia, nam sapientia fit quando vera mandantur vitae: et quia haec intelliguntur, ideo dicitur de Israele, "Plantabo eos super terra eorum."

[c.] *Apud Mosen,*

"Alligat ad vitem asellum suum, ad vitem praestantem filium asinae suae, lavat in vino vestimentum suum, et in sanguine uvarum velamen suum: ruber oculis a vino, et albus dentibus a lacte" (*Gen.* xlix. 11, 12):

haec in propheticō Israelis patris de Jehudah, per quem ibi non intelligitur Jehudah, sed Dominus quoad regnum caeleste; et per "vinum" ac per "sanguinem uvarum" intelligitur Divinum Verum. (Quid reliqua significant, et quod "vinum" significet Divinum Verum, quia de Domino, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 6375-6382.) Apud eundem,

Jacob attulit Isaco patri de venatione sua, "et edit, et adduxit illi vinum et bibit;" ac Isac benedixit illi, dicens, "Dabit tibi Deus de rore caeli, et de pinguedinibus terrae, et multitudinem frumenti et musti" (*Gen. xxvii. 25, 27, 28, 37*):

qui non sciunt quod Verbum in singulis sit spirituale, credere possunt quod per "Isacum" hic intelligatur Isacus, et per "Jacobum" Jacobus, ac inde quod per "pinguedines terrae," et per "frumentum et mustum" non alia quae altiora: sed per Isacum ibi repreäsentabatur Dominus, et per Jacobum ecclesia; inde per "pinguedines terrae" caelestia quae sunt boni amoris, et per "frumentum et mustum" omne ecclesiae bonum et verum. (Sed etiam haec videantur explicata in *Arcanis Caelestibus*, n. 3570, 3579, 3580.) Apud eundem,

"Si audiveritis praecepta mea, . . . dabo pluviam terrae vestrae in tempore suo tempestivam et serotinam; et colliges frumentum tuum, et mustum tuum, et oleum tuum" (*Deutr. xi. 13, 14*):

hae terrae benedictiones promissae sunt filiis Israelis, si audivissent et fecissent praecepta Jehovahe, quas etiam consecuti sunt, ex causa quia apud illos ecclesia repreäsentativa erat, et quae dicta et mandata sunt a Jehovah correspondabant spiritualibus, ita hae terrae benedictiones benedictionibus caeli. Benedictiones caeli quibus correspondent benedictiones terrae, se referunt omnes ad illa quae sunt boni amoris et veri fidei; quare per "pluviam tempestivam et serotinam" significantur hae benedictiones; nam per "pluviam" in specie significatur Divinum Verum influens e caelo, ex quo nascuntur, crescunt et producuntur omnia ecclesiae et caeli apud hominem; quare per "frumentum, mustum et oleum" quae colligent, significantur omne bonum et verum externi et interni hominis. Apud eundem,

"Ita habitavit Israel secure, solitarius ad fontem Jacobi, in terra frumenti et musti, etiam caeli ejus stillabant rorem" (*Deutr. xxxiii. 28*):

haec erat clausula benedictionum filiorum Israelis a Mose, ubi prophetica omnia, et per unumquemvis filium seu per unamquamvis tribum Israelis significatur aliquid ecclesiae

(similiter ac *Genes.*, cap. xlix.) ; et per "Israelem" hic significatur ipsa ecclesia ; et per "habitare secure, solitarius ad fontem Jacobi," significatur vivere absque infestatione a malis et falsis, ac duci a solo Domino per Divinum Verum ("fons Jacobi" est Divinum Verum, ac Verbum) ; et per "vivere in terra frumenti et musti" significatur in omni bono et vero ecclesiae ; et per "etiam caeli ejus stillabant rorem" significatur influxus e caelo. Apud eundem,

"Equitare fecit eum super excelsis terrae," . . . et dedit "butyrum armenti et lac gregis cum adipem agnorum et arietum filiorum Baschanis et hircorum, cum adipem renum tritici, et sanguinem uvae bibis merum" (*Deutr.* xxxii. 13, 14) :

haec dicta sunt de Antiqua Ecclesia, quae etiam fuit ecclesia ante Israeliticam, et fuit in bono charitatis et veris fidei ; bona omnis generis, in quibus erat, intelliguntur per illa, nempe per "butyrum armenti," "lac gregis," "adipem agnorum," "adipem arietum," "adipem hircorum," "adipem renum tritici," ac vera spiritualia per "sanguinem uvae" et "merum." Apud *Jeremiam*,

"Venient et canent in altitudine Zionis, et confluent ad bonum Jehovah, ad triticum et ad mustum et ad oleum et ad filios gregis et armenti" (*xxxii. 12*) :

per "triticum, mustum, et oleum" significantur bona et vera omnis generis (quid in specie videatur supra, n. 374). Apud *Esaiam*,

"Juravit Jehovah per dextram suam, et per brachium roboris sui, Si dedero frumentum tuum amplius cibum hostibus, et si biberint filii alienigenae mustum tuum, pro quo laborasti ; sed qui colligunt illud, comedent illud, et laudabunt Jehovah, et qui congregant illud, bibent illud in atriis sanctitatis" (*Ixii. 8*, 9) :

haec de Hierosolyma, per quam significatur ecclesia quoad doctrinam ; quare per "frumentum" quod "non dabitur amplius cibus hostibus," et per "mustum" quod "non bibent filii alienigenae," significatur in genere bonum et verum ecclesiae, quae non amplius consumentur per mala et falsa ; "hostes" ibi sunt mala, et "filii alienigenae" falsa, ac "comedere" seu "[2]cibum illis dari" ac "bibere" est consumere ; quod bona et vera mansura sint apud illos qui recipiunt illa, ac usum inde faciunt, significatur per "qui colligunt illud comedent illud, et qui congregant illud bibent illud;" cultus ex illis significatur per "laudare Jehovah" et "bibere in atriis sanctitatis." Apud eundem,

"Ablatum est gaudium et exultatio de Carmel, et in vineis non cantatur, non jubilatur, vinum in torculari non calcat calcans, hedad cessare feci" (xvi. 10):

quod jucundum caeleste ex bono et veris inde ablatum sit quia ipsum bonum et verum, ita describitur; bonum ecclesiae intelligitur per "Carmel," et vera inde per "vineas" ac per "calcationem vini in torcularibus;" jucunda eorum quod ablata per "gaudium," "exultationem," "cantationem," "jubilationem" et "hedad;" solebant enim cantare in vineis et in torcularibus cum calcabatur uva in vinum, propter repraesentationem jucundorum ex veris, quae significabantur per "vinum." Apud *Jeremiam*,

"<sup>[1]</sup>Supra fletum Jaeseris flebo ob te, vitis Sibmae, propagines tuae transiverunt mare, usque ad mare Jaeseris pertigerunt; super fructus autumni tuos, et super vindemiam tuam vastator cecidit; unde collecta est laetitia, et gaudium ex Carmele, et ex terra Moabi; et vinum in torcularibus cessare feci, non calcabit hedad, hedad non hedad" (xlviii. 32, 33):

hic etiam agitur de ablato jucundo caelesti ex bono amoris et ex veris inde, omne enim jucundum caeleste in illis et ex illis est; lamentatio super id intelligitur per "fleto fletum," deprivatio ejus per quod "collecta sit laetitia, et gaudium ex Carmele," tum per quod "vastator ceciderit super illa," quod "cessaverit," et quod "hedad non hedad;" bonum quod ablatum, propter quod lamentatio, intelligitur per "fructus autumni," et vera boni quod ablata per "vindemiam" et per "vinum in torcularibus;" quod exulaverint vera et perierint per scientifica, intelligitur per "vitam Sibmae," et per "propagines ejus quod transiverint mare usque ad mare Jaeseris" ("mare" significat scientificum). In *Threnis*,

"Infans et lactens deficit in plateis urbis; matribus suis dicunt, Ubi frumentum et vinum? quum deficiunt sicut confossus in plateis urbis, cum effunditur anima eorum super sinum matrum eorum" (ii. 11, 12):

haec verba continent lamentationem super Ecclesiam Iudaicam, quod omne bonum et verum ejus deperditum sit; ac lamentatio describitur per "infantem et lactentem qui deficiunt in plateis urbis, et dicunt matribus suis, Ubi frumentum et vinum?" Per "infantem et lactentem" significantur illi qui in bono innocentiae sunt, et abstracte ipsum bonum innocentiae; per hoc bonum intelligitur omne bonum ecclesiae, quia hoc est essentiale omnium bonorum ejus (videatur

in opere *De Caelo et Inferno*, n. 276-283, 285, 288, 341, 382); per "plateas urbis" significantur vera doctrinae; per "matres" significantur omnia ecclesiae; et per "frumentum et vinum" significantur in genere omne bonum et verum ejus; quod dicatur quod "deficiant sicut confossus in plateis urbis, quem effunditur anima eorum super sinum matrum eorum," est quia "confossus" significat illos qui spiritualiter pereunt ex deprivatione veri, ac per "animam" significatur vita spiritualis. (Quod "plateae urbis" in quibus deficiunt, significant vera doctrinae, videatur n. 2336; et quod "mater" in cuius sinum effunditur anima, significet ecclesiam, n. 2691, 2717, 3703, 4257, [1]5581, 8897.) Apud *Zephaniam*,

"Erunt opes eorum in praedam, et domus eorum in devastationem, ut aedificant domos sed non inhabitent, et plantent vineas sed non bibant vinum earum" (i. 13):

per "opes" quae erunt in praedam significantur opes spirituales, quae sunt cognitiones boni et veri; per "domos" quae in devastationem significantur illa quae ecclesiae sunt in homine; quae cum vastata sunt quod tunc nihil proficiant ac recipient tametsi audiunt illa et in Verbo vident illa, significatur per "aedificare et non inhabitare, et plantare vineas et non bibere vinum earum" ("domus" sunt bona ecclesiae, ac "vineae" cum "vino" sunt vera ejus).

[d.] Similia intelliguntur apud *Micham*,

"Tu seres sed non metes, tu calcabis olivam sed non unges te oleo, et mustum sed non bibes vinum" (vi. 15):

apud *Amos*,

"Vineas desiderii plantabitis, sed non bibetis vinum earum" (v. 11):

et apud *Hoscheam*,

"Area et torcular non pascet eos, et mustum mentietur [2]illis, . . . . non libabunt Jehovahe vinum, et non grata erunt Ipsi" (ix. 2, 4):

per "aream et torcular" similia significantur quae per "frumentum et vinum," quia collectio eorum ibi; quod non proficient ex illis auditis significatur per quod "non pascent illos," et quod "mustum mentietur [2]illis;" et quod inde cultus eorum non acceptus sit, significatur per quod "non libabunt Jehovahe vinum, et non grata erunt" (nempe libamina) "Ipsi." Apud *Joelem*,

"Experciscimini ebrii et flete, et ejulate omnes potantes vinum, propter mustum quod excisum est ex ore vestro: . . . . devastated is ager, luxit terra, quia devastated is frumentum, exaruit mustum, languet oleum, pudefacti sunt agricultae, ejularunt vinitores" (i. 5, 10, 11):

quid per haec in sensu spirituali significatur, videatur supra (n. 374[6]), ubi illa explicata sunt; et quod per "vinum et mustum" intelligatur verum ecclesiae, ac per "vinitores" illi qui in veris sunt et docent illa; agitur ibi de ecclesia devastata, ubi bona et vera perierunt. Apud *Ezechielem*,

"Damascus negotiatrix tua per multitudinem operum tuorum, per multitudinem omnium opum, in vino <sup>[1]</sup>Chesbonis et lana Zacharis" (xxvii. 18):

haec dicta sunt de Tyro, per quam significatur ecclesia quoad cognitiones boni et veri, et per "Damascum" quae erat urbs Syriac significatur scientificum concordans, et per "negotiationes" de quibus in illo capite agitur, significantur illarum comparatio et communicatio, ac usus; quia scientificum concordans per "Damascum" significatur, ideo dicitur quod sit "negotiatrix in multitudine omnium operum et opum," ac per opera ex quibus fiebant usus significantur cognitiones boni, et per "opes" cognitiones veri; et quia cognitiones veri et boni sunt in naturali homine, in eo enim est omne cognitivum perceptibile et scientificum, ideo dicitur "in vino <sup>[1]</sup>Chesbonis et lana Zacharis;" "vinum <sup>[1]</sup>Chesbonis" significat verum naturale, et "lana Zacharis" bonum naturale. Apud *Esaiam*,

"Maledictio comedet terram, . . . lugebit mustum, languescat vitis, gement omnes laeti corde, . . . cum cantu non bibent vinum, amara erit sicera bibentibus eam; frangetur urbs inanitatis, claudetur omnis domus ut nemo intret" (xxiv. 6, 7, 9, 10):

perversio ecclesiae per haec verba describitur, quae est quando falsum regnat loco veri, unde non bonum amplius, nam per vera bonum homini; per "terram quam comedet maledictio" significatur ecclesia; "maledictio" est perversio ejus: per "mustum quod lugebit," et per "vitem quae languescat," significatur omne ecclesiae verum; "lugere" et "languescere" significat deprivationem ejus: quod non erit aliquod jucundum et beatum caeleste amplius, significatur per quod "gement omnes laeti corde, cum cantu non bibent vinum:" quod aversatur omnia quae concordant cum veris, significatur per quod "amara erit sicera bibentibus eam;" "sicera" significat quae sunt ex veris et concordant cum illis: sed quod destruetur doctrina falsi, significatur per "frangetur urbs inanitatis;" "urbs" est doctrina, ac "inanitas" est falsum: et quod non bonum amplius et sapientia

apud hominem, significatur per "claudetur omnis domus ut nemo intret," quod fit quando non verum sed falsum.  
Apud *Amos*,

"Qui bibunt ex scyphis vini, et primitiis oleorum se ungunt; sed super confractione Josephi non <sup>[i]</sup>afficiuntur dolore" (vi. 6):

per haec et praecedentia in eo capite describuntur qui in externo cultu absque interno sunt, quales olim fuerunt et hodie sunt Judaei; "scyphi vini ex quibus bibunt," sunt externa veri ex quibus cultus; ac "primitiae oleorum quibus se ungunt," sunt externa boni ex quibus etiam cultus; "Josephus" significat internum ecclesiae seu spirituale ejus; quod nihil afficiat quod id pereat, significatur per "super confractione ejus non <sup>[i]</sup>afficiuntur dolore." (Quod cultus externus absque interno sit nullus cultus, videatur n. 1094, 1175, 7724; quod apud Judaeos olim fuerit et hodie sit cultus externus absque interno, n. 1200, 3147, 3479, 8871; quod "Josephus" significet ecclesiam spiritualem, et inde etiam spirituale ecclesiae, n. 3969, 3971, 4669, 6417.) Apud *Sachariam*,

"Potentem reddam domum Jehudae, et domum Josephi servabo;.... hinc erunt sicut potens Ephraim, et laetabitur cor eorum quasi vino" (x. 6, 7):

per "domum Jehudae" significatur ecclesia caelestis Domini, et per "domum Josephi" ecclesia spiritualis Domini; et per "potentes reddere domos eorum" significatur multiplicare vera quae ex bono apud illos, nam omnis potentia est veri ex bono: inde dicitur quod "erunt sicut potens Ephraim;" per "Ephraim" significatur intellectus veri ex bono, ita "potens" dicitur ex multiplicatione ejus: jucundum caeleste inde significatur per "laetabitur cor eorum quasi vino;" "vinum" est verum ex bono, ex quo jucundum illud. (Quod omnis potentia sit veris ex bono, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 228-233; et quoque supra, n. 209, 333; quod "Jehudah" in Verbo significet regnum caeleste Domini, in *Arcanis Caelestibus*, n. 3881, 6363; et quod "Ephraim" intellectuale ecclesiae, n. 3969, 5354, 6222, 6234, 6238, 6267, 6296.) Apud *Daniellem*,

Belschazar Rex Babelis, et magnates ejus, et uxores ejus, et pellices ejus, biberunt vinum ex vasis Templi Hierosolymitani, et laudarunt deos [auri,] argenti, aeris, ferri, ligni et lapidis: ideo scriptum est in pariete, Numeratus, Appensus, et Divisus; <sup>[i]</sup>et ille dein a filiis hominis expulsus est, et cum onagris habitatio ejus (v. 2-5, 21):

per haec in sensu interno describitur profanatio boni et veri, quae etiam est "Babel" seu "Babylonia;" nam per "bibere vinum ex vasis Templi Hierosolymitani" significatur haurire vera ecclesiae ex Verbo, "bibere" enim "vinum" est

haurire vera, et "vasa Templi Hierosolymitani" sunt illa quae sunt doctrinae ecclesiae ex Verbo; ac "laudare deos auri, argenti, aeris, ferri, ligni et lapidis," significat cultum ex amore sui et mundi, per illos enim deos significatur cultus idololatricus omnis generis, et profanatio; quod ideo scriptum sit in pariete, "Numeratus, appensus, divisus," significat separationem ab omnibus caeli et ecclesiae; quod "ille dein a filiis hominis expulsus sit, et cum onagris habitatio ejus," significat quod separatus ab omni vero, et quod sors vitae ejus cum infernalibus, "filii" enim "hominis" sunt vera ecclesiae, "onagri" sunt qui in diris falsis qualia sunt in infernis, et "habitatio" est vitae sors. Apud *Joelem*,

"Super populum meum jecerunt sortem, quia dederunt puerum pro scorto, et puellam vendiderunt vino quod biberunt" (iv. [B. A. iii.] 3):

per "jacere sortem super populum" significatur dissipare vera ecclesiae; "jacere sortem" significat dissipare, et "populus" significat ecclesiam quoad vera, ita quoque vera ecclesiae: per "dare puerum pro scorto" significatur falsificare verum, "puer" enim est verum ecclesiae, et "scortum" est falsum: et per "vendere puellam vino quod biberunt" significatur pervertere bonum ecclesiae per verum falsificatum, "puella" enim est bonum ecclesiae, et "vinum" est verum falsificatum.

[e.] Quia "vinum" significabat verum ecclesiae quod ex bono, ideo mandatum est ut super altari cum sacrificiis etiam offerrent mincham et libamen, et minchah erat panis et libamen vinum, per quae significabatur cultus Domini ex bono amoris et ex veris inde, <sup>[2]</sup>nam omnis cultus est ex illis.

(De libaminibus quantum vini in illis ad varia sacrificia, videatur *Exod.* xxix. 40, 41: *Levit.* xxiii. 13, 18: *Num.* vi. 1-4, 15, 17; cap. xv. 4-7, 10, 24; cap. xxviii. 7-10, 24, 31; cap. xxix. 6, 11, 16, 19, 22, 25, 27, 28, 31, 34, 38, 39; et praeterea *Genes.* xxxv. 14.)

Inde patet quid significatur apud *Joelem*,

"Excisa est minchah et libamen e domo Jehovahe, luxerunt sacerdotes ministri" altaris (i. 9);

quod nempe perierit cultus ex bono amoris et ex veris inde. Quis non videre potest quod minchah et libamen, quae erant panis et vinum, non essent Jehovahe in cultum gratum,

nisi significavissent talia quae sunt caeli et ecclesiae? Ex his nunc constare potest quid involvit panis et vinum in Sancta Cena, quod nempe panis bonum amoris a Domino in Dominum, et vinum bonum fidei quod in sua essentia est verum. (Sed de Sancta Cena, et de Pane et Vino ibi, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 210—[<sup>a</sup>]222.) Et quia "vinum" significat bonum fidei quod in sua essentia est verum, ideo Dominus cum instituit Sacramentum Cenae dixit,

"Dico vobis quod non bibiturus sim a nunc ex hoc genimine vitis, usque ad diem illum, quando id biberò vobiscum novum in regno Patris mei" (*Matth. xxvi.* 29);

"Dico vobis quod non bibiturus sim de genimine vitis, donec quando regnum Dei venturum est" (*Luc. xxii.* 18);

per "genimen vitis" seu "vinum" quod Dominus cum illis bibiturus novum "in regno Patris sui," seu "donec quando regnum Dei venturum est," intelligitur quod a Divino Humano Ipsius tunc omne Divinum Verum in caelo et in ecclesia; quare illud vocat "novum," et quoque vocat "Novum Testamentum in sanguine suo" (vers. 20); "sanguis" enim "Domini" simile significat ac "vinum" (videatur supra, n. 30, 328[*a-c*], 329[*a,b*] ); et quoniam, postquam Dominus resurrexit, omne Divinum ab Ipso procedit, ideo dicit quod id cum illis bibiturus sit quando regnum Dei venturum est, et tunc venit quando Ipse omnia in ordinem in caelis et in infernis reredit. Quod regnum Dei cum Domino venerit, et ab Ipso, constare potest

Apud *Matthaeum*, cap. iii. 2; cap. iv. 8; cap. x. 7; cap. xii. 28; cap. xvi. 28; apud *Marcum*, cap. i. 14, 15; cap. v. 1; apud *Lucam*, cap. i. 32, 33; cap. ix. 11, 27, 60; cap. x. 11; cap. xvi. 16; cap. xvii. 20, 21; cap. xxiii. 42, 51; apud *Johannem*, cap. xviii. 36.

Quoniam nunc "panis" significat bonum amoris, ac "vinum" bonum fidei quod in sua essentia est verum ex illo bono, ac in supremo sensu "panis" Dominum quoad Divinum Bonum, ac "vinum" Dominum quoad Divinum Verum, et quoniam correspondentia est inter spiritualia et naturalia, ac talis correspondentia ut cum in cogitatione hominis est panis et vinum, in cogitatione angelorum sit bonum amoris et bonum fidei, et quoniam omnia caeli et ecclesiae se referunt ad bonum amoris et ad bonum fidei, ideo a Domino instituta est Sancta Cena, ut per illam sit conjunctio angelorum caeli cum hominibus ecclesiae. Quia illa per "panem et vinum" in caelo intelliguntur, ideo

"Melchizedech Rex Schalemi," exiens obviam Abramo, "eduxit panem et vinum: et hic sacerdos Deo altissimo;" et benedixit Abramo (*Gen. xiv. 18, 19*):

per Melchizedechum repraesentatur ibi Dominus quoad Divinum Bonum et quoad Divinum Verum; per illum ut sacerdotem, Divinum Bonum; et per illum ut regem, Divinum Verum: ideo "eduxit panem et vinum," quia per "panem" significatur Divinum Bonum, et per "vinum" significatur Divinum Verum; seu applicate ad hominem, per "panem" significatur bonum amoris in Dominum, et per "vinum" bonum fidei quod est ex receptione Divini Veri. Simile significatur per "vinum" a Domino in his sequentibus:—*Apud Matthaeum,*

"Non mittunt vinum novum in utres veteres, si vero minus, rumpuntur utres et vinum effunditur; . . . sed mittunt vinum [novum] in utres novos, et utraque conservantur." . . . "Et nemo bibens vetustum statim vult novum, dicit enim, Vetustum utilius est" (*ix. 17; Luc. <sup>[i]v.</sup> 39*):

quoniam omnes comparationes in Verbo sunt ex correspondiis, ita quoque haec comparatio, et per "vinum" significatur verum, per "vinum vetus" verum ecclesiae veteris seu Judaicae; ac per "utres" significantur illa quae continent, per "utres veteres" statuta et judicia Ecclesiae Judaicae, et per "utres novos" praecepta et mandata Domini; quod statuta et judicia Ecclesiae Judaicae, quae praecipue erant de sacrificiis et de cultu repraesentativo, non concordent cum veris Ecclesiae Christianae, intelligitur per "Non mittunt vinum novum in utres veteres, si vero minus, rumpuntur utres et vinum effunditur, . . . sed mittunt vinum [novum] in utres novos, et utraque conservantur una:" quod illi qui nati et educati sunt in externa quae erant Ecclesiae Judaicae non statim possint perduci in interna quae sunt Ecclesiae Christianae, significatur per "Nemo bibens vinum vetustum statim vult novum, dicit enim, Vetustum utilius est." Simile significatur per "aquam conversam in vinum" in Kana Galilaeae, de quo ita apud *Johannem*,

In nuptiis in Kana Galilaeae, cum deficeret vinum, "erant ibi hydriae lapideae sex positae juxta mundationem Judaeorum: . . . dixit Jesus, Implete hydrias, qui impleverunt ad summum; tunc dixit illis, Haurite nunc et afferte architrilino, et attulerunt: cum gustavat architrilinus aquam vinum factam, . . . vocat sponsum, [et] dicit illi, Omnis homo primo bonum vinum apponit, et quando sat habuerint, vilius; tu reservasti bonum vinum huc usque" (*ii. 1-10*):

sciendum est quod omnia miracula a Domino facta, sicut omnia miracula ab Ipso de quibus in Veteri Testamento, significaverint talia quae caeli et ecclesiae sunt, hoc est, quod intus continuerint illa, et quod inde miracula Ipsius Divina fuerint (*videatur in Arcanis Caelestibus*, n. 7337, 8364, 119051); simili-  
ter hoc miraculum; et per "nuptias" ibi significatur ecclesia, ut passim alibi in Verbo; "in Kana Galilaeae" [significat] apud gentes; et per "aquam" significatur verum ecclesiae externae quale fuit verum Ecclesiae Judaicae ex sensu litterae Verbi, et per "vinum" significatur verum ecclesiae internae, quale est verum Ecclesiae Christianae; inde quod Dominus "aquam fecerit vinum" significat quod vera ecclesiae externe fecerit vera ecclesiae internae, aperiendo interna quae in illis latuerunt: per "hydrias sex lapideas positas juxta mundationem Judaeorum" significantur omnia illa in Verbo et inde in Ecclesia Judaica et ejus cultu, quae omnia erant reprezentativa et significativa Divinorum in Domino et a Domino, quae continebant interna; quare etiam fuerunt "sex ex lapide positae ad mundationem Judaeorum;" numerus "sex" significat omnia et praedicatur de veris, "lapis" significat verum, ac "mundatio Judaeorum" significat purificationem a peccatis, ita omnia Ecclesiae Judaicae; nam ecclesia spectat purificationem a peccatis ut omne suum, quantum enim quis purificatur ab illis tantum est ecclesia: per "architriclinum" intelliguntur qui in cognitionibus veri sunt; quod dixerit ad sponsum, "Omnis homo primo bonum vinum apponit, et quando sat habuerint, vilius; tu reservasti bonum vinum huc usque," significat quod omnis ecclesia incoheta veris ex bono, sed desinat in vera non boni, et quod usque nunc in fine ecclesiae verum ex bono seu genuinum verum detur, nempe a Domino. Quoniam "vinum" significat verum ecclesiae, et "oleum" bonum ejus, ideo dicit Dominus in parabola de illo qui vulneratus est a latronibus,

Quod Samarita infuderit oleum et vinum in vulnera ejus (*Luc. x. 33, 34*):

ubi per "vulneratum a latronibus" intelliguntur qui infestantur et quoad conscientiam sauriantur a malis hominibus, qui sunt latrones; et per "Samaritam" intelliguntur gentes quae in bono charitatis; inde per quod "infuderit oleum et vinum in vulnera ejus" significantur spiritualia quae

sanant hominem ita laesum, "oleum" bonum amoris, et "vinum" bonum fidei seu verum; quid cetera significant, quod nempe "sustulerit eum super proprium jumentum, et duxerit ad diversorum, et dixerit illis ibi ut curam ejus haberent," videatur supra (n. 375[e(viii)]), ubi illa explicata sunt. Quod "vinum" significet verum ecclesiae, non modo ex allatis locis constare potest, sed etiam ex aliis in Verbo

(Ut *Esaï. i. 21, 22; cap. xxv. 6; cap. xxxvi. 17; Hosch. vii. 4, 5, 14; cap. xiv. 6-8 [B. A. 5-7]; Amos ii. 8; Sach. ix. 15, 17; Psalm. civ. 14-16*).

[f.] Quoniam pleraque in Verbo etiam oppositum sensum habent, ita quoque "vinum," et in eo significat verum falsificatum, et quoque falsum, ut in sequentibus locis:—  
Apud *Esaïam*,

"Vae coronae superbiae, ebriis Ephraimi, flori <sup>(1)</sup>decedentis gloriae [decoris] ejus, quae super capite vallis pinguium perturbatorum vino:.... pedibus conculcabuntur corona superbiae ebrii Ephraimi;....hi per vinum errant, et per siceram aberrant; <sup>(2)</sup>sacerdos et propheta errant per siceram, absorbentur a vino, aberrant per <sup>(3)</sup>vinum, errant inter videntes, titubant iudicio" (xxviii. 1, 3, 7):

haec dicta sunt de illis qui insanunt in spiritualibus, ex eo quod ex semet intelligentes esse credant, et inde gloriantur; illorum status hic describitur per meras correspondentias; illi qui insanunt in spiritualibus seu in veris intelliguntur per "ebrios," et qui inde intelligentes se credunt per "Ephraimum;" et gloriatio intelligentiae seu eruditionis inde per "coronam superbiae," illi enim qui in falsis doctrinae sunt, et in iis se confirmaverunt, dum illustrantur ac vident vera, in altera vita fiunt tanquam ebrii; tales fiunt eruditi qui se in falsis confirmaverunt, et in falsis se confirmare est ex semet et non a Domino; inde patet quid significatur per "Vae coronae superbiae, ebriis Ephraimi;" per "florem <sup>(1)</sup>decedentis gloriae quae super capite vallis pinguium perturbatorum vino," significatur verum ecclesiae in sua nascentia deperditum ex gloriacione intelligentiae propriae, quae est naturalis hominis separati a spirituali, qui tunc videt falsum loco veri; "flos gloriae" est verum in sua nascentia cadens seu perditum, "caput vallis pinguium" est intelligentia naturalis hominis, "perturbati vino" sunt qui vident falsum loco veri: "pedibus conculcabuntur corona superbiae ebrii Ephraimi" significat quod prorsus peritura sit illa intelligentia: "hi per vinum errant et per siceram aberrant" significat per falsa et per illa, quae ex illis;

“sacerdos et propheta errant per siceram, absorbentur a vino, aberrant per “vinum,” significat qui in doctrina boni et veri esse debent quod tales, et abstracte a personis quod ipsa doctrina illorum sit talis; “errant inter videntes, titubant judicio,” significat quod non videant vera quae intelligentiae. Quod talia significantur per ea verba, nemo videre potest nisi ex sensu spirituali; absque eo non scitur quod “corona” et “caput” significant intelligentiam, quod “ebrii” significant illos qui insaniunt in spiritualibus, quod “Ephraim” intellectum hic hominis proprium seu ex semet, quod “vallis” significet inferiora mentis quae sunt naturalia et sensualia, et quod “sacerdos et propheta” doctrinam boni et veri. Apud eundem,

“Cunctamini, admiramini, obstupescite et vociferamini; inebriati sunt et non vino, titubant et non sicera; nam effudit super vos Jehovah spiritum somnolentiae, et occlusit oculos vestros, prophetas et capita vestra, videntes obtexit” (xxix. 9, 10):

haec dicta sunt de illis qui prorsus nihil veri possunt videre, cum audiunt et ex Verbo legunt illud; qui tales sunt, dicuntur “inebriati non vino, ac titubant et non sicera;” “vinum” in specie significat verum spiritualis et inde rationalis hominis, ac “sicera” verum naturalis hominis inde: quia tales intelliguntur, ideo dicitur, “Effudit Jehovah super vos spiritum somnolentiae, et occlusit oculos vestros;” “spiritus somnolentiae” est nulla perceptio, et “occlusi oculi” sunt nullus intellectus: “prophetas et capita vestra, [videntes] obtexit,” significat illos qui in doctrina veri, et inde sapientes et intelligentes essent; “prophetae” significant illos qui in doctrina veri sunt et abstracte ipsam doctrinam, “capita” significant sapientes et abstracte intelligentiam, ac “videntes” significant intelligentes et abstracte intelligentiam: admiratio super tam gravi stupiditate describitur per “cunctamini, admiramini, obstupescite,” ac lamentatio super illa per “vociferamini.” Tales sunt illi qui in vita mali et simul in principiis falsi sunt, utcunque cruditi creduntur; per vitam mali enim occluditur perceptio boni, ex qua vita et lux cogitationi est, et per principia falsi occluditur intellectus veri, unde vident solum ex sensuali homine et nihil ex spirituali. Apud eundem,

“Canes obfirmati anima, non sciunt satietatem; iidemque pastores non sciunt intelligere; . . . venite, sumam vinum, et inebriemur sicera” (lvi. 11, 12):

haec dicta sunt de illis qui nihil curant nisi mundana et terrestria, per quod clauditur internus spiritualis homo; illi ex non perceptione boni et non intellectu veri dicuntur "canes obfirmati anima, qui non sciunt satietatem," hoc est, qui non possunt recipere bonum; "scire" hic significat posse, et "satietas" receptionem boni, satietas enim praedicatur de cibo per quem significatur nutritio spiritualis: quod nec illis intellectus veri, intelligitur per "Idem pastores non sciunt intelligere;" "pastores" dicuntur qui credunt se posse instruere alios, nam "pascere" est instruere; et quia tales amant falsa et falsificata, ideo additur, "Venite, sumam vinum, et inebriemur sicera." Apud *Jeremiam*,

"Sic dixit Jehovah Deus Israelis, Omnis uter implebitur vino, . . . Ecce Ego implens omnes habitatores terrae hujus, et reges sedentes Davidi super throno ejus, et sacerdotes et prophetas, omnes habitatores Hierosolymae ebrietate" (xiii. 12, 13):

per "vinum" hic quoque significatur falsum, et per "omnem utrem qui implebitur vino" significatur mens hominis, quoniam illa est recipiens veri aut falsi, sicut uter vini; per "reges sedentes Davidi super throno ejus" significantur qui alioqui forent in Divinis veris; per "sacerdotes" qui in Divinis bonis; per "prophetas" qui in doctrina; per "habitatores Hierosolymae" omnes qui ab ecclesia; et per "ebrietatem" qua implebuntur significatur insanitio in spiritualibus. Apud eundem,

"Factus sum sicut ebrius, et sicut vir quem penetravit vinum, propter Jehovah et propter verbum sanctitatis Ipsius, quia adulteris plena est terra" (xxiii. 9, 10):

lamentatio haec est super adulterationem boni et falsificationem veri in ecclesia; hoc significatur per "adulteris plena est terra;" illae per "adulteria" significantur, et ecclesia per "terram:" insanitio in spiritualibus per rationcinationes ex malis contra Divina bona, et ex falsis contra Divina vera, significatur per "factus sum sicut ebrius, et sicut vir quem penetravit vinum, propter Jehovah, et propter verbum sanctitatis Ipsius;" "fieri sicut ebrius et sicut vir quem penetravit vinum," significat perturbationem mentis et insanitionem a ratiociniis ex malis et falsis; "propter Jehovah" significat propter Divina bona, ac "propter verbum sanctitatis Ipsius" significat propter Divina vera. Apud *Esaiam*,

"Audi age hoc, afflicta, et ebria sed non a vino" (*li. 21*):

per "ebriam sed non a vino," intelliguntur hic qui in falsis sunt ex ignorantia veri. Quod Noach

Biberit de vino, et inebriatus sit, et quod inde nudatus jacuerit in medio tentorii sui (*Gen. ix. 21*),

in sensu spirituali prorsus aliud intelligitur quam in sensu litterae: similiter per Lothum

Quod inebriatus sit a filiabus suis, et hae tunc cubuerint cum illo (*Gen. xix. 32-34*).

Quid per inebriationem Noachi in sensu spirituali intelligitur, videatur in *Arcanis Caelestibus* (n. 1070-1081); et quid per inebriationem Lothi (n. 2465 ad finem). Per "ebrietatem" etiam alibi in Verbo significatur insania in spiritualibus ac lapsus in errores

(Ut *Esai. xix. 11, 12, 14*: <sup>[1]</sup> *Jerem. xxv. 27*: *Joel i. 5, 6, 7*: *Jerem. li. 7*: *Levit. x. 8, 9*).

[*g*]. Quod per "vinum" in opposito sensu significetur falsum, etiam constat apud *Esaiam*,

"Vae surgentibus mane sub auroram, siceram persequuntur, commorantibus in crepusculum, vinum incendit eos; . . . opus autem Jehovae non introspicunt, et factum manuum Ipsius non vident; . . . vae sapientibus in oculis suis, et coram faciebus suis intelligentibus: vae heroibus ad potandum vinum, et viris roboris ad miscendum siceram" (*v. 11, 12, 21, 22*);

haec dicuntur de illis qui sibi faciunt doctrinalia ex propria intelligentia, et non ex Domino seu ex Verbo ab Ipso, unde mera falsa; quare per "vae surgentibus mane sub auroram, siceram persequuntur, commorantibus in crepusculum, vinum incendit eos, . . . opus autem Jehovae non introspicunt, et factum manuum Ipsius non vident," significatur status perversus eorum qui credunt illustrari a semet; unde falsa doctrinæ, et non curant Verbum unde sciant bona et vera vitae ac doctrinæ: "surgere mane sub auroram et commorari in crepusculum" significat illustrari; ac "persequi siceram et incendi vino" significat excludere doctrinalia ex semet; "opus Jehovae non introspicere et factum manuum Ipsius non videre" significat non curare Verbum ac bona vitae et vera doctrinæ ibi detecta; "opus Jehovae" dicitur de bonis vitae, ac "factum manuum Ipsius" de veris doctrinæ, utraque ex Verbo;

quia illi intelliguntur, ideo dicitur, "Vae sapientibus in oculis suis, et coram faciebus suis intelligentibus," et per "sapientes in oculis suis" significantur qui ex propria intelligentia, et per "intelligentes coram faciebus suis" significantur qui ex propria affectione, "oculi" enim significant intellectum, et "facies" affectionem: et per "Vae heroibus ad potandum vinum, et viris roboris ad miscendum siceram," significatur quod illis qui magna spirant ac ingeniosi sunt ad confirmandum falsa quae favent amoribus sui ac principiis suis; "heroes" sunt qui magna spirant, "viri roboris" sunt qui ingeniosi et sibi intelligentes videntur, "potare vinum" est haurire falsa, et "miscere siceram" est confirmare illa. Omnes illi tales sunt qui sunt in amore sui et ambiunt eruditionis famam; sunt enim in proprio, et ab illo elevari nequeunt; quare cogitatio eorum est in sensuali corporo, cui non aliquod verum appetet nec bonum spirituale percipitur; at qui non in amore sui sunt ac ambiunt intelligentiam propter usus vitae, illi a proprio elevantur a Domino in lucem caeli ipsis nescientibus, ac illustrantur. Apud *Hoscheam*,

"Scortatio....et mustum occupavit cor, populus meus lignum interrogat, et baculus ejus respondet illi, quia spiritus scortationum seduxit, et scortati sunt sub Deo suo:....sociatus idolis Ephraim;....recessit vinum eorum, scortando scortari" (iv. 11, 12, 17, 18):

agitur hic de illis qui falsificant vera; falsificatio veri significatur per "scortationem," ac falsum inde per "mustum;" inde patet quid significatur per quod "scortatio et mustum occupavit cor:" "quod spiritus scortationum seduxit, scortati sunt sub Deo suo, et recessit vinum scortando scortari," quod nempe falsificant Divina vera, et quod inde illis non aliquod verum; "scortari sub Deo suo" significat falsificare Divina vera, et "recessit vinum" significat quod inde illis non aliquod verum; per "Ephraim" qui sociatus idolis significantur illi qui ex propria intelligentia, et per "idola" quibus sociatus significantur falsa religionis; per quod "populus meus lignum interroget, et baculus ejus respondeat illi," significatur quod consulant proprium amorem, ac faveant ei ex propria intelligentia; "lignum" enim seu idolum ex ligno quod interrogat, significat proprium amorem; et "baculus" qui respondet, significat potentiam ex proprio, ita intelligentiam. In *Apocalypsi*,

"Cecidit, cecidit, Babylon, urbs magna, quia ex vino irae scortationis suae potavit omnes gentes: . . . si quis bestiam adorat, . . . ille bibet ex vino irae Dei mixto mero in calice irae" Dei, "et cruciabitur igne et sulphure" (xiv. 8, [9,] 10):

alibi,

"Monstrabo tibi judicium meretricis magnae sedentis super aquis multis, cum qua scortati sunt reges terrae, et inebrinati sunt ex vino scortationis ejus inhabitantes terram" (xvii. 1, 2):

et alibi,

"Quia ex vino [furoris] scortationis potavit omnes gentes, et reges terrae cum ea scortati sunt" (xviii. 3):

per "vinum irae Dei" significatur falsum mali, et per "vinum scortationis" significatur falsificatum verum; quid per reliqua intelligitur, videbitur in explicatione eorum: tum quid per haec in *Apocalypsi*,

"Babylonis magnae memoria facta est coram Deo, ad dandum illi poculum vini furoris irae" Dei (xvi. 19):

simile quod per "vinum irae Dei," etiam significatur per "calicem" seu "poculum" irae Dei. Apud *Jeremiam*,

"Calix auri Babel in manu Jehovah, inebrians universam terram; de vino ejus biberunt gentes, ideo insaniunt gentes" (li. 7):

ac apud *Davidem*,

"Calix in manu Jehovah, et vino miscuit, implevit mixto, et effudit; sed feces ejus exsugent, bibent omnes impii ferrae" (Ps. lxxv. 9 [*B. A.* 8]).

Quoniam per "mincham" et "libamen," quae erant panis et vinum, significatur cultus ex bono amoris et veris fidei, inde in opposito sensu per "mincham" et "libamen" significatur cultus ex malis quae amoris mali et ex falsis fidei; quae significabantur per "mincham" et "libamen," quae offerebantur idolis ac diis

(*Esai.* lxv. 11; *cap. lvii.* 6; *Jerem.* vii. 18; *cap. xliv.* 17-19; *Ezech.* xx. 28; *Deutr.* xxxii. 38; et alibi).

Ex significatione "vini" constare potest quid in Verbo significatur per "vineam," per "vitem," per "palmites" ejus, perque "uvas:" quod nempe per "vineam" ecclesia spiritualis, seu ecclesia quae est in veris ac bonis doctrinac ex Verbo; per "vitem" ipsa doctrina; per "palmites" ejus vera ex quibus doctrina; et per "uvas," quae sunt fructus vineae ac vitium, bona charitatis et bona fidei: sed de his alibi.

## VERSUS 7, 8.

**377.** "Et cum aperuisset sigillum quartum, audivi vocem quarti animalis dicentem, Veni et aspice. Et vidi, et ecce equus pallidus, et sedens super illo nomen illi mors, et infernus sequebatur cum illo, et data illis potestas interficiendi super quartam partem terrae in romphaea et in fame et in morte, et a feris terrae."

7. "Et cum aperuisset sigillum quartum," significat praedictionem manifestatam ulterius [n. 378]; "audivi vocem quarti animalis dicentem," significat e caelo intimo a Domino [n. 379]; "Veni et aspice," significat attentionem et perceptionem [n. 380].
8. "Et vidi, et ecce equus pallidus," significat intellectum Verbi nullum, ex malis vitae et inde falsis tunc [n. 381]; "et sedens super illo," significat Verbum [n. 382]; "nomen illi mors, et infernus sequebatur cum illo," significat damnationem aeternam [n. 383]; "et data illis potestas interficiendi super quartam partem terrae," significat deprivationem omnis boni et inde veri ex Verbo, et inde in doctrina ecclesiae eorum ex Verbo [n. 384]; "in romphaea," significat per falsum [n. 385]; "et in fame," significat per deprivationem, defectum, et ignorantiam cognitionum veri et boni [n. 386]; "et in morte," significat inde extictionem vitae spiritialis [n. 387]; "et a feris terrae," significat mala vitae, seu cupiditates et inde falsitates oriundas ab amore sui et mundi, quae vastant omnia ecclesiae apud hominem [n. 388].

**378.** [Vers. 7.] "Et cum aperuisset sigillum quartum."—Quod significet praedictionem manifestatam ulterius, constat ex illis quae supra (n. 351, 352, 361) dicta et ostensa sunt.

**379.** "Audivi vocem quarti animalis dicentem."—Quod significet e caelo intimo a Domino, constat etiam ex illis quae supra (n. 353, 362, 370) dicta et ostensa sunt.

**380.** "Veni et aspice," significat attentionem et perceptionem (ut supra, n. 354, 371).

**381.** [Vers. 8.] "Et vidi, et ecce equus pallidus."—Quod significet intellectum Verbi nullum, et malis vitae et inde falsis tunc [constabit ex sequentibus]. Agitur in hoc et sequente capite de successivis statibus ecclesiae, hoc est, hominum ecclesiae quoad spiritualem eorum vitam; ac primus status corum descriptus est per "equum album," secundus per "equum rufum," tertius per "equum nigrum," et quartus per "equum pallidum." Quod per "equum album" significatus sit intellectus veri ex Verbo, videatur supra, n. 355; quod per "equum rufum" significatus sit intellectus Verbi deperditus quoad bonum, n. 364; quod per "equum nigrum" significatus sit intellectus Verbi deperditus quoad verum, n. 372; inde nunc patet quod per "equum pallidum" significetur intellectus Verbi nullus ex malis vitae et inde falsis: cum enim intellectus Verbi deperditus est quoad bonum

et quoad verum, sequitur quod intellectus Verbi nullus sit ; et quod nullus sit, est quia malum vitae et inde falsum regnat. Dicitur *malum vitae et inde falsum*, nam ubi malum vitae est ibi etiam falsum est, unum enim faciunt in spiritu hominis ; *in spiritu hominis* dicitur, quoniam malus homo potest aequo ac bonus homo bonum facere et verum loqui, sed hoc a malo homine fit solum ex naturali homine et inde corpore ; at intus apud illum, hoc est, in spiritu ejus, non est voluntas boni et inde nec intellectus veri, ita non bonum nec verum, quod imprimis patet ex iisdem cum flunt spiritus ; tunc quia in spiritu sunt, non aliud volunt quam malum, nec aliud loquuntur quam falsum : hoc nunc intelligitur per "equum pallidum." Quod "equus" significet intellectum, videatur supra (n. 355) ; hic intellectum Verbi, quia per "sedentem super equo" significatur Verbum (n. 373). Quod "pallidus" significet malum vitae et inde falsum, ita "equus pallidus" intellectum Verbi nullum ex malis vitae et inde falsis, est quia pallor indicat et inde significat absentiam vitae seu deprivationem ejus ; hic absentiam et deprivationem vitae spiritualis, quae est quando loco boni vitae est malum vitae, et loco veri fidei est falsum fidei, tunc enim non est vita spiritualis. Per vitam spiritualem intelligitur vita caeli, quae etiam in Verbo simpliciter "vita" vocatur ; at vita non spiritualis est qualis est illis qui in inferno sunt, quae etiam in Verbo vocatur "mors." Quod per "equum pallidum" mors spiritualis significetur, patet quoque ex sequentibus hujus versus, nam dicitur, "Sedens super equo illo nomen illi mors, et infernus sequatur cum illo." Simile significatur per "pallorem" seu per "pallidum" apud *Jeremiam*,

"Interrogate, queso, et videte num pariens mas ; [quare] video omnem virum manus ejus super lumbis ejus sicut parturientis, et conversae sunt omnes facies in pallorem" (xxx. 6) :

quid haec involvunt, nemo scire potest nisi sciat quid significat "parere," quid "mas" et "vir," quid "manus super lumbis," et quid "facies ;" haec dicta sunt de illis qui ex propria intelligentia sibi comparare volunt amorem et fidem ; illa sibi comparare significatur per "parere ;" per "marem" et "virum" significatur intelligentia, hic propria ; per "manus super lumbis" significatur excludere illa ; et per "facies" significatur amor et fides ; nam qualis est amor et fides,

talis est facies angelis et spiritibus ; affectio enim boni quae est amor, et affectio veri quae est fides, se manifestant prorsus in faciebus illorum : inde per "num pariens mas" significatur num aliquis ex propria intelligentia comparet sibi bonum amoris et verum fidei ; per "video omnem virum, manus ejus super lumbis ejus, sicut parturientis," significatur quod quisque connitatur ex proprio excludere illa ; et per "conversae sunt omnes facies in pallorem" significatur quod inde non bonum et verum, sed malum et falsum, ita non vita sed mors spiritualis ; hoc significatur per "pallorem faciei." (Quod "conceptiones," "partus" et "nativitates" in Verbo significant conceptiones, partus et nativitates spirituales, quae sunt amoris et fidei, videatur n. 3860, 3868, 3915, 3965, 3919, 9325; quod "mas" seu "masculus" significet verum, et inde intelligentiam, n. 749, 2046, 4005, 7838; similiter "vir," n. 749, 1007, 3134, 3309, 3459, 9007; quod "facies" significet interiora quae mentis, ita quae amoris et fidei, n. 1999, 2434, 3527, 4066, 4796, 5102, 9306, 9546; quod facies apud angelos sint formae affectionum eorum, in opere *De Caelo et Inferno*, n. 47, 457, 459, 481, 552, 553.) Simile per "pallescere" significatur apud *Esaiam*,

"Non [jam] pudefiet Jacobus, et non [jam] facies ejus pallescent" (xxix. 22) :

per "Jacobum" intelliguntur illi qui ab ecclesia ; et per quod "facies ejus non pallescent," quod non in malis et falsis sed in bonis et veris erunt. Quod "pallor" significet absentiam et deprivationem vitae spiritualis, quae est quando non est bonum et verum, sed malum et falsum, est quia cum homo depravatur calore vitali, tunc pallescat, ac fiat imago mortis, sicut fit in maximis terroribus, pariter cum moritur ; cum autem spiritualiter moritur, tunc facies ejus vel fit rubra instar ignis carbonarii, vel pallida instar cadaveris ; tales apparent infernales in luce caeli.

**382. "Et sedens super illo."**—Quod significet *Verbum*, constat ex illis quae supra (n. 373) dicta et ostensa sunt ; quod dicatur quod "nomen illi mors," non est quod *Verbum* in se sit mors, sed coram illis qui in malis et inde falsis sunt, illi enim nihil veri et boni inibi vident et percipiunt, ita nihil vitae spiritualis ; quare secundum apparentiam et perceptionem coram illis qui tales sunt, nomen sedentis super equo pallido vocatur "mors." *Verbum* enim cuivis appareat secundum ejus quale ; ut vita illis qui in bono et vero sunt, at ut mors illis qui in malis et falsis. Simile est cum *Ipsa Domino*, qui est *Verbum* ; *Ipse* etiam appareat cuivis secundum quale ejus ; ut ignis et lux vivi-

ficans et recreans illis qui in bono et inde veris sunt, sed ut ignis consumens ac ut caligo illis qui in malo et inde falsis sunt (videatur n. 934 fin., 1861 fin., 6832, 8814, 8819, 9434, 10551) : quapropter etiam apparet Dominus illis qui in malo et inde falsis sunt, sicut quod irascatur, puniat, condemnnet, dejicit in infernum ; cum tamen nusquam irascitur, nec punit, condemnat ac dejicit in infernum, sed salvat quantum homo se applicat ; est enim ipsum Bonum et Verum, est ipse Amor ac ipsa Misericordia. Simile est cum hoc, quod dicatur quod "nomen sedenti super equo pallido sit mors." (Reliqua de hac re videantur in loco supra citato, n. 373.)

**383. "Nomen illi mors, et infernus sequebatur cum illo."**—

Quod significet damnationem aeternam, constat ex significatione "nominis," quod sit quale rei (de qua supra, n. 102, 148), hic quale Verbi [apud illos] qui in malis et inde falsis sunt ; ex significatione "mortis," quod sit damnatio (de qua etiam supra, n. 186), mors enim spiritualis non aliud est ; ex significatione "inferni," quod sit malum et inde falsum, quoniam in illis et ex illis est infernus : et praeterea per "infernum" significatur simile quod per "mortem," nempe damnatio ; sed quia hic utrumque dicitur, et sic distinguitur a morte, significatur per "infernum" damnatio aeterna ; nam qui in infernum veniunt, ibi manent in aeternum ; quare etiam dicitur "et infernus sequebatur cum illo," nam per "sequi cum illo" significatur manere in illa, nempe in damnatione in aeternum. Ex his constare potest quod per "Nomen illi mors, et infernus sequebatur cum illo," significetur damnatio aeterna.

**384. "Et data illis potestas interficiendi super quartam partem terrae."**—Quod significet deprivationem omnis boni et inde omnis veri ex Verbo, et inde in doctrina ecclesiae eorum ex Verbo, constat ex significatione "potestatis," quod sit effectus, quoniam posse est efficere ; ex significatione "interficere" seu "occidere," quod sit deprivare bono et vero (de qua supra, n. 366) ; ex significatione "quartae partis," quod sit omne bonum et inde verum (de qua sequitur) ; et ex significatione "terrae," quod sit ecclesia et omne ejus (de qua supra, n. 29, 304) ; et quia ecclesia est ecclesia ex doctrina ibi et ex vita secundum illam, et quia omnis doctrina ecclesiae erit ex Verbo, inde etiam simul significatur doctrina ecclesiae ex Verbo : ex his constare potest quod per "data

illis potestas interficiendi super quartam partem terrae," significetur deprivatio omnis boni et inde veri ex Verbo, et inde in doctrina ecclesiae ex Verbo: quod dicatur quod "potestas data illis," intelligitur quod malis et inde falsis, quae etiam significantur per "mortem" et "infernum." Quod illi qui in malis et falsis sunt se deprivent omni perceptione boni ac intellectu veri ex Verbo, et inde in doctrina ecclesiae eorum ex Verbo, patet manifeste ex illis qui in falsis doctrinæ sunt ex malis vitae; illi tametsi legunt Verbum usque vera quae ibi sunt vel non vident vel falsificant, applicando illa ad falsa principii sui et ad mala amoris sui: sensus litteræ enim Verbi talis est ut qui in bono sunt videant vera ibi, et qui in malo videant falsa ibi; nam sensus litteræ est secundum captum infantum, puerorum, et simplicium, et propterea secundum apparentiam; sed usque in eo sensu latent vera quae non alii vident quam qui in bono sunt, at qui in malo sunt non volunt videre illa, sed trahunt ea per sinistras interpretationes ad mala amorum suorum et ad falsa principiorum suorum; ut manifeste constare potest ex tot haeresibus intra ecclesiam, imprimis ex nefanda haeresi Babylonica, et quoque ex haeresi Judaica. Quod "quarta pars" significet omne bonum et inde verum, est quia numerus "quatuor" significat coniunctionem boni et veri, et inde "quarta pars" seu "quartum" significat omne coniunctionis. In Verbo saepius dicitur "tertia pars" et quoque "quarta pars;" et qui non scit quod omnes numeri significant res, credere potest quod "tertia pars" significet tertiam partem, et "quarta pars" quartam partem, seu quod significant aliquid; at per "tertiam partem" significatur omne verum, et per "quartam partem" omne bonum; et quia omne verum est ex bono, inde per "quartam partem" significatur omne bonum et inde verum, hic deprivatio eorum, quia dicitur, "Data est illis potestas interficiendi super quartam partem terrae." Quod "tria" et inde "tertia pars"<sup>11</sup> dicantur de veris, videbitur in sequentibus ubi is numerus nominatur: quod autem "quatuor" et inde "quarta pars" dicantur de bonis et inde veris, est causa quia significant coniunctionem eorum. Quod ita sit, patuit mihi ex multa experientia e mundo spirituali; quando enim ibi sermo angelis fuit de coniunctione boni et veri, seu amoris et fidei, et is

sermo determinatus est in numeros, tunc exiit numerus quatuor, quandoque etiam numerus duo, aut numerus octo, aut numerus sedecim, quia hi numeri similia significant; nam numeri in se multiplicati, ac divisi, similia significant cum numeris per quos multiplicati aut divisi sunt (*videatur n. 5291, 5335, 5708, 7973*). Quod sermo angelicus etiam cadat in numeros, *videatur* in opere *De Caelo et Inferno* (n. 263). Quod “quatuor” significant conjunctionem boni et veri, dicit originem ex quatuor plagis in caelo; in binis earum, nempe in oriente et occidente, habitant qui in bono amoris sunt; inque binis, nempe meridie et septentrione, qui in veris inde sunt (*videatur etiam in opere De Caelo et Inferno*, n. 141-153). Inde per “quatuor plagas” seu per “quatuor ventos” significatur omne bonum et inde verum, et per “quatuor” coniunctio eorum. Quod “quarta pars” significet omne conjunctionis boni et veri, est quia quartum ibi facit omne, et “quartum” est significativum conjunctionis; inde per “interficere quartam partem” significatur omne conjunctionis, proinde omne bonum et verum; nam ubi non coniunctio eorum datur, ibi non sunt; bonum enim absque vero non datur, nec verum absque bono; sunt in sua essentia unum, quia verum est boni ac bonum est veri (ut constare potest ex illis quae in *Doctrina Novae Hierosolymae De Bono et Vero*, n. 11-27, dicta et allata sunt, quae videantur).

**385. “In romphaea.”**—Quod significet *per falsum*, constat ex significatione “romphaeae,” quod sit verum pugnans contra falsum et destruens illud, ac in opposito sensu falsum pugnans contra verum et destruens illud (de qua supra, n. 131, 367).

**386[a]. “Et in fame.”**—Quod significet *per privationem, defectum et ignorantiam cognitionum veri et boni*, constat ex significatione “famis,” quod sit privatio cognitionum veri et boni, tum defectus ac ignorantia earum; haec significantur per “famem” in Verbo. Quod haec per “famem” significantur, est quia per “cibum et potum” significantur omnia quae nutriunt et sustentant vitam spiritualem, quae in genere sunt cognitiones veri et boni. Ipsa vita spiritualis aequa sua nutritione et sustentatione eget prout vita naturalis; quare illa “in fame” dicitur esse, quando homo depravatur illis, aut quando deficiunt, aut quando ignorantur et usque desiderantur; etiam cibi naturales correspondent cibis spiritualibus, sicut panis bono amoris, vinum veris inde,

ac reliqui cibi et potus in specie suis bonis et veris, de quibus passim actum est in praecedentibus et agetur in sequentibus. Dicitur quod "fames" significet [i.] deprivationem cognitio-  
num veri et boni, tum [ii.] defectum, et [iii.] ignorantiam eorum, quia deprivatio est apud illos qui in malis et inde falsis sunt, defectus apud illos qui non possunt scire illas quia non sunt in ecclesia seu in doctrina ejus, et ignorantia apud illos qui sciunt quod sint, et inde desiderant illas. Haec tria per "famem" in Verbo significantur, ut constare potest a locis ibi "fames," "esurientes," "sitis" et "siti-  
entes" nominantur.

[b.] (i.) *Quod "fames" significet deprivationem cognitio-  
num veri et boni quae est apud illos qui in malis et inde  
falsis sunt, constat a sequentibus:—Apud Esaiam,*

"In excandescencia Jehovae Zebaoth obscurata est terra, factusque est populus [sicut] cibus ignis, vir fratri suo non parcer; et si deciderit ad dextram, esuriet tamen, et si <sup>[1]</sup>comederit ad sinistram, non satu-  
rabuntur, vir carnem brachii sui comedent, Menascheh Ephraimum,  
et Ephraimus Menaschen, una illi contra" <sup>[2]</sup>Jehovam (ix. 18-20  
[B. A. 19-21]):

haec nemo intellecturus est nisi ex sensu interno, immo nec de qua re agitur. Agitur ibi de extincione boni per falsum, ac veri per malum; perversio ecclesiae per falsum intelligitur per "in excandescencia Jehovae Zebaoth obscu-  
rata est terra," et perversio ejus per malum intelligitur per "factus est populus [sicut] cibus ignis;" "obscurata terra" significat ecclesiam ubi non verum sed falsum; et "cibus ignis" significat consumptionem ejus ab amore mali ("ignis" est amor mali): quod falsum destruet bonum intelligitur per "vir fratri suo non parcer;" "vir" et "frater" significat verum et bonum, hic "vir" falsum et "frater" bonum, quia dicitur quod ei "non parcer:" quod inde deprivatio omnis boni et omnis veri utcunque inquirit, intelligitur per "si deciderit ad dextram esuriet tamen, et si <sup>[1]</sup>comederit ad sinis-  
trum non saturabuntur;" "dextra" significat bonum ex quo verum, et "sinistra" verum ex bono, "<sup>[3]</sup>caedere" et "come-  
dere" ad illas significat inquirere, ac "esurire et non saturari" est depravari: quod malum extinguat omne verum, et fal-  
sum omne bonum, intelligitur per "vir carnem brachii sui comedent;" "caro brachii" est potentia boni per verum, "vir" est falsum, et "comedere" est extinguere; quod inde omnis voluntas boni ac intellectus veri pereat, intelligitur

per "Menascheh comedet Ephraimum et Ephraimus Menaschen;" (quod "Menascheh" sit voluntas boni, ac "Ephraim" intellectus veri, videatur n. 3969, 5354, 6222, 6234, 6238, 6267, 6296;) quod haec illis sint qui in malis et falsis, intelligitur per "una illi contra" "Jehovam, nam cum voluntas in bono est ac intellectus in vero, tunc cum Jehovah sunt, quia utrumque ab Ipso, at cum voluntas in malo est et intellectus in falso, tunc contra Jehovah sunt. Apud eundem,

"Ne laeteris, Philisthaea tota, quod fracta sit virga percutiens te, nam a radice serpentis exibit basiliscus, cuius fructus prester volans;... occidam fame radicem tuam, et residuos tuos occidet" (xiv. 29, 30):

similia paene per haec in sensu interno intelliguntur, sed agitur hic de illis qui credunt solum visum interiorem naturalis hominis esse fidem, et per hanc seu per illum justificari et salvari, negantes sic quod bonum charitatis aliquid efficiat; illi qui tales sunt intelliguntur per "Philisthaeos," et coetus eorum per "Philisthaeam" (videatur n. 3412, 3413, 8093, 8313). Quod principium id falsum, quod est sola fides, seu fides separata a charitate, destruat omne bonum et verum ecclesiae, intelligitur per "A radice serpentis exibit basiliscus;" "radix serpentis" est principium illud falsum, et "basiliscus" est destructio boni et veri ecclesiae per illud: quod inde oriatur ratiocinatio ex meritis falsis, intelligitur per "cujus fructus prester volans;" "prester volans" est ratiocinatio ex falsis: deprivatio omnis veri et inde omnis boni, intelligitur per "Occidam fame radicem tuam, et fames residuos tuos occidet;" "fames" est deprivatio veri et boni, et "residui" sunt omnia quae ex eo principio excluduntur. Quod haec intelligentur, patuit etiam ab ipsa experientia; illi qui in principio de sola fide se confirmaverunt doctrina et vita, in mundo spirituali visi sunt sicut basilisci, et ratiocinationes eorum sicut presteres volantes. Apud eundem,

Qui format deum, et fusile fundit, et non prodest,...."fabricat ferrum forcipe, et operatur carbone, et malleis acutis format illud: sic operatur illud per brachium roboris sui, etiam esurit usque dum non robur, neque bibit....usque dum fatigatur" (xliv. 10, 12):

per haec describitur formatio doctrinae ex proprio tam intellectu quam amore; per "formare deum" significatur doctrina ex proprio intellectu, et per "fundere fusile" ex proprio amore: per "fabricat ferrum forcipe et operatur carbone" significatur falsum quod vocat verum, et malum

quod vocat bonum ; "ferrum" est falsum, et "ignis carbonis" est malum amoris proprii: per "malleis acutis format illud" significatur per ratiocinia ex falsis ingeniosa, ut appareant cohaerere; per "sic operatur illud per brachium roboris sui" significatur ex proprio; per "etiam esurit usque dum non robur, neque bibit usque dum fatigatur," significatur quod nusquam aliquid boni, nec aliquid veri; "esurire" significat deprivationem boni, ac "non bibere" deprivationem veri, ac "usque dum non robur" et "usque dum fatigatur," significat quod usque dum nihil boni et nihil veri maneat. Quis, qui ex solo sensu litterae videt Verbum, aliter scit, quam quod formatio fusilis hic describatur? Sed usque videre potest quod talis descriptio formationis fusilis non aliquid spirituale involvat, tum quod superfluum sit dicere quod "etiam esuriat usque dum non robur, neque bibat usque dum fatigatur;" at in Verbo non solum hic sed etiam alibi passim describitur formatio religionis et doctrinae falsi per "idola," "sculptilia" et "fusilia" (quae quod significant falsa religionis et doctrinæ oriunda ex proprio intellectu et ex proprio amore, videatur n. 8869, 8932, 8941, 1<sup>o</sup> 9424, 10406, 10503). *Apud eundem,*

"Duo haec obvenerunt tibi, quis condoleat tibi? devastatio et confractio, et famæ et gladius" (li. 19):

hic quoque per "famem" intelligitur deprivatio cognitionum boni, usque dum non bonum amplius; et per "gladium" deprivatio cognitionum veri, usque dum non verum amplius: quare etiam dicitur "devastatio" et "confractio;" "devastatio" significat quod non bonum amplius, et "confractio" quod non verum amplius. *Apud eundem,*

"Sic dixit Dominus Jehovih, Ecce servi mei comedent, vos autem esurietis; [ecce] servi mei bibent, vos autem sitiatis; ecce servi mei laetabuntur, vos autem pudefitis" (lxv. 13):

per "esurire et sitire" hic quoque intelligitur deprivari bono amoris et veris fidei, per "esurire" deprivari bono amoris, et per "sitire" deprivari veris fidei; per "comedere et bibere" significatur communicari et appropriari bona et vera, ac per "servos Domini Jehovih" illi qui recipiunt bona et vera a Domino: inde patet quid significatur per "Ecce servi mei comedent, vos autem esurietis; servi mei bibent, vos autem sitiatis;" quod illis felicitas aeterna, his autem infelicitas, significatur per "Ecce servi mei laetabuntur, vos autem pudefitis." *Apud Jeremiam,*

"Gladio, fame et peste Ego consumens eos : dixi tamen, Ah, Domine Jehovih, ecce prophetae dicunt iis, Non videbitis gladium, et fames non erit vobis:....quare sic dixit Jehovah contra prophetas prophetantes in nomine meo, cum non miserim eos, illi tamen dicentes, Gladius et fames non erit in terra hac ; Gladio et fame consumentur prophetae hi ; populus, quibus illi prophetantes, erunt abjecti in plateis Hierosolymae,....nec sepeliens iis" (xiv. 12, 13, 15, 16) :

per "gladium, famem et pestem," significatur deprivatio veri et boni, et inde vitae spiritualis per falsa et mala ; per "gladium" deprivatio veri per falsa, per "famem" deprivatio boni per mala, et per "pestem" deprivatio vitae spiritualis : per "prophetas" intelliguntur illi qui docent vera doctrinae, et in sensu abstracto doctrinalia veri ; inde patet quid per omnia illa significatur, nempe quod qui doctrinam falsi et mali docent, perituri sint per ea quae significantur per "gladium" et "famem :" quod etiam illi qui recipiunt eam doctrinam ex illis ab omni ecclesiae vero separati sint et damnati, significatur per quod "erunt abjecti in plateis Hierosolymae, nec sepeliens iis ;" "plateae Hierosolymae" sunt vera ecclesiae, "abjici in illis" est separari a veris illis, et "non sepeliri" est damnari. Similia per "gladium," "famem" et "pestem" significantur in sequentibus his locis, nempe per "gladium" deprivatio veri per falsa, per "famem" deprivatio boni per mala, et per "pestem" consumptio et deprivatio vitae spiritualis inde :—Apud *Jeremiam*,

"Gladio et fame consumentur, ut fiat cadaver eorum in cibum avibus caelorum et bestiae terrae" (xvi. 4) :

"cadaver in cibum avibus caelorum" significat damnationem per falsa, et "in cibum bestiae terrae" damnationem per mala. Apud eundem,

"Abnegarunt Jehovah quando dixerunt, Non Ille, neque veniet super nos malum, ac gladium famemque non videbimus" (v. 12) :

*apud eundem*,

"Ecce Ego visitans super iis, juvenes morientur gladio, filii eorum et filiae eorum morientur fame" (xi. 22) :

*apud eundem*,

"Da filios <sup>[1]</sup>eorum fami, et defluere fac illos super manus gladii, ut fiant uxores orbae et viduae, et homines <sup>[1]</sup>eorum fiant occisi morte, juvenes eorum percussi gladio in bello" (xviii. 21) :

*apud eundem*,

"Mittam in eos gladium, famem, et pestem, et dabo eos sicut fieus horridas, quae non comedи possunt prae malitia, et persecutar post eos gladio, fame et peste" (xxix. 17, 18) :

apud eundem.

Misericordia tua gladium, famam et peste, donet consumuntur desuper terra quam oculi tui et patribus tuorum" (xxv. 10).

apud eundem.

Ego pavilicem nobis libertatem ad gladium, ad peste et ad famam, et tradam vos in communione omnis regni terrae" (xxxv. 17).

apud Eschijelos,

Excoecatus gene contra gentem, et regnum contra regnum, et erant pestes et famae et terreae mortis variis locis" (Mose xxv. 7, 8; Mose xii. 8; Exo. xxi. 11).

apud Eschijelos,

"Quia sanctuarium meum pollueri, . . . tertia pars tui perire morientur, et famae consumentur in medio tui, et tertia pars quodlibet radice mortale et certam partem in omnem ventum dispergam . . . Quem miseri causa tamis mala in eos. Propter erunt in perditionem dum miseri ea ad perditionem vos . . . quia famam attributa super nos, dimes treuges nunc seculum pauci. Et mortis super nos famam et terram matam, et tertiam faciam te, et pestis et sanguis transiit per te" (v. 11, 12, 13, 14).

apud eundem.

Crucis dorsum, et peste atque famae intus, qui in agro gladio morietur; qui vero in arce, cum famae et peste consumantur" (v. 15).

apud eundem.

Propter omnes abominationes malas . . . per gladium, per famam et per peste tamen, qui prout peste morietur, qui propter gladio cadet, et reservatus et reservatus fame morietur" (v. 16, 17, 18).

Apud Ieremias.

"Non sedebitis Nos non habitabimur in terra hac ut non obstat nos Iehova Deus noster" [dico] Non sed [sic] terram Aegyptum venimus, ubi non videtur nos bellum, et vocem bocinam non audiremus, et panem non esumeremus, et illi non habemus . . . Audirem usque [sic] venire . . . si vos punientis priuerniantis vestras ad venientem [sic] Aegyptum, et venientis ad peregrinandum ibi, deo gladio a vobis nomen estis . . . vos non praemendetis nos in terra Aegypti, et famam. De qua vos timuitis iste . . . affaberat post nos in Aegyptu, et vel morietur . . . ac morituri ibi gladio, fame et peste, nec erit illis resiliens . . . propter malum quod Ego accusans super illos . . . et omnes in malum suum et stuporem . . . et in opprimum neque videbile amplius locum habet . . . iam ergo eundem stolidi quid gloriantur famam et glorie reuertunt istis in illos qui . . . obstat mecum ad peregrinandum ibi" (xlii. 13, 14, [15,] 16-18, 20, cap. xliii. 10, 13, 17).

per "Aegyptum" hic significatur naturale, et per "venire in Aegyptum" et "peregrinari ibi" significatur fieri naturalis; quod Ieremias . . . in aliis locis etiam dicit, namque in aliis locis in tantum, ut terra Aegypti, mundi auctoritate, sit in aliis locis, sicut papa Paulus post epistola apostola post aliis locis dicit usq[ue] respondeat papa apostoli post aliis locis, quod . . . quod papa apostoli post aliis locis dicit usq[ue] respondeat papa apostoli post aliis locis, ex his constare potest

quid in sensu spirituali significatur per quod “non venturi sint in Aegyptum,” et quod tunc “gladio, fame et peste morituri sint ;” quod nempe si mere naturales fierent, depravarentur omni vero, bono ac vita spirituali ; naturalis enim homo separatus a spirituali in falsis et malis est, et inde in vita infernali ; (quod naturalis homo separatus a spirituali talis sit, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 47, 48;) ideo dicitur quod si eo venerint, “futuri sint in maledictionem et stuporem inque opprobrium, neque visuri locum hunc ;” per “locum quem non visuri” intelligitur status hominis spiritualis, simile quod per “terram Canaanem.” Talia etiam significantur per murmurations filiorum Israelis in deserto, quod toties redire voluerint in Aegyptum ; quare etiam data illis est manna, per quam significatur nutritio spiritualis (*Exod.* xvi. 2, 3, 7-9, 22). Apud *Ezechielem*,

“Quando [!]extendero manum meam contra” domum Israelis, “ut frangam illi baculum panis, et mittam in eam famem, exscindamque ex ea hominem et bestiam ; . . . quando feram malam transire fecero per terram, et orbaverit illam, ut fiat desolatio ; . . . quando quatuor judicia mea mala, gladium et famem et feram malam et pestem misero super Hierosolymam, ad exscindendum ex ea hominem et bestiam” (xiv. 13, 15, 21) :

per haec describitur vastatio ecclesiae ; “domus Israelis” et “Hierosolyma” est ecclesia ; per “frangere baculum panis” significatur destruere omne caeleste et spirituale per quae nutrienda, “panis” enim involvit omne caeli et ecclesiae, seu omnem nutritionem spiritualem ; et per “exscindere hominem et bestiam” significatur omnem affectionem spiritualem et naturalem ; quare per “gladium, famem, feram malam et pestem,” significatur destructio veri per falsum, boni per malum, affectionis veri et boni per cupiditates oriundas ex amoribus malis, et inde extinctio vitae spiritualis. Haec vocantur “quatuor judicia mala,” quae etiam intelliguntur per “gladium, famem, mortem et feram malam” in hoc versu *Apocalypses* ; quod sit vastatio ecclesiae quac ita describitur, patet. Tria mala quae significantur per “famem, gladium et pestem,” etiam annuntiata sunt Davidi a Gade propheta, postquam numeraverat populum (2 *Sam.* xxiv. 13) : cur illa Davidi denuntiata sint propterea quod numeraverit populum, nemo scire potest nisi qui scit quod populus Israelis repraesentaverit et inde significaverit ecclesiam quoad omnia ejus vera et bona, et quod “numerare”

significet scire quale ejus, et dein secundum id ordinare et disponere illa ; hoc quia nemo scit et facit quam solus Dominus, et quia homo qui id facit se deprivat omni bono et vero ac vita spirituali, ideo quia David id fecit repraesentative, ei tria illa proponebantur ex quo unum eligeret. Quis non videt quod nihil mali in numerando populo fuerit, et quod malum, propter quod David et populus punitus est, latuerit interius, nempe in repraesentativis, in quibus tunc ecclesia fuit ? In allatis his locis "fames" significat deprivationem cognitionum veri et boni, et inde deprivationem omnis veri et boni.

[c.] (ii.) *Quod etiam "fames" significet defectum eorum, qui est apud illos qui non possunt scire illa, quia non sunt in ecclesia seu in doctrina ejus, constat ex sequentibus his locis :—Apud Amos,*

"Ecce dies venturi . . . quibus immittam famem in terram, non famem ad panem, neque sitim ad aquas, sed ad audiendum verba Jehovah : ut vagentur a mari ad mare, a septentrione ad orientem, discursint ad quaerendum verbum Jehovah, nec invenient : in die illo deficient virgines pulchrae et juvenes siti" (viii. 11-14) :

hic explicatur quid intelligitur per "famem" et per "sitim," quod nempe non intelligatur fames ad panem, nec sitis ad aquas, sed ad audiendum verbum Jehovah, ita quod sit defectus cognitionum boni et veri qui intelligitur ; et quod illae non sint in ecclesia seu in doctrina ejus, describitur per quod "venturi a mari ad mare, et a septentrione ad orientem ad quaerendum verbum Jehovah, nec invenient ;" "a mari ad mare" significat undequaque, nam sicut maria apparent ultimi termini in mundo spirituali, ubi incohant et terminantur vera et bona ; quare "maria" in Verbo significant cognitiones veri et boni, ac scientifica in communi : "a septentrione ad orientem" etiam significat undequaque ubi verum et bonum ; "septentrio" est ubi verum est in obscurio, et "oriens" est ubi bonum : quia defectus cognitionum boni et veri significatur per "famem et sitim," ideo quoque dicitur, "In die illo deficient virgines pulchrae et juvenes siti ;" "virgines pulchrae" sunt affectiones veri ex bono, et "juvenes" sunt ipsa vera quae ex bono, "sitis" qua deficient est defectus earum. (Quod "virgines" significant affectiones boni et veri, videatur n. 2362, 3963, 6729, 6775, <sup>10</sup>6788 ; et quod "juvenes" ipsa vera et intelligentiam, n. 7668.) Apud Esaiam,

"Propterea exulabit populus meus ob non scientiam, et gloria ejus homines famis, et multitudo ejus sicca siti" (v. 13) :

desolatio aut interitus ecclesiae ob non cognitiones boni et veri, significatur per "Exulabit populus meus ob non scientiam ;" Divinum Verum quod facit ecclesiam significatur per "gloriam ;" quod id non sit, et inde non bonum, significatur per quod "gloria ejus sint homines famis ;" "homines famis" sunt qui in nulla perceptione boni et in nullis cognitionibus veri : et quod inde non verum, significatur per quod "multitudo ejus sit sicca siti ;" "sicca siti" est defectus veri, ac "multitudo" in Verbo praedicatur de veris. Apud eundem,

"Populus Deum suum quaeret, . . . legem et testimonium ; . . . nam transibit eam perplexus et famelicus ; fietque cum esuriverit, indignabitur, et maledicet regi suo et diis suis, et suspiciat sursum ; ad terram etiam spectabit, sed ecce angustia et caligo" (viii. 19-22) :

agitur ibi de illis qui in falsis sunt ex defectu cognitionum veri et boni, et de indignatione eorum propterea ; defectus describitur per quod "suspiciat sursum, et ad terram etiam spectabit, sed ecce angustia et caligo ;" "suscipere sursum et spectare ad terram" est undeaque ubi bona et vera sunt, sed "ecce angustia et caligo" est quod non illa alicubi sint, sed mera falsa ("caligo" est densus falsum) : indignatio eorum propterea describitur per "fiet cum esuriverit, indignabitur, et maledicet regi suo et diis suis ;" "esurire" est velle scire, "rex" est falsum, "dii" sunt falsa cultus inde, et "maledicere" est detestari. In *Threnis*,

"Tolle ad Dominum "manus tuas super animam infantum tuorum, qui defecerunt per famem in capite omnium platearum" (ii. 19) :

lamentatio super illis qui instruendi sunt in cognitionibus boni et veri, per quas illis vita spiritualis, describitur per "Tolle ad Dominum manus tuas super animam infantum tuorum ;" ac defectus cognitionum illarum describitur per "Defecerunt per famem in capite omnium platearum ;" "fames" est defectus, "plateae" sunt vera doctrinae, "defici in capite illarum" est quod non sint. Ibidem,

"Servi dominati sunt in nos, nec liberans e manu eorum, cum periculo animarum nostrarum adducimus panem nostrum propter gladium deserti ; cutes nostrae sicut clibanus denigratae sunt propter procellas famis" (v. 8-10) :

per "servos" qui dominati nec liberans e manu eorum, significantur mala vitae et falsa doctrinae, in genere amores mali et principia falsa : "cum periculo animarum nostrarum

adducimus panem nostrum propter gladium deserti," significat quod non bonum ex quo ipsa vita spiritualis propter falsum ubique regnans; "panis" est bonum ex quo vita spiritualis, "gladius" est falsum destruens, et "desertum" est ubi non bonum quia non verum; omne enim bonum apud hominem formatur per vera, quare ubi non vera sed falsa, non datur bonum: "cutes nostrarae sicut clibanus denigratae sunt propter procellas famis" significat quod propter defectum cognitionum boni et veri, naturalis homo in suo amore malo sit; "cutis" ex correspondentia cum Maximo Homine seu caelo significat naturalem hominem; "denigrari sicut clibanus" significat in suo malo ex falsis esse, ac "procellae famis" significant summum defectum cognitionum boni et veri. Apud *Lucam*,

"Vae vobis qui impleti estis, quia esuriets" (vi. 25):

per "impletos" in Verbo intelliguntur qui Verbum habent, ubi omnes cognitiones boni et veri, et per "esurire" intellegitur in defectu illarum esse, et quoque deprivari illis. Apud *Hiobum*,

"Beatus homo quem castigavit Deus; et disciplinam Schaddai ne repudies; . . . in fame redimet te a morte, et in bello e manibus gladii" (v. 17, 20):

haec de illis qui in temptationibus; temptationes significantur per "quem castigavit Deus," et per "disciplinam Schaddai;" per "Schaddai" etiam significantur temptationes, liberatio ab illis, et consolatio post illas (videatur n. 1992, 3667, 4572, 5628, 6229): "fames in qua redimetur" significat temptationem quoad perceptionem boni, in qua liberabitur a malo; "redimere" est liberare: et "manus gladii in bello" significat temptationem quoad intellectum veri; "bellum" etiam est tentatio, seu pugna contra falsa.

[d.] (iii.) *Quod etiam "fames" in Verbo significet ignorantiam cognitionum veri et boni, qualis est apud illos qui sciunt quod sint, et inde desiderant illas, constat ex sequentibus his locis:—Apud Matthaeum,*

"Beati qui esuriunt . . . justitiam, quia illi saturabuntur" (v. 6):

"esurire justitiam" significat desiderare bonum, nam in Verbo "justitia" dicitur de bono. Apud *Lucam*,

Deus "esurientes implevit bonis, et divites emisit inanes" (i. 53):

“esurientes” pro illis qui in ignorantia cognitionum veri et boni sunt, et usque in desiderio; et “divites” pro illis qui in abundantia illarum sunt, et in nullo desiderio: quod illi locupletentur significatur per Deus “implet illos bonis;” et quod hi depriventur significatur per Deus “divites emittit inanes.” Apud *Davidem*,

“Ecce oculus Jehovah super timentibus Ipsum,....ad eripiendum a morte animam eorum, et ad vivificandum eos in fame” (Ps. xxxiii. 18, 19):

per “timentes Jehovahm” intelliguntur qui amant facere praecepta Ipsius; per “eripere animam a morte” significatur a malis et falsis, et inde a damnatione; et per “vivificare in fame” significatur secundum desiderium dare vitam spiritualem: desiderium ad cognitiones veri et boni est affectio veri spiritualis, quae datur solum apud illos qui in bono vitae sunt, hoc est, qui faciunt praecepta Domini, qui, ut dictum est, intelliguntur per “timentes Jehovahm.” Apud eundem,

“Confiteantur Jehovahe misericordiam Ipsius,....quod saturet animam appetentem, et animam esurientem impleat bono” (Ps. cvii. 8, 9):

“saturare animam appetentem, et implere bono animam esurientem,” pro illos qui desiderant vera et bona; “anima appetens” significat illos qui desiderant vera, et “anima esuriens” illos qui desiderant bona. Apud eundem,

“Non defectus timentibus” Jehovah; “leones juvenes egebunt et esurient, sed quaerentes Jehovah non egebunt ullo bono” (Ps. xxxiv. 10, 11 [B. A. 9, 10]):

“timentes Jehovahm,” quibus non defectus, etiam hic significant illos qui amant facere praecepta Domini; et “quaerentes Jehovahm,” qui non egebunt ullo bono, significant illos qui ideo amantur a Domino et ab Ipso accipiunt vera et bona; “leones juvenes,” qui egebunt et esurient, significant illos qui a semet sciunt et sapiunt; “egere et esurire” est quod illis non verum nec bonum. (Quid “leones” in utroque sensu, videatur n. 278[b,c].) Apud eundem,

Jehovah “qui facit judicium oppressis, qui dat panem esurientibus, Jehovah qui solvit vincitos” (Ps. cxlvii. 7):

per “oppressos” hic intelliguntur qui in falsis ex ignorantia sunt; oppressio eorum est a spiritibus qui in falsis; ideo dicitur Jehovah “facit judicium illis,” vindicando illos ab

oppimentibus: per "esurientes" intelliguntur qui desiderant bona, quos quia nutrit Dominus, dicitur "Jehovah dat panem esurientibus;" "dare panem" est nutrire, et nutritio spiritualis est scientia, intelligentia et sapientia: et per "vinc̄tos" intelliguntur qui desiderant vera, sed ab illis detinentur per falsa doctrinae, vel per ignorantiam quia non habent Verbum; quare "solvere vinc̄tos" est liberare ab illis. (Quod "vinc̄ti" illi dicantur, videatur n. 5037, 5086, 5096.) Apud eundem,

Jehovah "ponit desertum in stagnum aquarum, et terram siccitatis in exitus aquarum, et facit ibi habitare esurientes, ut erigant urbem habitationis, et serant agros, et plantent vineas et faciant fructum proventus" (Ps. cvii. 35-37):

haec prorsus aliter intelligenda sunt quam secundum sensum litterae, ita nempe, quod qui in ignorantia cognitionum veri sunt, et tamen in desiderio sciendi illas, valde ditentur et locupletentur; nam per quod Jehovah "ponat desertum in stagnum aquarum" significatur ubi ignorantia veri ibi erit abundantia; "desertum" est ubi ignorantia veri, "stagnum aquarum" est abundantia ejus: per quod "ponat terram siccitatis in exitus aquarum" significantur similia in naturali homine; "terra siccitatis" enim est ubi ignorantia veri, "exitus aquarum" est abundantia, naturalis homo est "exitus," et "aqua" sunt vera: quod "faciat ibi habitare esurientes" significat quod illos qui in desiderio veri sunt; "habitare" est vivere, "esurientes" sunt qui desiderant: "ut erigant urbem habitationis" significat ut faciant sibi doctrinam vitae; "urbs" est doctrina, et "habitatio" est vita: "ut serant agros, plantent vineas, et ferant fructum proventus," significat recipere vera, intelligere illa, et facere illa; "serere agros" est instrui et recipere vera, "plantare vineas" est recipere illa intellectu, hoc est, spiritu; "vineae" enim sunt vera spiritualia, inde "plantare" illas est spiritualiter illa recipere, hoc est, intelligere; "ferre fructum proventus" est facere illa et recipere bona, "fructus" enim sunt facta et bona charitatis. Apud eundem,

"Cognoscit Jehovah dies integrorum, et hereditas eorum in aeternum erit; non pudefient in tempore mali, et in diebus famis satiabuntur" (Ps. xxxvii. 18, 19):

"dies integrorum" significant status eorum qui in bono sunt et inde veris, seu qui in charitate et inde fide; per quod "Jehovah hereditas eorum in aeternum erit" significatur

quod Ipsius proprii sint et in caelo; per "non pudefient in tempore mali" significatur quod vincent cum tentantur a malis; et per quod "in diebus famis satiabuntur" significatur quod sustentabuntur a veris cum tentantur et infestantur a falsis; "tempus mali" et "dies famis" significant status tentationum, ac tentationes sunt a malis et a falsis.

In *Libro Primo Samuelis*,

"Arcus fortium fracti, et qui impulsi erant robur circumcinxerunt, saturi pro pane conducti, et famelici cessarunt, usque dum sterilis peperit septem, multiprolis defecit" (ii. 4, 5):

per "satueros pro pane conductos" et per "famelicos qui cessarunt," significantur qui volunt et desiderant bona et vera; reliqua videantur explicata supra (n. 257 et 357[d]).

Apud *Esaiam*,

"Stultus stultitiam loquitur, at cor ejus facit iniquitatem, ad faciendum hypocrisin, et ad loquendum contra Jehovahm errorem, ad evacuandum animam esurientem, et potum sitiens deficere faciat" (xxxii. 6):

"stultus" hic dicitur qui in falsis et malis est ex amore sui, proinde ex propria intelligentia; falsa intelliguntur per "stultitiam quam loquitur," et mala per "iniquitatem quam cor ejus facit;" mala quae loquitur contra bona intelliguntur per "hypocrisin" quam facit, et falsa quae loquitur contra vera per "errorem quem loquitur contra Jehovahm:" quod sit ad persuadendum et ad perdendum illos qui desiderant bona et vera, intelligitur per "ad evacuandum animam esurientem, et potum sitiens deficere faciat;" "anima esuriens" sunt qui desiderant bona, ac "potum sitiens" qui desiderant vera.

Apud eundem,

"Si exprompseris esurienti animam tuam, et animam afflictam saturaveris, exorietur in tenebris lux tua, et caligo tua sicut meridies" (lilviii. 10):

describitur per haec charitas erga proximum, hic erga illos qui in ignorantia et simul in desiderio sciendi vera sunt, ac in dolore propter falsa quibus occupantur; et quod apud illos qui in ea charitate sunt, falsa discutiantur ac vera luceant et fulgeant: charitas erga illos qui in ignorantia et simul desiderio sciendi vera sunt, intelligitur per "Si exprompseris esurienti animam;" "esurientes" sunt qui desiderant, "anima" est intelligentia veri instruens: quod apud illos qui in dolore propter falsa quibus occupantur, intelli-

gitur per "si animam afflictam saturaveris :" quod apud illos qui in ea charitate sunt ignorantia discutiatur, ac vera luceant et fulgeant, intelligitur per "exorietur in tenebris lux tua, et caligo tua sicut meridies ;" "tenebrae" significant ignorantiam mentis spiritualis, et "caligo" ignorantiam mentis naturalis, ac "lux" verum in luce, "meridies" similiter ; talis illustratio est illis qui ex charitate seu ex affectione spirituali instruunt illos qui in falsis ex ignorantia sunt, charitas enim illa est receptaculum influxus lucis seu veri a Domino. Apud eundem,

"Nonne hoc jejunium quod eligo, . . . frangere esurienti panem tuum, et afflictos exules introducere domum, quum videris nudum et obtexeris ?" (lviii. 6, 7 :)

similia per haec verba intelliguntur, nam "frangere esurienti panem" significant ex charitate communicare et instruere illos qui in ignorantia et simul in desiderio sciendi vera sunt : "afflictos exules introducere domum" significant illos qui in falsis sunt et inde in dolore, emendare et restituere ; "afflicti exules" sunt qui in dolore ex falsis, nam qui in falsis sunt foris stant, at qui in veris domi sunt, "domus" enim est mens intellectualis, in quam non nisi quam vera intromittuntur ; aperitur enim illa per vera ex bono : quia haec significantur, etiam additur, "quum videris nudum et obtexeris ;" per "nudum" significatur qui absque veris, et per "obtegere" significatur instruere, "vestimenta" enim in Verbo significant vera induentia (videatur supra, n. [1]195). Apud eundem,

"Non esurient neque sitient, neque percutiet eos aestus aut sol, nam miserescens eorum dicit eos, ita ut etiam super scaturigines aquarum ducturus sit eos" (xlxi. 10) :

quod "non esurient neque sitient" non significant quod non esurituri ac situri sint cibos et potus naturales ; et quod "non percutiet eos aestus et sol," nec significant quod non ex illis incalituri sint ; pariter quod "ducendi sint super scaturigines aquarum :" quis non videt, qui intendit animum, quod alia ibi intelligentur ? Quare per "esurire et sitire" significatur esurire et sitire illa quae vitae aeternae sunt, seu quae dant illam, quae in genere se referunt ad bonum amoris et verum fidei ; "esurire" ad bonum amoris et "sitire" ad verum fidei : "aestus" et "sol" significant inca-

lescentiam a principiis falsi et amore malii, haec enim tollunt omnem esuritionem et sitim spiritualem : "scaturigines aquarum," super quas Dominus ducturus eos, significant illustrationem in omni vero ; "scaturigo" seu "fons" est Verbum et quoque doctrina ex Verbo, "aqua" sunt vera, et "ducere," cum de Domino, est illustrare. Ex his constare potest quid significatur per Domini verba apud *Johannem*,

"Ego sum Panis vitae ; qui venit ad Me non esuriet, et qui credit in Me non sitiet usquam" (*vi. 35*) :

quod hic "esurire" sit venire ad Dominum, et quod "sitire" sit credere in Ipsum, patet ; venire ad Dominum est facere praecepta Ipsius. Quia haec per "esurire et sitire" significantur, etiam patet quid significatur per Domini verba apud *Matthaeum*,

"Rex dixit illis a dextris,....Esurivi et dedistis Mihi edere, sitivi et potastis Me ; peregrinus fui et collegistis Me."....et dixit illis a sinistris, quod esuriverit et non dederint Illi edere, quod sitiverit et non dederint Illi bibere, quod peregrinus fuerit et non collegerint (*xxv. [34.] 35, 37, [41, 42.] 44*) :

per "esurire et sitire" significatur in ignorantia et egestate spirituali esse, ac per "edere et potare" significatur ex affectione spirituali seu charitate instruere et illustrare ; ideo etiam dicitur "peregrinus fui et non collegistis Me," nam per "peregrinos" significantur illi qui extra ecclesiam sunt, ac volunt instrui ac recipere ecclesiae doctrinalia et vivere secundum illa (*videatur n. [1]1463, 4444, 7908, 8007, 8013, 9196*).

[*e.*] Etiam in Verbo legitur de Domino quod esuriverit et sitiverit, et per illa intelligitur quod ex amore Divino voluerit et desideraverit salutem generis humani. Quod esuriverit, legitur apud *Marcum*,

"Cum exirent ex Bethania, esurivit" Jesus, "et videns ficum procul habentem folia, venit si forte inveniret in ea quid ; sed cum venisset ad eam, nihil invenit nisi folia, non enim erat tempus ficum ; ideo....dixit ei, Neque ex te in saeculum quisquam fructum comedet :...et mane praeterentes" discipuli "viderunt ficum arefactam ex radicibus" (*xi. 12-14, 20* ; *Matth. xxi. 19, 20*) :

qui non scit quod omnia Verbi sensum spiritualem continent, credere potest quod Dominus hoc fecerit ficui ex indignatione quia esurivit ; sed per "ficum" hic non intelligitur ficus, sed ecclesia quoad naturale bonum, in specie Ecclesia Judaica ; quod ibi non aliquod bonum naturale,

quia nihil spirituale, sed modo aliqua vera ex sensu litterae Verbi, significatur per quod "Jesus videns ficum procul habentem folia, venerit si forte invenerit in ea quid; sed cum venisset ad eam, nihil invenerit nisi folia;" per "folia" significantur vera ex sensu litterae Verbi: quod apud illam gentem nusquam aliquod bonum naturale quod ecclesiae exstitutum, quia in densis falsis et in amorphis malis sunt, significatur per quod Jesus dixerit, "Neque ex te in saeculum quisquam fructum comedet," et per quod "ficus arefacta sit ex radicibus;" etiam dicitur "non erat tempus ficuum," et per id intelligitur quod nondum ecclesia incohata; quod incohatio novae ecclesiae per "ficum" intelligatur, patet a Domini verbis

Apud *Matthaeum*, cap. xxiv. 32, 33; apud *Marcum*, cap. xiii. 28, 29; et apud *Lucam*, cap. xxi. 28-31:

**ex his constare potest quid ibi "esurire" significat.** (Quod "ficus" significet bonum naturale quod ecclesia, videatur n. 217, 4231, 5113; et quod "folia" significant vera naturalis hominis, supra, n. 109.) Quod Dominus sitiverit, legitur apud *Johannem*,

"Jesus sciens quod omnia jam consummata essent, ut impleretur Scriptura, dixit, Sitio; et vas positum erat aceto plenum: qui vero impleverunt spongiam, et hyssopo circumposuerunt, et applicuerunt Ipsi ori; et quem accepisset acetum Jesus, dixit, Consummatum est" (xix. 28, 29[. 30]):

qui de his modo naturaliter et non spiritualiter cogitant, credere possunt quod haec nihil aliud involvant quam quod Dominus sitiverit, et quod Ipsi tunc datum acetum; sed quia tunc omnia erant consummata quae Scriptura de Ipso dixit, ac Dominus in mundum venit ut salvaret genus humanum, ideo dixit, "Sitio," per quod intelligitur quod ex Divino amore vellet et desideraret salutem generis humani; at quod "acetum Ipsi datum sit" significat quod in ventura ecclesia non foret genuinum verum, sed verum mixtum falsis, quale est apud illos qui fidem separant a charitate seu verum a bono; id per "acetum" significatur; quod "hyssopum circumposuerunt" significat aliqualem purificationem ejus, nam per "hyssopum" significatur medium purificationis externum (videatur n. 7918). Quod singula quae in Verbo memorantur de Passione Domini, involvant et significant Divina caelstia et spiritualia, videatur supra (n. 83). Ex supra allatis locis constare potest quid "fames" in Verbo significat; exa-

minentur illa et expendantur, et videbitur ab illis qui in aliqua interiore cogitatione sunt quod nequaquam naturalis fames, esurio et sitis possit intelligi, sed spiritualis.

**387. "Et in morte."**—Quod significet *inde extinctionem vitae spiritualis*, constat ex significatione "mortis," quod sit extinctio vitae spiritualis (*de qua supra*, n. 78, 186): quod hoc per "mortem" hic significetur, constat ex serie rerum in sensu interno; dicitur enim quod "data illis sit potestas interficiendi gladio, fame et morte," et per "gladium" significatur falsum destruens verum, per "famem" deprivatio cognitionum veri et boni, inde per "mortem" significatur extinctio vitae spiritualis; nam ubi falsum regnat, ac ubi nullae cognitiones veri et boni sunt, ibi non est aliqua vita spiritualis, haec enim comparatur per cognitiones veri et boni applicatas usibus vitae: homo enim nascitur in omne malum et inde falsum, quare etiam nascitur in plenariam ignorantiam omnium cognitionum spiritualium; ut ergo abducatur a malis et inde falsis in quae nascitur, et ducatur in vitam caeli ac salvetur, necessum est ut discat cognitiones veri et boni, per quas introducatur, et fiat spiritualis. Ex hac serie rerum in sensu interno patet quod per "mortem" hic significetur extinctio vitae spiritualis: hoc quoque significatur per mortem spiritualem.

**388[a]. "Et a feris terrae."**—Quod significet *mala vitae, quae sunt cupiditates et inde falsitates oriundae ab amore sui et mundi, quae vastant omnia ecclesiae apud hominem*, constat ex significatione "ferarum," quod sint cupiditates et falsitates oriundae ex amore sui et mundi; et quia illa sunt ipsa mala vitae, nam mala vita est cupiditatum et falsitatum vita, ideo per "feras terrae" hic illa intelliguntur; quod "ferae" significant talia, videbitur in sequentibus: et ex significatione "terrae," quod sit ecclesia (*de qua supra*, n. 29, 304): et quia per "feras" significantur mala vitae, et haec vastant ecclesiam apud hominem, et per "terram" ecclesia, ideo per "feras terrae" significantur mala vitae quae vastant ecclesiam apud hominem. Dicitur *Ecclesia apud hominem*, quoniam ecclesia est in homine; ecclesia enim est ecclesia ex charitate et fide, et hae sunt in homine, et si non ibi sunt, non est ecclesia apud illum. Creditur quod ecclesia sit ubi Verbum, et ubi Dominus est notus, sed usque ecclesia non est nisi ex illis qui corde

agnoscunt Divinum Domini, et qui discunt vera a Domino per Verbum, et faciunt illa; reliqui non constituunt ecclesiam. Quod per "feras terrae" hic in specie significantur mala vitae, constare potest ex serie rerum in sensu interno: dicitur quod "data sit illis potestas interficiendi super quartam partem terrae gladio, fame, morte et feris terrae;" per "gladium" significatur falsum destruens verum, per "famem" deprivatio cognitionum veri et boni, per "mortem" extinc<sup>t</sup>io vitae spiritualis, inde per "feras terrae" significantur mala vitae, quoniam haec regnant quando vita spiritualis extincta est; ubi enim non vita spiritualis, ibi est vita mere naturalis, et haec vita absque illa est plena cupiditatibus ex amore sui et mundi, ita infernalis; quare illa vita est quae intelligitur per "feram malam." Quod porro vitam malam, quae significatur per "feram malam," attinet; illa aequ<sup>t</sup>e datur apud eos qui moralem vitam agunt bonam, si non illis vita spiritualis sit; nam illi bonum agunt, et verum loquuntur, ac sinceritatem et justitiam exercent, sed modo propter famam, honores, lucra et leges, ita propter apparentiam ut aemulentur spirituales; intus autem nihil boni volunt, nec veri cogitant, et ad sinceritatem et justitiam nisi propter illas causas rident, quapropter intus sunt infernales: hoc etiam apud illos manifestatur quando fiunt spiritus, quod fit statim post mortem; tunc cum vincula illa externa, quae memorata sunt, illis auferruntur, ruunt absque freno in mala omnis generis; aliter vero illi qui moralem vitam bonam egerunt ex origine spirituali. (Sed de hac re plura videantur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 484, 529-531, 534; ac supra, n. 182.) Haec dicta sunt ut sciatur quid intelligitur per malam vitam; quod nempe non externa vita, quae est corporis et pro mundo ubi homines, qui mundus naturalis vocatur; sed interna, quae est spiritus [et] quae est pro mundo ubi angeli, qui mundus spiritualis vocatur: homo enim quoad corpus, ejus gestus, et loquela, est in mundo naturali; at quoad spiritum, nempe quoad cogitationem et affectionem, est in mundo spirituali; quippe sicut visus corporis extensionem habet in mundum naturalem, et ibi circumfertur, ita visus spiritus, qui est cogitatio ex affectione, extensionem habet in mundum spiritualem, et ibi circumfertur. Quod ita sit, pauci sciunt, et inde putant quod cogitare male et velle male nihil faciat,

modo non faciat male et loquatur male; sed usque omnis cogitatio et voluntas afficit spiritum hominis, et facit ejus vitam post mortem.

[b.] Quod "ferae malae" significant cupiditates et inde falsitates oriundas ex amore sui et mundi, quae vastant omnia ecclesiae apud hominem, et quoque [quod "ferae"] in opposito sensu affectiones veri quae vivificant omnia ecclesiae, constare potest a sequentibus his locis in Verbo:—  
Apud *Jeremiam*,

"Ite, congregate omnem feram agri, venite ad comedendum; pastores multi perdiderunt vineam meam, conculcarunt agrum meum, redegerunt agrum desiderii [mei] in desertum solitudinis" (xii. 9, 10):

agitur hic de vastatione ecclesiae quoad ejus vera et quoad ejus bona; vastatio describitur per quod "pastores perdiderint vineam" Domini, et "conculcaverint agrum" Ipsius; per "pastores" intelliguntur qui docent vera et per illa ducunt ad bonum vitae, hic qui docent falsa et per illa ducunt ad malum vitae; per "vineam" intelligitur ecclesia quoad vera, et per "agrum" ecclesia quoad bonum; vastatio ejus intelligitur per quod "perdiderint" et "conculcaverint," tum per quod "redegerint agrum in desertum solitudinis:" et quia cupiditates et falsitates oriundae ex amore sui et mundi vastant eam, dicitur, "Ite, congregate omnem feram agri, venite ad comedendum;" "omnis fera agri" significat falsitates et cupiditates inde oriundas, et "comedere" significat vastare et consumere: quod per "feram agri" non intelligatur fera agri patet, nam dicitur quod "pastores perdiderint vineam, et conculcaverint agrum," et per "pastores" intelliguntur pastores ecclesiae, et non pastores gregis. Apud *Davidem*,

"Quare conculcat" vitem tuam "aper <sup>l</sup>e silva, et fera agrorum depascat illam" (Ps. lxxx. 14 [B. A. 13]):

per "vitem" hic simile significatur quod per "vineam" supra, nempe ecclesia quoad verum, quae vocatur ecclesia spiritualis: vastatio ejus per cupiditates et per falsitates naturalis hominis separati a spirituali intelligitur per quod "aper e silva conculcat illam;" "aper e silva" significat cupiditates malas naturalis hominis, et "fera agrorum" falsitates. Apud *Hoscheam*,

"Devastabo vitem ejus et ficum ejus, . . . et ponam ea in silvam, et comedet illa fera agri" (ii. 12):

per "vitem et ficum" significatur ecclesia, per "vitem" ecclesia interna quae est spiritualis hominis, et per "ficum" ecclesia externa quae est naturalis hominis; vastatio utriusque significatur per "Devastabo illas et ponam illas in silvam, et comedet illas fera agri;" "silva" significat sensualem hominem qui in meris fallaciis et inde falsis est, et "fera agri" significat falsitates inde et cupiditates malas: cum enim vastatur ecclesia apud hominem, hoc est, cum non amplius creditur verum ecclesiae, tunc fit homo sensuialis, qui non credit alia quam quae oculis videt et manibus tangit, et talis homo se dat totum amori sui et amori mundi, ita cupiditatibus. Quod ecclesia ibi per "vitem" et per "ficum" intelligatur, patet ex versu secundo istius capituli, ubi dicitur quod contendenter cum matre sua, "quoniam illa non uxor mea, et Ego non maritus ejus;" et per "matrem" et "uxorem" in Verbo significatur ecclesia. Apud Mosen,

"Paullatim expellam" gentes, "ne fiat terra solitudo, et multiplicetur contra te fera agri" (*Exod. xxiii. [30.] 29; Deut. vii. 22*):

quid haec significant, videatur in *Arcanis Caelestibus* (n. 9333-9338); quod nempe per "gentes" significantur mala quae homini, etiam ex hereditario; et quod illa paullatim apud hominem removeantur, quoniam si festino, antequam bonum per vera formatum est apud illum, intrarent falsitates quae destruerent: "ferae agri" significant falsitates ex jucundis amorum naturalium oriundas. Apud eundem,

"Si in statutis meis ambulaveritis, et praecepta mea observaveritis, et feceritis ea, . . . . dabo pacem in terra, ita ut secure cubetis, et non perterrefacietis; et cessare faciam feram malam e terra, et gladius non transbit per terram vestram: . . . . si vero non obediveritis Mihi et feceritis omnia praecepta mea, . . . . mittam in vos feram agri, quae orbabit vos, et exscindet bestiam vestram, imminuetque vos, ut vastentur viae vestrae" (*Levit. xxvi. 3, 6, 14, 22*):

describitur hic status vitae eorum qui in charitate et qui non in charitate: vita charitatis intelligitur per "ambulare in statutis, observare praecepta et facere illa," hoc enim est charitas; status vitae eorum describitur per "pacem," per quod "secure cubent, et non perterrefaciens," per quae significatur beatum cordis et animae oriundum ex conjunctione boni et veri, unde non pugna mali et falsi amplius contra illa; tum describitur per "cessare faciam feram

malam e terra, et gladius non transibit per illam," per quae significatur quod non amplius cupiditates et falsitates oriundae ex amore sui et mundi; "fera mala" significat cupiditates quae destruunt affectiones bonas, et "gladius" significat falsitates quae destruunt veritates: quod contrarius status sit illis qui non in charitate sunt, describitur per "si non obediveritis Mihi et feceritis omnia praecepta mea, mittam in vos feram agri, quae orbabit vos, et exscindet bestiam vestram, imminuetque vos, ut vastentur viae vestrae," per quae significatur quod per cupiditates et inde falsitates depriventur omni bono et vero; cupiditates et inde falsitates quae deprivaturae sunt, significantur per "feram agri quae orbabit vos," affectiones bonae quibus deprivabuntur <sup>[1]</sup> significantur per "bestiam quae exscindetur," et ipsa vera inde per quod "vastabuntur viae eorum" ("viae" sunt vera quae ducunt ad bonum). Apud *Ezechielem*,

"Tunc excidam iis foedus pacis, et cessare faciam feram malam e terra, ut habitent in deserto confidenter, et dormiant in silvis; . . . . non erunt amplius praeda gentibus, et fera agri non devorabit illos, sed habitabunt confidenter et non terrefaciens" (xxxiv. 25, 28):

haec de adventu Domini et de regno Ipsius tunc; quid haec in sensu interno significant, constare potest ex nunc supra explicatis, quia plura hic similia sunt; per "feram malam in terra" significantur cupiditates, et per "feram agri" falsitates. Apud *Hoscheam*,

"Occurrat illis sicut ursus orbatus, et discindat clausuram cordis eorum, et comedat eos sicut immanis leo, fera agri diffindet eos" (xiii. 8):

agitur hic de vastatione boni per falsum: "ursus orbatus" significat potentiam mali ex falso, et "immanis leo" potentiam falsi ex malo, et "fera agri" cupiditates et falsitates; quae quod perdent eos, significatur per quod "fera illa diffindet eos;" separatio veri a bono per falsum et malum, significatur per "discindere clausuram cordis eorum." Apud *Esaiam*,

"Non erit ibi leo, et rapax ferarum non ascendet illuc" (xxxv. 9):

agitur in eo capite de adventu Domini, et de statu eorum qui in regno Ipsius: quod "non erit ibi leo," significat quod non falsum destruens verum; quod "non rapax ferarum ascendet illuc," significat quod nulla cupiditas destruendi; haec quia est ex inferno, dicitur "non ascendet illuc."

[c.] Apud *Zephaniam*,

"Extendet" Jehovah "manum suam super septentrionem, et perdet Aschurem,....ut requiescant in medio ejus greges, omnis fera gentis, tam platea quam anataria in malogranatis ejus pernoctent; ....talis urbs....habitans secure; dicendo in corde suo, Ego et praeter me non amplius; quomodo facta est in vastitatem, cubile ferae" (ii. [13,] 14, 15):

agitur ibi de intelligentia propria, quae falsa et mala confirmat per ratiocinationes ex scientificis, et per applicationes ex sensu litterae Verbi: per "septentrionem" significatur naturalis et sensualis homo ac scientificum quod ibi est, et per "Aschurem" significatur ratiocinatio ex illo; et per quod "in corde suo dicat, Ego et praeter me non amplius," significatur intelligentia propria: ex his patet quid singula ibi in serie involvunt, nempe quod per "extendet Jehovah manum suam super septentrionem et perdet Aschurem," significetur quod deprivatus omni perceptione boni et intellectu veri naturalem hominem talem et intellectualem seu ratiocinantem inde; per quod "requiescent in medio ejus greges, omnis fera gentis, tam platea quam anataria in malogranatis ejus pernoctent," significatur quod ubique ibi erunt falsa mali, et in cognitionibus ex Verbo falsa cogitationis et perceptionis; "fera gentis" est falsum mali, "platea et anataria" est falsum cogitationis et perceptionis, et "malogranata" sunt cognitiones ex Verbo: per quod "talis urbs habitet secure, dicendo in corde suo, Ego et praeter me non amplius," significatur quod talis intelligentia sibi fidat, et ex proprio desumat; "urbs" significat doctrinam ex tali intelligentia: per "quomodo facta est in vastitatem, cubile ferae," significatur quod ibi nihil veri, sed plenum falsis. Apud *Ezechiel*,

"Dic ad Pharaonem regem Aegypti, et ad multitudinem ejus,....Aschur cedrus in Libano,....alta facta est prae omnibus arboribus agri: ....sed quoniam elatus est altitudine, et dedit fastigium suum inter implexa,....ideo excendent eum alieni, violenti gentium, et dejicient eum;....super ruina ejus habitabunt omnis avis caelorum, et super ramis ejus erunt omnis fera agri" (xxxi. 1-3, [5,] 10, 12, 13):

per haec significantur similia quae nunc supra; per "Pharaonem regem Aegypti" simile quod supra per "septentrionem," nempe naturalis homo et scientificum quod ibi est; per "Aschurem" ratiocinatio ex illo; et per quod

“elatus sit ex altitudine, et dederit fastigium inter implexa,” significatur gloriatio ex intelligentia inde, ita ex intelligentia propria. Ex communi hac notione de contento, videri potest quid singula ibi involvunt, nempe quod “Dic ad Pharaonem regem Aegypti, et ad multitudinem ejus,” significet de naturali homine et de scientificis ibi; “Pharaon rex Aegypti” est naturalis homo, ac “multitudo ejus” est scientificum ibi: quod “[Aschur] cedrus in Libano alta facta sit prae omnibus arboribus agri,” significat rationale per scientifica crescens; “Aschur” est rationale, et “cedrus” est intellectuale, “alta fieri prae omnibus arboribus agri” significat ex cognitionibus veri et boni immensum crescens: “sed quoniam elatus est altitudine, et dederit fastigium inter implexa,” significat quia gloriatus est ex intelligentia, et ex scientia quae est naturalis hominis, quae gloriatio, quae est elatio animi ex amore sui, est ex proprio, effert enim se naturalis homo separatus a spirituali, quia separatus a spirituali in proprio est, et sibi tribuit omnia et nihil Deo; “dare fastigium” est se efferre, et “implexa” sunt scientifica quae naturalis hominis (*videatur n. 2831, 8133*): quod “exscident eum alieni et violenti gentium, et dejicient eum,” significat quod falsa et mala inde destruent rationale; “alieni” sunt falsa, et “violentii gentium” sunt mala inde: “unde super ruina ejus habitabunt omnis avis caelorum, et super ramis ejus erunt omnis fera agri,” significat quod tunc erunt falsa cogitationis et mala affectionis; “aves” enim significant cognitiones tam veri quam falsi, “fera” significat mala affectionis inde, et “ager” significat ecclesiam, nam non alia falsa et mala intelliguntur quam quae sunt in ecclesia. (Quod “aves” significant cogitationes, ideas et ratiocinia in utroque sensu cum varietate secundum earum genera et species, *videatur n. 776, 778, 866, 988, [1]991, 3219, 5149, 7441*.) *Apud eundem,*

“Derelinquam te in deserto, te et omnem piscem fluviorum tuorum, super facies agri cades, non <sup>(2)</sup>colligeris neque congregaberis; ferae terrae et avi caeli dedi te in cibum” (*xxix. 5; cap. xxxii. 4*):

haec etiam dicta sunt de Pharaone et Aegyptio, per quos significatur naturalis homo separatus a spirituali, qui cum separatus in meritis falsis et malis est, est enim tunc absque luce caeli, quae dat omnem intelligentiam: quare per “Derelinquam te in deserto” significatur absque veris et bonis; per “piscem fluviorum ejus” significatur scientificum sen-

suale (videatur supra, n. 342[<sup>b,c</sup>] ; per "super facies agri cades" significatur quod peritum ei omne ecclesiae ; per "non <sup>"</sup>colligeris nec congregaberis" significatur quod non videbitur bonum et verum, spiritualis enim homo videt illa in naturali, ille enim colligit et congregat scientifica et concludit ; per quod "ferae terrae et avi caeli dedi te in cibum" significatur hic ut supra quod peritum per falsa cogitationis et inde mala affectionis. Quoniam naturalis homo separatus a spirituali fertur in falsa omnis generis et nocet, ideo dicitur Aegyptus

Fera arundinis (*Psalm. lxviii. 31 [B. A. 30, in margine]*)).

Apud *Ezechielem*,

"Super montibus Israelis cades, tu et omnes alae tuae, et populi qui tecum ; avi volucris omnis alae, et ferae agri dedi te in cibum" (xxxix. 4) :

haec de Gogo, per quem significatur cultus externus separatus ab interno, qui in se est nullus cultus, nam est cultus naturalis hominis separati a spirituali ; "super montibus Israelis cades" significat quod illis non aliquid <sup>[c]</sup>boni charitatis ; "montes Israelis" significant bona charitatis, et "cadere ibi" significat perire ; "tu et omnes alae tuae, et populus qui tecum," significant quod cultus ille cum suis doctrinalibus et falsis periturus sit : "avi volucris omnis alae, et ferae agri dedi te in cibum," significat extictionem veri et boni per falsa omnis generis et per mala ; mala quae significantur per "feram agri" sunt mala vitae, quae sunt cupiditates oriundae ex amore sui et mundi. Apud *Davidem*,

"Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctitatis tuae, posuerunt Hierosolymam in acervos ; dederunt cadaver servorum tuorum cibum avi caelorum, carnem sanctorum tuorum ferae terrae" (Ps. lxxix. 1, 2) :

per "gentes" hic non intelliguntur gentes sed mala vitae et falsa doctrinae, nam per "hereditatem Dei" significatur ecclesia in qua Dominus est omne bonum et verum, quia ab Ipso ; per "polluere templum sanctitatis et ponere Hierosolymam in acervos," significatur profanare cultum et pervertere doctrinam ecclesiae ; "templum sanctitatis" significat cultum quia ibi cultus, et "Hierosolyma" significat ecclesiam quoad doctrinam, ita quoque doctrinam ecclesiae : et per "dare cadaver servorum tuorum cibum

avi caelorum, et carnem sanctorum tuorum ferae terrae," significatur destruere omnia vera per falsa et bona per mala ; "avis caelorum" hic quoque sunt cogitationes falsi, et "fera terrae" sunt affectiones mali inde. Apud eundem,

"Ne des ferae animam turturis tui; vitae miserorum tuorum ne obliviscaris in perpetuum" (Ps. Ixxiv. 19) :

per "turturem" significatur bonum spirituale, ita quoque illi qui in eo bono sunt, et per "feram" significatur falsum mali cupiens destruere, ita quoque illi qui in falso mali sunt et cupiunt destruere; inde patet quid significatur [per] "Ne des ferae animam turturis tui:" per "miseros" intelliguntur qui infestantur a falsis, et inde in anxietate sunt et exspectant liberationem.

[d.] Apud *Ezechielem*,

Oves "dispersae sunt sine pastore, et factae sunt in cibum omni ferae agri, ac dispersae sunt" (xxxiv. 5, 8) :

per haec significatur quod bona charitatis per falsa destructa sint, et prorsus consumpta per omnis generis mala inde ; "fera agri" sunt mala vitae oriunda ex falsis doctrinæ; per "oves" in Verbo intelliguntur qui in bono charitatis sunt, sed quia genuinus sensus spiritualis est abstractus a personis, per "oves" significantur bona charitatis; per "pastores" significantur qui per vera ducunt ad bonum, et abstracte ipsa vera per quae bonum, ideo "sine pastore" significat non verum per quod bonum, ita falsum; per "fieri in cibum" significatur consumi, similiter ac per "comedi" cum de feris; per "feram agri" significantur mala ex falsis. Apud *Hiobum*,

"Beatus homo quem castigat Deus, . . . in fame redimet te a morte, et in bello a manibus gladii, . . . vastitatem et famem ridebis, et a fera terrae non timebis" (v. 17, 20, 22) :

haec de temptationibus ; "beatus homo quem castigat Deus" significat qui tentatur; "in fame redimet te a morte" significat liberationem a malis cum tentatur per defectum et non perceptionem boni; "in bello a manibus gladii" significat liberationem a falsis cum tentatur per defectum et non intellectum veri ("bellum" est tentatio); "vastitatem et famem ridebis" significat quod non ei defectus boni; "et a fera terrae non timebis" significat quod ei non falsum. Apud *Ezechielem*,

"Sic dices ad eos,....qui in vastitatibus gladio morientur, et qui super faciebus agri ferae dabo eum ad devorandum; et qui in munitionibus et cavernis peste morientur; dabo enim terram desolationem et vastitatem" (xxxiii. 27, 28):

agitur hic de desolatione omnis veri et de vastatione omnis boni in ecclesia, ut quoque dicitur, "Dabo terram in desolationem et vastitatem;" "terra" significat ecclesiam: "qui in vastitatibus gladio morientur" significat quod qui in scientificis perituri sint per falsa, scientifica enim naturalis hominis absque luce ex spirituali intelliguntur hic per "vastitates;" "qui super faciebus agri ferae dabo eum ad devorandum" significat quod qui in cognitionibus ex Verbo perituri sint per mala falsi; "facies agri" sunt illa quae ecclesiae, hic cognitiones ex Verbo, "fera" est malum falsi: "qui in munitionibus et cavernis peste morientur" significat qui se confirmaverunt in falsis et malis ex Verbo, et qui ex scientificis, quod prorsus ex malis et falsis perituri sint; "munitiones" sunt confirmationes ex Verbo, "cavernae" sunt confirmationes ex scientificis: quod haec significantur per illa verba, non videri potest nisi ex serie in sensu interno, agitur enim, ut dictum est, de totali vastatione ecclesiae. Apud eundem,

"Mittam super vos famem et feram malam, et orbam [!] faciam te, et pestis et sanguis transbit per te, imprimis gladium adducam super te" (v. 17):

apud eundem,

"Quando misero in" terram "famem, et exscindam [ex ea] hominem et bestiam;....quando feram malam transire fecero per terram, et orbaverit illam, ut fiat desolatio, ita ut non transiens propter feram; ....et quando adduxero gladium,....et misero pestem:....ita quando quatuor judicia mea mala, gladium, famem, feram malam et pestem, misero super Hierosolymam, ad exscindendum ex ea hominem et bestiam" (xiv. 13, 15, 17, 19, 21):

in sensu interno per "exscindere hominem et bestiam" significatur deprivare omni affectione boni et veri tam interna seu spirituali quam externa seu naturali; (quod hoc per "hominem et bestiam" in Verbo significetur, videatur n. 7424, 7523, 7872;) per "famem" significatur deprivatio boni amoris, per "gladium" deprivatio veri fidei, utrumque per falsum; per "feram malam" deprivatio utriusque per mala amoris sui et mundi; et per "pestem" deprivatio vitae spiritualis inde: haec vocantur ibi "quatuor judicia," quia homo judicatur ex illis. Ex horum et antecedentium explicatione

constare potest quid per singula ibi in serie intelligitur. Per "feram malam" intelliguntur omnes bestiae noxiae, quae rapiunt, discidunt animalia bona, sicut agnos, oves, juvencos, boves et cetera; quae sunt leones, ursi, tigrides, pantheri, apri, lupi, dracones, serpentes et plures. Quod per illas feras, et in genere per "feram malam" significantur cupiditates oriundae ex amore sui et mundi, ex quibus omnia mala vitae et falsa doctrinae, est ex correspondencia, ut constare potest ex apparentiis in mundo spirituali: ibi omnes cupiditates mali et falsi apparent sicut ferae varii generis; sunt etiam illi, ex quibus talia apparent, similes feris, summum enim eorum jucundum est bonos aggredi et perdere; hoc jucundum est jucundum infernale, ac inest amoribus sui et mundi, in quibus sunt inferna. Ex his constare potest unde est quod per "feram malam" in genere significantur mala vitae, seu cupiditates et inde falsitates oriundae ex amoribus sui et mundi, quae vastant omnia ecclesiae apud hominem.

[*e.*] Haec tenus ex Verbo ostensum est quod "ferae" significant cupiditates malas ac falsitates, in specie cupiditates perdendi et destruendi bona et vera per falsa, ita vitam spiritualem hominis; nunc etiam ostendetur quod "ferae" etiam in Verbo significant affectiones veri et boni, quae sunt oppositae affectionibus falsi ex malo, quae cupiditates vocantur. Causa quod "ferae" in Verbo etiam affectiones veri et boni significant, est quia vox ex qua denominantur et vocantur, in lingua originali significat *vitam*, "fera" enim in illa lingua vocatur *chajah*, et *chajah* significat *vitam*, ac in affectione veri et boni est ipsa vita spiritualis homini; quapropter dum "fera" in bono hoc sensu nominatur in Verbo, potius vertendum et dicendum est *animal*, quod significat animam viventem. at cum in hoc sensu dicitur "fera," tunc omnino exuenta est idea quae adhaeret voci ferae in lingua Latina, nam voci ferae in hac lingua adhaeret idea feri et ferocis, ita idea sinistra et mala; aliter in lingua Hebraea, ubi "fera" significat vitam, et in genere animam viventem seu animal. In hoc sensu "*chajah*" seu "fera" non vocari potest bestia, quoniam passim in Verbo dicitur "fera et bestia," et per "feram" ibi significatur affectio veri et per "bestiam" affectio boni. Quia "fera" seu "*chajah*" in opposito hoc sensu

significat affectionem veri et boni, ideo Evah uxor Adami vocatur "Chayah" ex illa voce, ut patet apud *Mosen*,

"Et vocavit Homo nomen uxoris suae Chayah, quia illa futura esset mater omnis chaj," hoc est, viventis (*Gen. iii. 20*):

et quoque "quatuor animalia," quae fuerunt cherubi, dicuntur ex eadem voce "chayah" in plurali; et quia voci "ferae" in Latino sermone adhaeret idea feri et ferocis, ut dictum est, ideo interpres dixerunt "animalia;" quod ex illa voce cherubi, qui apparuerunt sicut animalia dicantur, videatur apud *Ezechielem*

(cap. i. vers. 5, 13, 14, 15, 22; cap. x. 15; et alibi).

Similiter animalia quae comedenda sunt, sicut agni, oves, caprae, arietes, haedi, hirci, juvenci, boves, vaccae, ut quoque animalia quae non comedenda, communi voce dicuntur ferae; et tamen omnia animalia quae comedenda significant affectiones bonas, sunt enim mitia et utilia, proinde non fera et ferocia: ita apud *Mosen*,

"Haec fera quam comedetis de omni bestia, . . . . inter omnes feras incedentes super quatuor, . . . . ad distinguendum . . . . inter feram quae comeditur et inter feram quae non comeditur" (*Levit. xi. 2, 27, 47*);

et alibi,

"Qui venatur venationem ferae [1] aut avis, quae comeditur" (*Levit. xvii. 13*).

Etiam animalia quae sacrificabantur, quae fuerunt supra memorata, dicuntur ferae:—Ut apud *Esaiam*,

"Libanus non sufficit ad incendendum, et fera ejus non sufficit in holocaustum" (*xl. 16*):

et apud *Davidem*,

"Non sumam e domo tua juvencum, e caulis tuis hircos" in sacrificium,  
"quia Mihi omnis fera silvae, bestiae in montibus millium: novi  
omnem avem montium, et fera agrorum meorum Mecum; si esu-  
rirem non dicerem tibi, quia Mihi orbis et plenitudo ejus; . . . sa-  
crifica Deo confessionem" (*Ps. l. 9-14*).

Quod "fera" significet affectionem veri et boni, constare ulterius potest ex sequentibus his locis:—Apud *Mosen*,

"Septimo anno," qui est annus sabbatharius, "intermitte" terram  
"et relinques eam, ut comedant eam pauperes populi tui, et resi-  
duum eorum comedat fera agri" (*Exod. xxiii. 11*):

et alibi,

In anno sabbathi, "erit omnis proventus, qui in terra tua, bestiae tuae  
et ferae ad comedendum" (*Levit. xxv. 7*):

per "bestias et feras" ibi intelliguntur agni, oves, caprae, haedi, arietes, hirci, juvenci, boves, vaccae, equi et asini; non autem leones, ursi, apri, lupi et similes ferae rapaces; quare per "feras" ibi intelliguntur ferae domesticae, quae utilles, per quas significantur affectiones veri et boni. Apud *Davidem*,

"Laudate Jehovam e terra, balaenae et abyssi, . . . fera et omnis bestia, reptile et avis alae, reges terrae et omnes populi" (Ps. cxlviii. 7, 10, 11):

per haec significantur omnis generis bona et vera quae apud hominem, ex quibus homo colit Deum; et quia homo colit Deum ex illis, et illa non sunt hominis sed Domini apud illum, ideo intelligendum est quod illa colant Deum; nemo enim rite colere potest Deum a se, sed a Deo, hoc est, a bonis et veris quae sunt Dei apud illum: quod nemo possit nominare Jesum a se, sed ab Ipso, notum est aliquibus in ecclesia, et notissimum in caelo. Per "laudare Jehovam" significatur colere Ipsum; per "balaenas et abyssos" significantur scientifica et cognitiones in communi seu in omni complexu; per "feram et omnem bestiam" significantur affectiones veri et boni; per "reptile et avem omnis alae" significatur jucundum boni et veri naturalis et spiritualis hominis: ideo etiam dicitur, "Laudate Jehovam, reges terrae et omnes populi," per quos significantur vera boni omnis generis: quod talia significantur per illa verba, patet ex significatione eorum in sensu interno, et ex Verbo in caelo, ubi id est spirituale quia pro angelis qui spirituales. (Quod etiam Verbum in Caelis sit, et id secundum sensum internum, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 259–261.) Apud eundem,

"Pluviam benevolentiarum stillare facis, Deus, hereditatem tuam laborantem confirmabis; fera tua habitabunt in ea" (Ps. lxviii. 10, 11 [B. A. 9, 10]):

hic quoque "fera" seu "animal" pro illis qui in affectionibus veri et boni sunt, seu abstracte ipsae illae affectiones; nam per "pluviam benevolentiarum" quam stillare facit Deus, significatur Divinum Verum ex Divino Bono: per "hereditatem laborantem" quam confirmabit Deus, significatur ecclesia quae in Divino Vero est quoad doctrinam et quoad vitam; "hereditas" est ecclesia ubi illa, quae "laborans" dicitur ex studio faciendi bonum: quod "ferae" habitabunt in illa, nempe in hereditate seu ecclesia, significat quod

affectiones veri et boni; quod non aliud per "feram" hic intelligatur, patet, non enim potest fera rapax, hoc est, cupiditas falsi et mali, habitare in hereditate in quam Deus pluviam benevolentiarum stillare facit. Apud *Hoscheam*,

"In die illo feriam illis foedus cum fera agri et cum ave caelorum, et reptili terrae; et arcum et gladium et bellum frangam de terra, et cubare faciam eos secure, et desponsabo <sup>[1]</sup>Me tibi in aeternum" (ii. 18, 19):

haec dicta sunt de nova ecclesia a Domino; et per "feram agri, avem caelorum et reptile terrae" simile significatur quod per illa supra apud *Davidem* (Ps. cxlviii. 7, 10, 11), quae explicata sunt: per "foedus" significatur conjunctio, ita per "foedus ferire" significatur conjungi (videatur n. 665, 666, 1023, 1038, 1864, 1996, 2003, 2021, 6804, 8767, 8778, 9396, 10632); non enim potest Jehovah foedus ferire seu conjungi cum affectionibus mali et falsi seu cum cupiditatibus quae significantur per "feras" in priori sensu, ac in genere non potest ferire foedus cum fera, ave et reptili, sed cum talibus quae significantur per illa; sed videantur haec plenius explicata supra (n. 357<sup>[d]</sup>).

[f.] Apud *Ezechielem*,

"Dic ad Pharaonem regem Aegypti; . . . Ecce Aschur cedrus in Libano, pulchra ramo, et silva umbrosa, et alta altitudine; . . . aquae crescere fecerunt eam; . . . unde facta est altitudo ejus prae omnibus arboribus agri, . . . in ramis ejus nidificarunt omnes aves caelorum, et sub ramis pepererunt omnis fera agri; et in umbra ejus habitarunt omnes gentes magnae: . . . omnis arbor in horto Dei non paruit illi in pulchritudine" (xxxii. 2-9):

per "Pharaonem" et "Aegyptum" hic significatur scientificum quod naturalis hominis, et per "Aschurem" rationale cui scientificum inservit; hujus crescentia per vera scientifica et cognitiones describitur per "cedrum in Libano," per quam etiam rationale significatur: per "aquas" quae crescere illam fecerunt significantur vera; et per "ramos" significatur extensio, qualis est cogitationis rationalis hominis: inde constare potest quid significatur per quod "in ramis ejus nidificaverint omnes aves caelorum, sub ramis ejus pepererint omnis fera agri, et in umbra ejus habitarerint omnes gentes magnae," quod nempe vera rationalia et spiritualia omnis generis, affectiones veri, et bona; per "aves" enim "caelorum" significantur vera rationalia et spiritualia omnis generis; per "feram" affectiones veri, per "parere" significatur multiplicare, ex affectionibus enim

veri fit omnis partus spiritualis seu multiplicatio, et per "gentes magnas" significantur bona. (Quod "aves" significant cogitationes, rationalia, intellectualia et spiritualia, ita vera, nam omnia cogitationis sunt vel vera vel falsa, videatur n. 745, 776, 866, 988, [1]991, 3219, 5149, 7441: quod "parere" significet multiplicare vera et bona, et quod id sit partus spiritualis, n. 3860, 3868, 9325; quod "gentes" significant illos qui in bonis, et inde abstracte bona, n. 1059, 1159, 1258, 1260, 1416, 1849, 6005; et supra, n. 175[*a*], 331: quod "Pharaeo" et "Aegyptus" significant scientificum in utroque sensu, bono et malo, videatur n. 1164, 1165, 1186, 1462, 5700, 5702, 6015, 6651, 6679, 6683, 6692, 7296, 9340, 9391: et quod "Aschur" significet rationale in utroque sensu, n. 119, 1186.) Quod "Aegyptus" significet verum scientificum, et "Aschur" rationale, et quod omne rationale hominis nascatur per scientifica, seu quod haec inserviant illi, ut supra dictum est, constare potest ex his apud *Esaiam*,

"In die illo erit semita ex Aegypto in Aschurem, ut veniat Aschur in Aegyptum, et Aegyptus in Aschurem, serviantque" Jehovah "Aegyptii cum Aschure: in die illo erit Israel trina Aegypto et Aschuri, benedictio in medio terrae; cui benedicet Jehovah Zebaoth dicendo. Benedictus populus meus Aegyptus, opus manuum mearum Aschur, et hereditas mea Israel" (xix. 23-25):

ibi "Aegyptus" significat scientificum, "Aschur" rationale, et "Israel" spirituale. Ex his nunc allatis constare potest quid significatur per "avem" et per "feram agri" apud *Ezechielem*,

"Sic dixit Dominus Jehovah, Dic avi omnis alae, et omni ferae agri, Congregamini et venite, congregate vos a circuitu super sacrificium meum, quod Ego sacrifico vobis, sacrificium magnum super montibus Israeli, ut comedatis carnem et bibatis sanguinem; carnem fortium comedetis, et sanguinem principum terrae bibetis, . . . et comedetis adipem ad satietatem, et bibetis sanguinem usque ad ebrietatem, de sacrificio meo quod sacrificabo vobis: et satiabitimi super mensa meo, equo et curru, forti et omni viro belli: . . . sic dabo gloriam meam inter gentes" (xxxix. [17.] 18-21):

quod haec dicta sint de ecclesia a Domino instauranda apud gentes, patet a singulis ibi; quare per "avem omnis alae," et per "omnem feram agri," quae congregandae ac invitandae sunt ad sacrificium, significantur omnes qui in affectione veri et boni sunt; nam per "carnem" quam comedenter significatur bonum amoris, et per "sanguinem" quem bibent verum ex illo bono, ac per "sacrificium" significatur ipse cultus ex illis; sed haec amplius explicata videantur supra (n. 329[*d*]). Aliquoties in Verbo dicitur "fera et bestia," aliquoties solum "fera," ac solum "bestia," et aliquoties "fera terrae," aut "fera agri;" et quando dicitur "fera et bestia," tunc significatur affectio seu amor falsi et mali, per "feram" affectio seu amor falsi et per "bestiam" affectio

seu amor mali, vel in opposito sensu per "feram" affectio seu amor veri, et per "bestiam" affectio seu amor boni: at cum solum "fera" dicitur, ac cum solum "bestia," tunc per "feram" intelligitur affectio tam falsi quam mali, et in opposito sensu affectio tam veri quam boni, per "bestiam" autem affectio mali et inde falsi, et in opposito sensu affectio boni et inde veri; (sed de significatione "bestiae," videbitur infra in suo loco;) quum autem dicitur "fera terrae," intelligitur fera quae devorat animalia et homines; cum autem dicitur "fera agri," intelligitur fera quae consumit semen tes; ita "fera terrae" significat illa quae destruunt bona ecclesiae, et "fera agri" significat illa quae destruunt vera ecclesiae; nam per "terram" significatur ecclesia, et similiter per "agrum," sed per "terram" significatur ecclesia ex gente et populo ibi, et per "agrum" ecclesia ex semente et ex receptione seminum.

## VERSUS 9-II.

**389.** *"Et cum aperulisset quintum sigillum, vidi subter altari animas occisorum propter Verbum Dei, et propter testimonium quod habebant. Et clamabant voce magna, dicentes, Usque quo Domine, qui Sanctus et Verus, non judicas, et vindicas sanguinem nostrum de habitantibus super terra? Et datae singulis stolaे albae; et dictum eis, ut requiescerent adhuc tempus parvum, usque dum complentur et conservi eorum et fratres eorum, qui futuri interfici sicut et illi."*

9. *"Et cum aperulisset quintum sigillum,"* significat praedictionem adhuc ulteriorem [n. 390]; "<sup>[1]</sup>vidi sub altari," significat qui sub caelo reservati sunt [n. 391]; "*animas occisorum propter Verbum Dei et propter testimonium quod habebant,*" significat qui rejecti sunt et abditi propter Divinum Verum, et propter confessionem Domini [n. 392].
10. *"Et clamabant voce magna,"* significat dolorem animi eorum [n. 393]; "*dicentes, Usque quo Domine, qui Sanctus et Verus, non judicas et vindicas sanguinem nostrum de habitantibus super terra?*" significat suspiria ad Dominum, qui *Justitia, de judicio et remotione illorum qui persequuntur et infestant illos qui profitentur Dominum et in charitatis vita sunt* [n. 394].
11. *"Et datae singulis stolaе albae,"* significat Divinum Verum a Domino apud illos, et tutationem [n. 395]; "*et dictum eis ut requiescerent adhuc tempus parvum,*" significat aliquam adhuc durationem in illo statu [n. 396]; "*usque dum complentur et conservi eorum et fratres eorum, qui futuri interfici sicut et illi,*" significat dum omnia consummata sunt [n. 397].

**390.** [Vers. 9.] *"Et cum aperulisset quintum sigillum."*— Quod significet praedictionem adhuc ulteriorem, constat ex significatione "aperire sigilla libri," quod sit revelare abscondita et praedicere futura, de qua supra (n. 352, 361, 369, 378).

**391[a].** “<sup>[1]</sup>*Vidi sub altari.*”—Quod significet *qui sub caelo reservati sunt*, constat ex significatione “videre,” quod sit manifestatum facere (ut supra, n. 351); et ex significatione “altaris,” quod in proximo sensu sit cultus ex bono amoris in Dominum, in sensu interiori caelum et ecclesia quae in illo amore, et in sensu intimo Divinum Humanum Domini quoad Divinum Bonum Divini Amoris. Quod per “subter altari” significantur illi qui sub caelo reservati sunt, est quia dicitur quod “viderit subter altari animas occisorum propter Verbum Dei et propter testimonium quod habebant,” et per illos intelliguntur qui sub caelo reservati sunt usque ad ultimum judicium; sed hoc quia nondum in mundo notum est, volo dicere quomodo cum hoc se habet. In opusculo *De Ultimo Judicio* relatum est quod ante ultimum judicium fuerit instar caeli, quod intelligitur per “prius caelum quod transivit” (*Apoc. xxii. 1*); et quod hoc caelum constituerit ex illis qui in externo cultu absque interno fuerunt, et qui inde moralem vitam externam egerunt tametsi mere naturales et non spirituales essent. Illi qui hoc caelum ante ultimum judicium constituerunt, visi sunt supra terram, etiam super montibus, collibus, et petris in mundo spirituali, et inde crediderunt se esse in caelo; sed illi qui hoc caelum constituerunt, quia solum in externa morali vita fuerunt et non simul in interna spirituali, dejecti sunt; et cum illi dejecti, tunc elevati sunt et translati in eadem loca, hoc est, super montes, colles et petras, ubi priores fuerunt, omnes illi qui reservati sunt a Domino, et absconditi hic et illic, plerique in inferiore terra; et ex his formatum est novum caelum. Hi qui reservati sunt et tunc elevati, fuerunt ex illis in mundo qui vixerunt vitam charitatis, et qui fuerunt in affectione veri spirituali: elevatio horum in loca priorum saepius mihi visa est. Hi sunt qui intelliguntur per “animas occisorum visas subter altari”; et quia illi custoditi fuerunt a Domino in terra inferiori, quae terra est sub caelo, inde per “Vidi subter altari” significantur qui sub caelo reservati sunt. Sed de his in specie agitur in *Apocalypsi*, cap. xx. 4, 5, 12, 13, ubi plura de illis dicenda sunt: interea de “priori caelo quod transivit,” et de “novo caelo” quod a Domino post ultimum judicium formatum est, videatur in opusculo *De Ultimo Judicio* (n. 65-72); haec pauca sufficient pro aliqua illustra-

tione ad intelligendum illa quae in binis sequentibus versibus dicuntur, nempe, quod qui sub altari "clamaverint voce magna, dicentes, Usque quo Domine, qui Sanctus et Verus, non judicas et vindicas sanguinem nostrum de habitantibus super terra? Et datae illis stolae albae, et dictum eis ut requiescerent adhuc tempus parvum, usque dum complentur et conservi eorum et fratres eorum, qui futuri interfici sicut et illi." Quod "sub altari" significet sub caelo, est quia "altare" in supremo sensu significat Dominum, in respectivo caelum et ecclesiam (quia Dominus est caelum et ecclesia, omne enim caeli et ecclesiae, seu omne amoris et fidei quae faciunt illa apud angelum et hominem, est ab Ipso et inde est Ipsi); in communi autem sensu "altare" significat omnem cultum Domini, in specie cultum repraesentativum, qualis fuit apud filios Israelis. Quod "altare" significet omnem cultum, est causa quia cultus in illa ecclesia principaliter constabat in holocaustis et sacrificiis offendendis; offerebantur enim pro omni peccato et reatu, etiam ex benevolentia ut placerent Jehovahe (quae sacrificia eucharistica seu gratuita vocabantur), et quoque pro mundationibus omnis generis; per holocausta et sacrificia fiebant etiam inaugurationes in omne sanctum ecclesiae, ut constat ex sacrificiis ad inaugurandum Aharonem et filios ejus in sacerdotium, et ad inaugurandum Tentorium conventus, et postea Templum: et quia in holocaustis et sacrificiis principaliter constabat cultus Jehovah, hoc est, Domini, ideo etiam cotidie, nempe quovis mane et vespere offerebantur, quae una voce vocabantur "juge," praeter in magna copia quolibet festo: inde in Verbo "juge" significat omnem cultum repraesentativum. Ex his constare potest quod cultus, et in specie cultus repraesentativus illius gentis principaliter in holocaustis et sacrificiis constiterit. Inde est quod altare super quo fiebant, et quod erat continens eorum, in Verbo significet in genere omnem cultum. Per cultum non intellegitur solum cultus externus, sed etiam cultus internus; et cultus internus comprehendit omne amoris et omne fidei, ita omne id quod facit ecclesiam seu caelum apud hominem, verbo quod facit ut Dominus sit apud illum.

[b.] Quod caelum coram Johanne repraesentatum sit per altare, etiam est causa quia totum Verbum per repraesentativa est conscriptum, et per talia repraesentativa quae

fuerunt apud filios Israelis; quare ut Verbum sibi simile esset in utroque Testamento, etiam in hoc Libro similia sunt, et visa Johanni, ut quoque alibi; ut quod visum altare suffitus, et quod visi ipsi suffitus cum thuribulis, tum quod visum tabernaculum, ac visa arca, et similia alia; at hodie talia nusquam alicui angelo, nec alicui homini cui visus apertus est in caelum, apparent. Quod non altare, arca, et similia, hodie in caelo apparent, est quia sacrificia nusquam nota fuerunt antiquis, et quia post adventum Domini prorsus abolita; incepta enim fuerunt ab Ebero, et dein apud posteros ejus, qui vocati sunt Hebrei, continuata, et apud filios Israelis, qui ex Ebero fuerunt, tolerata, praecipue ob causam quia cultus semel inceptus et animis irradicatus non abolitur a Domino, sed flectitur ad significandum sanctum religionis (de qua re videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. [1]1343, 2180, 2818, 10042). Quod "altare" significet in supremo sensu Divinum Humanum Domini quoad Divinum Bonum Divini Amoris, et quod in sensu respectivo significet caelum et ecclesiam, ac in genere omnem cultum, et in specie cultum repraesentativum, constare potest a sequentibus his locis in Verbo:—Apud *Davidem*,

"Mitte lucem tuam et veritatem tuam, hae ducant me, ducant me ad montem sanctitatis tuae, et ad habitacula tua, ut ingrediar ad altare Dei, ad Deum...." (Ps. xlivi. 3, 4):

quod per "altare Dei" hic intelligatur Dominus quoad Divinum Humanum, manifeſte patet, nam agitur ibi de via ad caelum et ad Dominum ibi; via ad caelum intelligitur per "Mitte lucem et veritatem tuam, hae ducant me;" "lux" est illustratio in qua apparent veritates: caelum in quod ducatur, intelligitur per "ducant me ad montem sanctitatis et ad habitacula tua;" "mons sanctitatis" est caelum ubi regnum caeleste Domini est, in quo regnat bonum amoris; "habitacula" dicuntur illi caeli ubi est regnum spirituale Domini, in quo regnat verum ex illo bono: et quia utrumque intelligitur, ideo dicitur "ut ingrediar ad altare Dei, ad Deum;" ac per "altare Dei" intelligitur ubi Dominus est in bono amoris, et per "Deum" intelligitur ubi Dominus est in vero ex illo bono, nam Dominus dicitur "Deus" ex Divino Vero, ac "Jehovah" ex Divino Bono. In Ecclesia Judaica erant duo quae in supremo sensu significabant Divinum Humanum Ipsius, nempe altare et templum; al-

tare Divinum Humanum quoad Divinum Bonum, templum quoad Divinum Verum procedens ex illo Bono; quod duo illa significaverint Dominum quoad Divinum Humanum Ipsius, erat causa, quia omnia cultus in illa ecclesia repreäsentabant Divina quae procedunt a Domino, quae caelestia et spiritualia vocantur, et ipse cultus principaliter peragebatur super altari et in templo, quare per illa duo repreäsentabatur Ipse Dominus. Quod templum repreäsentaverit Divinum Humanum Ipsius, apertis verbis Ipse docet apud *Johannem*,

“*Judaei dixerunt, Quodnam signum monstras quod haec facias? Respondit Jesus et dixit, Solvite Templum hoc, in tribus tamen diebus exuscitaro illud;... sed Ipse loquebatur de Templo corporis sui*” (ii. 18-23; tum *Matth. xxvi. 61*; et alibi).

Quod Dominus dixerit, cum discipuli monstrabant Ipsi structuras templi,

Quod “non relinquetur lapis super lapide qui non dissolvetur” (*Matth. xxiv. 2, 3*),

significabat quod Dominus prorsus negaretur apud illos; quare etiam templum funditus destructum est.

[c.] Quod etiam altare significaverit Divinum Humanum Domini, concludi potest a Domini verbis apud *Matthaeum*,

“*Vae vobis, duces caeci, quia dicitis, Quicunque juraverit per templum, nihil est, quicunque vero juraverit per aurum templi, reus est; stulti et caeci, utrum majus est, aurum, an templum quod sanctificat aurum? Tum, Quicunque juraverit per altare, nihil est, quicunque vero juraverit per donum quod super illo, reus est; stulti et caeci, utrum majus est donum quam altare quod sanctificat donum? Qui enim jurat per altare, jurat per illud et per omne id quod super illo est; et qui jurat per templum, jurat per illud, et per Eum qui habitat in illo: et qui jurat per caelum, jurat per thronum Dei, et per Eum qui sedet super illo*” (xxiii. 16-22):

dicitur quod templum sanctificet aurum quod in eo est, et quod altare sanctificet donum quod super eo; et sic quod templum et altare fuerint sanctissima, ex quibus omnis sanctificatio; quare per “templum” et “altare” significatur Dominus quoad Divinum Humanum, ex hoc enim omne sanctum caeli et ecclesiae procedit. An templum et altare, nisi hoc intelligatur, aliquid sanctificare potest? Nec potest ipse cultus, sed Dominus cui cultus, et a quo bonum et verum cultus; quare dicitur quod non donum sanctificet, sed altare; per “donum” intelliguntur sacrificia quae erant

cultus: et quia hoc non intellexerunt Judaei, sed docuerunt aliter, ideo dicti sunt a Domino "stulti et caeci." Quia hoc significatum est per "altare," ideo sanctificabantur omnes qui tetigerunt illud, ut constat apud *Mosen*,

"Septem dies...sanctificabis" altare, "ut altare sit sanctum sanctorum; omnis qui tetigerit altare sanctificetur" (*Exod.* xxix. 37):

per "tangere" significatur communicare, transferre, et recipere (videatur n. 10130), hic Divinum quod procedit a Domino; et quia hoc significabatur per "tangere," et qui tetigerunt sanctificabantur, sequitur quod Ipse Dominus in supremo sensu significetur per "altare," aliunde enim non est aliquod sanctum: omnis etiam cultus est cultus Domini et a Domino; quare etiam, quia cultus in ecclesia illa principaliter constabat in holocaustis et sacrificiis, per "altare" significabatur ipsum Divinum a quo, et hoc Divinum est Divinum Humanum Domini. Inde quoque erat quod mandatum sit

Quod ignis super altari jugiter arderet, et nusquam extingueretur (*Levit.* vi. 5, 6 [*B. A.* 12, 13]),

et quod ex illo igne accenderentur lucernae in Tentorio conventus, et quod ex eodem desumerent in thuribulis et suffirent, nam per "ignem" significabatur Divinus Amor qui est in solo Domino (videatur supra, n. 68). Quia "ignis altaris" significat Divinum Amorem, ideo sanctificabatur per illum propheta Esaias,

"Volavit ad me unus seraphim, in cuius manu pruna ignis, quam.... acceperat desuper altari; et tetigit os meum, et dixit, Tetigit haec labia tua; ideo recessit iniquitas tua, et peccatum tuum expiatum" ([*Esai.*] vi. 6, 7):

quid haec in serie significant, videri potest dum scitur quod "altare" significet Dominum quoad Divinum Humanum, quod "ignis" super illo Divinum Bonum Divini Amoris Ipsius, quod "os et labia" prophetae significant doctrinam boni et veri, quod "tangere" significet communicare, "iniquitas" quae recessit falsum, ac "peccatum" malum; nam "iniquitas" dicitur de vita falsi seu de vita contra vera, et "peccatum" de vita mali seu de vita contra bonum. Apud *Esaiam*,

"Omnia pecora Arabiae congregabuntur Tibi, arietes Nebaioth ministrabunt Tibi, ascendent ad beneplacitum altare meum; ita domum decoris [mei] decorabo" (*Ix.* 7):

agitur ibi de adventu Domini, et haec dicta sunt de Ipso Domino; per "omnia pecora Arabiae" quae congregabuntur, et per "arietes Nebaioth" qui ministrabunt, significantur omnia bona spiritualia externa et interna; per "pecora" significantur bona externa, et per "arietes" bona interna, ac per "Arabiam" et "Nebaioth" spiritualia: "ascendit ad beneplacitum altare meum, ita domum decoris mei decorabo," significat Divinum Humanum Domini in quo erunt; "altare" significat Divinum Humanum Ipsius quoad Divinum Bonum, ac "domus decoris" illud quoad Divinum Verum: quod Dominus quoad Divinum Humanum hic intelligatur, constat ex praecedentibus hujus capituli, ubi dicitur quod "super Te exorietur Jehovah, et gloria Ejus super Te videbitur," et quae sequuntur, per quae describitur Divina Sapientia qua Dominus quoad Humanum suum implebitur. Quoniam per "altare" in supremo sensu significantur Divinum Humanum Domini, ideo etiam per "altare" significantur caelum et ecclesia; nam caelum angelicum in se spectatum est ex Divino quod procedit ex Divino Humano Domini; inde est quod caelum angelicum in toto complexu sit sicut unus Homo; quare etiam caelum illud vocatur *Maximus Homo* (de qua re videantur quae in opere *De Caelo et Inferno*, n. 59-86, ostensa sunt), similiter ecclesia (n. 57, ibi). Et quia omnis cultus est a Domino, est enim Divinum, quod communicatur homini a Domino, in quo est Ipse Dominus, inde per "altare" etiam significantur in genere omne cultus qui procedit ex bono amoris, et per "templum" cultus qui procedit ex veris ab illo bono: omnis enim cultus est vel ex amore vel ex fide, aut ex bono vel ex vero; cultus ex bono amoris est qualis est in regno caelesti Domini, et cultus ex veris ex illo bono, quae vera etiam vocantur vera fidei, est qualis est in regno spirituali Domini (de quibus etiam videatur in eodem opere, n. 20-28).

[d.] Ex his nunc constare potest quid per "altare" significantur in sequentibus his locis:—Apud *Davidem*,

"Quam amabilia sunt habitacula tua, Jehovah Zebaoth; desideravit, immo consumpta est, anima mea erga atria Jehovahae, cor meum et caro mea jubilant erga Deum vivum; etiam avis invenit domum, et hirundo nidum sibi, altaria tua, Jehovah Zebaoth, Rex mi et Deus mi; beatí habitatores domus tuae" (Ps. lxxxiv. 2-5 [B. A. 1-4]):

per "altaria" hic intelliguntur caeli, nam dicitur "Quam

amabilia sunt habitacula tua ; desideravit, immo consumpta est, anima mea erga atria Jchovae," et postea "altaria tua, Jehovah Zebaoth ;" per "habitacula" intelliguntur caeli superiores, et per "atria" caeli inferiores, ubi introitus, quae etiam "altaria" dicuntur ex cultu: et quia omnis cultus est ex bono amoris per vera, ideo dicitur "altaria tua, Jehovah Zebaoth, Rex mi et Deus mi," Dominus enim dicitur "Jehovah" ex Divino Bono, ac "Rex" et "Deus" ex Divino Vero: et quia intelliguntur caeli, etiam dicitur "Beati habitatores domus tuae ;" "domus Jehovah Dei" est caelum in omni complexu: quod etiam dicatur, "etiam avis invenit domum et hirundo nidum suum," est quia "avis" significat verum spirituale, et "hirundo" verum naturale, per quae cultus: et quia omne verum per quod cultus est ex bono amoris, ideo praemittitur, "Cor meum et caro mea jubilant erga Deum vivum ;" per "cor" et per "carnem" significatur bonum amoris, et per "jubilare" significatur cultus ex jucundo boni. Caelum et ecclesia intelliguntur per "altare" etiam in his in *Apocalypsi*,—

"Datus est mihi calamus similis baculo, et adstitit angelus et dixit mihi,  
Surge et metire templum Dei et altare, et adorantes in illo" (xi. 1);

et postea,

"Audivi alium angelum ex altari dicentem, Immo, Domine Deus omnipotens, vera et justa sunt judicia tua" (xvi. 7).

Apud Davidem,

"Lavo in innocentia manus meas, et circumdo altare tuum, Jehovah,  
ut audiri faciam vocem confessionis" (Ps. xxvi. 6, 7):

"lavare in innocentia manus" significat purificari a malis et falsis; "circumdare altare tuum, Jehovah," significat coniunctionem cum Domino per cultum ex bono amoris; qui cultus, quia fit per vera ex bono, ideo adjicitur, "ut audiri faciam vocem confessionis ;" "audiri facere vocem confessionis" est cultus ex veris: quod "circumdare altare tuum, Jehovah," significet coniunctionem Domini per cultum ex bono amoris, est quia "Jehovah" dicitur de Bono amoris, et "circumdare" significat cultu amplecti, ita conjungi. Apud Esaiam,

"In die illo erunt quinque urbes in terra Aegypti, loquentes labiis Canaanis, et jurantes Jehovah Zebaoth : Ir Cheres dicetur unaquaevis : in die illo erit altare Jehovah in medio terrae Aegypti, et statua apud terminum ejus Jehovah" (xix. 18, 19):

per "Aegyptum" significatur naturalis homo et ejus scientificum; "in die illo" significat adventum Domini, et tunc statum illorum qui in veris scientificis a Domino; "quinq<sup>ue</sup> urbes in terra Aegypti loquentes labiis Canaanis," significat vera doctrinae plura quae genuina ecclesiae ("quinq<sup>ue</sup>" sunt plura, "urbes" sunt vera doctrinae, "labia Canaanis" sunt doctrinalia ecclesiae genuina); "jurantes Jehovah Zebaoth," significat confitentes Dominum: "Jehovah Zebaoth" dicitur hic et multis aliis in locis in Verbo, et intelligitur Dominus quoad omne bonum et verum, nam *zebaoth* in lingua originali significant *exercitus*, ac "exercitus" in sensu spirituali significant omnia bona et vera caeli et ecclesiae (videatur n. 3448, 7236, 7988, 8019); hoc itaque est "Jehovah Zebaoth" seu "Jehovah Exercitum;" "Ir Cheres dicetur unaquaevi" significat doctrinam coruscantem ex veris spiritualibus in naturali, "Ir" enim est *urbs*, et "urbs" significat doctrinam, "Cheres" est *coruscatio* ut solis: "in die illo erit altare Jehovah in medio terrae Aegypti" significat quod tunc erit cultus Domini ex bono amoris per vera scientifica quae in naturali homine; "altare Jehovah" significat cultum Domini ex bono amoris, "in medio terrae Aegypti" significat per vera scientifica quae in naturali homine, vera scientifica sunt etiam cognitiones ex sensu litterae Verbi: "et statua apud terminum [ejus] Jehovah" significat cultum Domini ex veris fidei; per "statuam" significatur cultus ex veris fidei, et per "terminum Aegypti" significantur extrema; extrema naturalis hominis sunt sensualia. Apud eundem,

"Cum posuerit omnes lapides altaris sicut lapides calcis dispersos, non resurrexerint luci et statuae solares" (xxvii. 9):

haec de Jacobo et Israele, per quos significatur ecclesia, hic quae destruenda; destr<sup>uctio</sup> ejus quoad vera cultus describitur per "ponere lapides altaris sicut lapides calcis dispersos;" "lapides altaris" sunt vera cultus, "sicut lapides calcis dispersi" sunt sicut falsa non cohaerentia: "non resurrexerint luci et statuae solares" significat ut non amplius aliquis cultus ex veris spiritualibus et naturalibus; "luci" significant cultum ex veris spiritualibus, et "statuae solares" cultum ex veris naturalibus. In *Threnis*,

"Deseruit Dominus altare suum, abominatus est sanctuarium suum conclusit in manus hostis muros palatiorum ejus" (ii. 7):

lamentatio super vastatis omnibus ecclesiac; quod vastata sit ecclesia quoad omnia bona, significatur per "Deseruit Dominus altare suum;" quod vastata sit quoad omnia vera, significatur per "abominatus est sanctuarium suum;" (quod "sanctuarium" dicatur de ecclesia quoad vera, videatur supra, n. 204[*a*] ) quod falsa et mala intraverint in omnia ecclesiae, significatur per "conclusit in manus hostis muros palatiorum ejus;" "hostis" significat malum et falsum, "concludere in manus ejus" significat quod occupaverint et intraverint, "muri palatiorum" significant omnia vera tutantia, "palatia" sunt illa quae doctrinae.

[*e.*] Apud *Esaiam*,

"Quisquis custodit sabbathum....et servat foedus meum, introducam eos super montem sanctitatis meae, et exhilarabo eos in domo precationis meae; holocausta eorum et sacrificia eorum in beneplacitum super altari meo" (*Ivi. 6, 7*):

per "sabbathum" significatur conjunctio Domini cum caelo et ecclesia, ita cum illis qui ibi; quare per "custodire sabbathum" significatur in conjunctione cum Domino esse: et per "servare foedus Ipsius" significatur conjunctio per vitam secundum praecepta Domini; "foedus" est conjunctio, et vita secundum praecepta conjungit; praecepta Decalogi inde dicta fuerunt "foedus:" "introducam eos super montem sanctitatis" significat quod donatus bono amoris; "mons sanctitatis" est caelum ubi bonum amoris in Dominum, ita quoque bonum amoris quale ibi: "exhilarabo eos in domo precationis meae" significat quod donatus illos veris spiritualibus; "domus precationis" seu templum est caelum ubi vera spiritualia sunt, ita quoque vera spiritualia qualia ibi: "holocausta et sacrificia eorum in beneplacitum super altari meo" significat cultum ex bono amoris per vera spiritualia gratum; "holocausta" significant cultum ex bono amoris, et "sacrificia" cultum ex veris quae ex illo bono; vera ex bono sunt quae vocantur vera spiritualia; "super altari" significat in caelo et ecclesia. Apud *Davidem*,

"Benefac in beneplacito tuo Zioni, aedifica muros Hierosolymae; tunc delectaberis sacrificiis justitiae... et ignito; tunc ascendere facient super altare tuum juvencos" (*Ps. li. 20, 21 [B. A. 18, 19]*):

per "Zionem" intelligitur ecclesia quae in bono amoris, et per "Hierosolymam" ecclesia quae in veris doctrinae;

inde per "benefacere in beneplacito Zioni, et aedificare muros Hierosolymae," significatur restaurare ecclesiam du- cendo in bonum amoris et docendo in veris doctrinae: cultus tunc ex bono amoris significatur per "tunc delectaberis sacrificiis justitiae et ignito;" "justitia" dicitur de bono caelesti, et "ignitum" significat amorem: et cultus tunc ex bono charitatis, significatur per "tunc ascendere facient super altare tuum juvencos;" "juvenci" significant bonum naturale spirituale, quod bonum est bonum chari- tatis. Apud eundem,

"Deus Jehovah qui illuminat nos, ligate festum funibus usque ad cornua altaris, Deus mi" (Ps. cxviii. 27[, 28]):

per "illuminare" significatur illustrare in veris: per "ligare festum funibus usque ad cornua altaris" significatur con- jungere omnia cultus; "ligare funibus" est conjungere, "festum ad cornua altaris" sunt omnia cultus ("cornua" sunt omnia quia ultima, ac "festum" et "altare" sunt cultus); omnia cultus conjuncta sunt quando externa cum internis, et quando bona cum veris. Apud *Lucam*,

"Requiretur sanguis omnium prophetarum effusus a fundatione mundi a generatione hac, a sanguine Abelis usque ad sanguinem Zachariae interfecti inter altare et templum" (xi. 50, 51):

per haec non intelligitur quod a gente Judaica requiretur sanguis omnium prophetarum a fundatione mundi a san- guine Abelis, non enim ab aliquo requiritur sanguis quam ab illo qui effudit eum; sed per illa verba intelligitur quod ab illa gente falsificatum sit omne verum, et adulteratum omne bonum; "sanguis" enim "omnium prophetarum effusus a fundatione mundi" significat falsificationem omnis veri quod usquam in ecclesia fuit; "sanguis" est falsificatio, "prophetae" sunt vera doctrinae, et "a fundatione mundi" est quod usquam in ecclesia fuit ("fundatio mundi" est instauratio ecclesiae): "a sanguine Abelis usque ad sanguinem Zachariae interficti inter altare et templum," significat adulterationem omnis boni, et inde extinctionem cultus Domini; "sanguis Abelis usque ad Zachariam" est adulteratio omnis boni, "interfici inter altare et templum" est extinguere omne bonum et omne verum in cultu, "altare" enim significat cultum ex bono, et "templum" cultum ex vero, ut supra quoque dictum est: inter utrum-

que est ubi conjunctio, et ubi non conjunctio ibi non bonum nec verum. Altare erat extra Tentorium conventus et extra Templum; quod itaque fiebat inter utrumque significabat communicationem et conjunctionem (videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 10001, <sup>[1]</sup>10025; et quod "Abel" significet bonum charitatis, n. 342, 374, 1179, <sup>[2]</sup>3325). Quod non Abel nec Zacharias hic in spirituali sensu intelligatur, constat ex eo, quod nomina in Verbo significant res. Apud *Matthaeum*,

Jesus dixit, "Si obtuleris munus tuum super altari, et apud hoc recordatus fueris quod frater tuus habeat aliquid contra te, relinque munus coram altari, et abi, prius reconciliare fratri, et tunc veniens offer munus tuum" (v. 23, 24):

per "offerre munus super altari" in sensu spirituali intelligitur colere Deum, et per colere Deum intelligitur cultus tam internus quam externus, nempe qui est amoris et fidei et inde vitae; hoc intelligitur quia cultus in Ecclesia Iudaica principaliter constabat in sacrificiis seu muneribus offerendis super altari, ac principale sumitur pro omni: ex his constare potest quid in sensu spirituali intelligitur per illa verba Domini, quod nempe cultus Divinus primario consistat in charitate erga proximum, et non in pietate absque illa; "offerre munus super altari" est cultus ex pietate, et "reconciliari fratri" est cultus ex charitate, et quod hic sit vere cultus, et qualis hic talis ille. (De qua re videatur *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. <sup>[3]</sup>123-129; et in opere *De Caelo et Inferno*, n. 222, 224, 358-360, 528, 529, 535. et supra, n. 325[<sup>b</sup>].) Quod "si obtuleris munus tuum super altari" significet in omni cultu, patet a Domini verbis apud *Lucam*, cap. xvii. 4; [*Matth.* xviii. 22,] ubi dicitur quod omni tempore remittendum sit fratri seu proximo; "septuagies septem" ibi significat jugiter.

[f.] Quoniam per "altare" talia significata sunt, ideo altare factum est vel ex ligno, vel ex humo, vel ex lapidibus integris super quos non moveretur ferrum, et quoque circumdateum est aere. Quod factum sit ex ligno, erat causa, quia "lignum" significat bonum; similiter quod ex humo, nam "humus" simile significat: quod ex lapidibus integris, erat causa, quia illi "lapides" significabant vera formata ex bono, seu bonum in forma; et ne accederet aliquid ex propria intelligentia quod simul formaret id, prohibitum fuit ne lapides illi aptarentur per aliquem mallem, securim, aut ferrum: quod "circumdateum fuerit aere"

significabat quod reprezentaret bonum undeque, "aes" enim significat bonum in externis. Quod altare ex ligno factum fuerit, constat apud *Mosen*,

"Facies altare ex lignis schittim, quinque cubiti longitudo et... latitudo, quadratum erit;....et facies ei cornua;....et facies ei cibrum, opus retis aeris;....cavum tabulatum erit" (*Exod. xxvii. 1-8*);

et apud *Ezechielem*,

"Altare erat ex ligno, tres ulnas altum, et longitudo ejus duae ulnae, cui anguli, longitudo ejus et parietes ejus ex ligno: tunc locutus est ad me, Haec mensa quae coram Jehovah" (*xli. [1]22*):

quod altare ex ligno factum sit et obductum aere, fuit etiam propter usum ut portari ac transferri posset a loco in locum in deserto, ubi tunc fuerunt filii Israelis, tum quia "lignum" significat bonum, et "lignum schittim" bonum justitiae seu meriti Domini. (Quod "lignum" significet bonum, videatur n. 643, 3720, 8354; et quod "lignum schittim" bonum justitiae seu meriti, quod soli Domino, n. 9472, 9486, 9528, 9715, 10178.) Quod autem altare ex humo aedificaretur, et si ex lapidibus, quod ex integris et non per aliquod instrumentum ferri caesis, constat etiam apud *Mosen*,

"Altare [humum] facies Mihi, ut sacrifices super illo holocausta tua et eucharistica tua. ....Quod si altare lapidum facias Mihi, non aedificabis illos caeos, quia si cælum moveris super illos profanabis illud" (*Exod. xx. 21, 22 [B. A. 24, 25]*):

et alibi,

Si altare lapidum aedificatur, non impelletur ferrum super lapides (*Deut. xxvii. [5,] 6*).

[g.] Hactenus ostensum est quid per "altare" significatum est in genuino sensu; exinde patet quid per "altare" significatur in sensu opposito, quod nempe cultus idololatricus seu cultus infernalis, qui solum est apud illos qui quidem religionem profitentur, sed usque se et mundum super omnia amant, et sic colunt; et cum hoc faciunt, amant malum et falsum; quare per "altare," cum de illis, significatur cultus ex malo, et per "statuas," quae etiam erant illis, cultus ex falso, proinde etiam infernum. Quod hoc significetur per "altare" in opposito sensu, constat ex his sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

"In die illo respiciet homo ad Factorem suum, et oculi ejus ad Sanctum Israelis spectabunt; et non respiciet ad altaria, opus manuum suarum, et quod fecerunt digiti illius [2]non spectabit, aut ad lucos aut subdiales statuas" (*xvii. 7, 8*):

haec de instauratione novae ecclesiae a Domino ; quod tunc ducendi erunt in bonis vitae et informandi in veris doctrinac, intelligitur per quod homo “in die illo respiciet ad Factorem suum, et oculi ejus ad Sanctum Israelis spectabunt ;” Dominus dicitur “Facto[r]” ex eo quod ducat in bona vitae, nam haec faciunt hominem, et “Sanctus Israelis” ex eo quod doceat vera doctrinac : quare etiam dicitur quod “homo respiciet,” et “oculi ejus spectabunt ;” homo dicitur “homo” ex bono vitae, et “oculi” dicuntur de intellectu veri, ita de veris doctrinac ; quod tunc non cultus ex proprio amore, ex quo mala vitae, nec ex propria intelligentia, ex qua falsa doctrinac, significatur per quod “non respiciet ad altaria, opus manuum suarum, et quod fecerunt digiti ejus <sup>[1]</sup>non spectabit ;” per “altaria, opus manuum suarum” intelligitur cultus ex proprio amore, ex quo mala vitae ; et per “quod fecerunt digiti ejus” intelligitur cultus ex propria intelligentia ex qua falsa doctrinac : per “lucos et subdiales statuas” significatur religiosum ex falsis et inde malis, per “lucos” religiosum ex falsis, et per “subdiales statuas” ex malis falsi. Apud *Jeremiam*,

“ Peccatum Jehudae scriptum est stylo ferri, scalpro adamantis, <sup>[2]</sup>sculptum super tabula cordis eorum, et in cornibus altarium vestrorum : sicut recordor filiorum eorum, altarium eorum, et lucorum eorum cum arbore viridi, super collibus altis” (xvii. 1, 2) :

per haec describitur quod cultus idololatricus genti Judaicae ita irradicatus fuerit ut auferri nequiret ; quod irradicatus ut non auferri posset, significatur per quod “peccatum Jehudae scriptum sit stylo ferri, scalpro adamantis, sculptum super tabula cordis eorum, et in cornibus altarium eorum ;” falsum irradicatum intelligitur per “scriptum stylo ferri et scalpro adamantis,” et malum irradicatum intelligitur per “sculptum super tabula cordis, et in cornibus altarium illorum ;” “super cornibus altarium” dicitur quia intelligitur cultus idololatricus : per “filios” quorum recordatur, significantur falsa mala, per “altaria” cultus ille ex malo, per “lucos cum arbore viridi” cultus ille ex falso, [per] “super collibus altis” significatur adulteratio boni et falsificatio veri : illo enim tempore, quando omnia cultus erant repraesentativa caelestium et spiritualium, cultum habebant in lucis et super collibus, quia “arbores,” ex quibus luci, significa-

bant cognitiones et perceptiones veri et boni, et hoc secundum species arborum; et quia "colles" significabant bona charitatis, in quibus spirituales angeli sunt, qui in mundo spirituali habitant super collibus, inde erat quod cultus antiquis temporibus perageretur super collibus; at hoc prohibitum fuit genti Judaicae et Israelitiae, ne profanarent sancta quae repraesentabantur, erat enim gens illa solum in externis quoad cultum, internum eorum erat mere idololatricum. (Quod "arbores" significant cognitiones et perceptiones veri et boni secundum species illarum, videatur n. 2163, 2682, 2722, 2972, 7692: quod inde antiqui Divinum cultum habuerint in lucis sub arboribus secundum earum significationes, n. 2722, [1]4552: quod hoc prohibitum fuerit genti Judaicae et Israelitiae, causa, n. 2722: quod "colles" significant bona charitatis, causa, n. 6435, 10438.) Apud *Hoscheam*,

"Vitis vacua Israel, fructum facit similem sibi; quando multus fructus ejus multiplicat altaria, quando bene est terrae ejus bonas faciunt statuas: ab blanditur cor eorum, jam desolati sunt; ille evertet altaria illorum, devastabit statuas illorum" (x. 1, 2):

"Israel" hic significat ecclesiam, quae "vitis vacua" dicitur cum non verum amplius; cultus ejus ex malis intelligitur per "altaria" quae multiplicat; et cultus ex falsis intelligitur per "statuas" quas bonas facit: quod hoc faciant quantum abundant, significatur per "quando multus est fructus ejus, et quando bene est terrae ejus;" quod cultus ex malis et ex falsis destruetur, significatur per quod "evertet altaria illorum, et devastabit statuas illorum." (Quod "statuae" significaverint cultum ex veris, ac in opposito sensu cultum ex falsis, ita idololatricum, videatur n. 3727, 4580, 10643.) Apud *Ezechielem*,

"Sic dixit Dominus Jehovih montibus et collibus, alveis et vallibus,.... Ego adducens super vos gladium, et perdam excelsa vestra, et destruentur altaria vestra, frangentur solares statuae vestrae, immo faciam cadere confosso vestros coram idolis vestris" (vi. 3, 4, 6, 13):

"Dixit Dominus Jehovih montibus, collibus, alveis et vallibus," non significat omnibus qui ibi habitant, sed omnibus idololatriis, qui nempe super montibus et collibus et ad alveos et in vallibus instituerunt cultum, quod fecerunt propter repraesentationes et inde significationes eorum; "adducere super vos gladium, et perdere excelsa, destruere altaria, et frangere solares statuas," significat destruere omnia cultus idololatrici per falsa et mala, nam cultus idololatricus semet per illa destruit; "gladius" enim significat falsa destruentia, "excelsa" cultum idololatricum in genere,

"altaria" eundem ex malis amoribus, et "statuae solares" eundem ex falsis doctrinae: "facere cadere confosso coram idolis" significat damnationem eorum qui pereunt per falsa; "confossi" significant illos qui percunt per falsa, "idola" significant falsa cultus in genere, et "cadere" significant damnari. Apud *Hoscheam*,

"Multiplicavit Ephraim altaria ad peccandum; fecerunt illi altaria ad peccandum" (viii. 11):

per "Ephraim" significatur intellectuale ecclesiae, hic intellectuale perversum; "multiplicare altaria ad peccandum" significant pervertere cultum per falsa, et "facere altaria ad peccandum" significant pervertere cultum per mala; nam in Verbo "multiplicare" dicitur de veris ac in opposito sensu de falsis, et "facere" dicitur de bono et in opposito sensu de malo; inde est quod illa duo dicantur, et tamen non est repetitio vana. Apud eundem,

"Excisa est Samaria, rex ejus sicut spuma super faciebus aquarum; et perdentur excelsa Aven, peccatum Israelis, tribulus et spina ascendet super altaria illorum" (x. 7, 8):

per "Samariam" significata est ecclesia spiritualis, seu ecclesia in qua charitas et fides unum faciunt; at postquam perversa facta est, tunc per "Samariam" significata est ecclesia in qua charitas separata est a fide, et haec usque essentialis pronuntiata; quare etiam tunc per illam significatum ubi non verum amplius quia non bonum, sed loco boni malum vitae, et loco veri falsum doctrinae; hoc significatur hic per quod "excisa sit Samaria;" falsum doctrinae ejus significatur per "regem ejus qui sicut spuma super faciebus aquarum;" "rex" significat verum, et in opposito sensu, ut hic, falsum; "spuma" super faciebus aquarum significat vacuum et separatum a veris; "aqueae" sunt vera: per quod "perdentur excelsa Aven," significatur quod destruentur principia falsi et inde ratiocinationes quae sunt illis qui in cultu illo, qui in se spectatus est interior idololatricus, nam qui in malo vitae et in falsis doctrinae sunt se colunt et mundum: per quod "tribulus et spina ascendet super altaria eorum" significatur quod verum falsificatum et malum inde in omni cultu eorum; "altaria" sunt omnis cultus.

[h.] Apud *Amos*,

"In die illo, quo visitaturus sum praevaricationes Israelis super illum, visitabo super altaria Bethelis, ut excidantur cornua altaris, cunctaque in terram" (iii. 14):

per "visitare praevaricationes Israelis super illum," significatur status illorum ultimus, in sensu spirituali status post mortem quando judicandi; "visitare" pro judicare dicitur quia visitatio semper praecedit judicium: per "altaria Bethelis" significatur cultus ex malo; per "cornua altaris" significatur cultus ex falsis: ita per haec significantur omnia cultus; quae quod destruenda sint, significatur per quod "cornua exscindentur et cadent in terram." Dicitur quod "visitabitur super altaria Bethelis," quia Jeroboamus separavit Israelitas a Judaeis, et erexit duo altaria, unum in Bethele et alterum in Dane; et quia per "Bethelem" et "Danem" significantur ultima in ecclesia, et ultima in homine ecclesiae vocantur naturalia sensualia, seu naturalia mundana et corporea, ideo haec per "Bethelem" et "Danem" significantur, per "Bethelem" ultimum boni et per "Danem" ultimum veri; inde per bina illa "altaria" significatur cultus in ultimis seu in extremis; qualis cultus est apud illos qui separant charitatem a fide, et hanc solam pro medio salutis agnoscunt. Hi inde de religione cogitant in naturali sensuali; quapropter omnia quae dicunt se credere, non intelligunt nec volunt intelligere, dicendo quod intellectus erit sub obedientia fidei; et qui tales sunt, repraesentati sunt per Israelitas separatos a Judaeis, seu per Samariam separatam a Hierosolyma; ac cultus eorum repraesentatus est per altaria in Bethele et Dane; qui cultus, quatenus est separatus a charitate, est nullus cultus, nam in illo os loquitur absque intellectu et voluntate, seu absque mente; absque intellectu, quia dicunt credendum esse tametsi non intelligunt, et absque voluntate, quia removent facta seu bona charitatis. Quod si cultus nullus cultus sit, significatur per haec in *Libro Primo Regum*,

Cum stetit Jeroboamus super altari in Bethele, vir Dei clamavit ad illum quod altare diffinderetur et cinis effunderetur; quod etiam factum est (xii. 26 ad fin.; et cap. xiii. 1-6):

quod prorsus nullus cultus esset, significatur per quod "altare diffinderetur, et cinis effunderetur." Quod fides

separata a charitate significata sit tunc per "Samariam," est quia regnum Judaicum significabat ecclesiam caelestem seu ecclesiam quae in bono amoris, et regnum Israeliticum significabat ecclesiam spiritualem quae est in veris ex illo bono: hoc significatum est per regnum Judaicum et Israeliticum quando sub uno rege erant, seu quando coniuncta; cum autem separata sunt, tunc per regnum Israeliticum significatum est verum separatum a bono, seu quod idem, fides separata a charitate. Praeterea cultus significatur per "altare," quia per "holocausta" et "sacrificia" quae offerebantur super eo, plurimis aliis in locis, quae ob copiam non adducuntur: et quia cultus idololatricus per "altaria gentium" significatus est, ideo mandatum est ut ubivis destruerentur.

(Videatur *Deutr.* vii. 5; *cap. xii. 3*: *Judic.* ii. 2: et alibi):

ex quo patet quod altaria in usu fuerint apud omnem posteritatem ex Ebero, ita apud omnes qui Hebrei vocabantur, qui quoad plurimam partem fuerunt in terra Canaane, et proxime circum illam, tum etiam in Syria, unde Abram. Quod fuerint in terra Canaane et proxime circum illam, constat ex altaribus, quae ibi, memoratis et destructis; quod in Syria, constat

Ex altaribus a Bileamo, qui e Syria erat, aedificatis (*Num.* xxiii. 1):  
Et ex altari in Damasco (*2 Reg.* xvi. 10-15);

Et ex eo, quod Aegyptii abominati sint Hebreos propter sacrificia (*Exod.* viii. 22 [*B. A.* 26]), usque adeo ut non vellent panem cum illis comedere (*Gen.* xlivi. 32).

Causa erat, quia Antiqua Ecclesia quae fuit ecclesia repraesentativa, ac per multum orbis Asiatici extensa, ignoravit sacrificia, et aspexit illa, quando ab Ebero instituta fuerunt, sicut abominanda; quod nempe vellent placare Deum per caudem diversorum animalium, et sic per sanguinem. Inter eos qui ab Antiqua Ecclesia fuerunt, erant etiam Aegyptii; sed hi quia applicerunt repraesentativa ad magica, ecclesia illa apud eos exstincta fuit. Quod non panem cum illis vellent comedere, erat causa, quia per "prandia" et "cenias" eo tempore repraesentabatur et inde significabatur consociatio spiritualis, quae est consociatio et coniunctio per illa quae ecclesiae sunt, et per "panem" in genere significabatur omnis cibus spiritualis, et inde per "prandium" et "cenam" omnis coniunctio. (Quod Antiqua Ecclesia per multum

orbis Asiatici, nempe per Assyriam, Mesopotamiam, Syriam, Aethiopiam, Arabiam, Libyam, Aegyptum, Philisthaeam usque ad Tyrum et Zidonem, per terram Canaanem cis et trans Jordanem, fuerit extensa, videatur n. 1238, 2385; quod fuerit ecclesia repraesentativa, n. 519, 521, 2896; de ecclesia ab Ebero instituta, quae vocata est Ecclesia Hebraea, n. 1238, 1241, 1343, 4516, 4517; quod sacrificia ab Ebero primum incepta fuerint, et dein in usu apud posteros ejus, n. 1128, 1343, 2180, 10042; quod sacrificia non mandata fuerint, sed modo permitta, ostensum ex Verbo; causa quod dicantur mandata, n. 922, 2180, 2818; et quia Verbum conscriptum est apud illam gentem, et Verbum Historicum de illa gente, quod non aliter potuerit quam ut altaria et sacrificia nominarentur, et quod cultus Divinus per illa significaretur, n. 10453, 10461, 10603, 10604.)

**392[a]. “Animas occisorum propter Verbum Dei et propter testimonium quod habebant.”**—Quod significet *qui rejecti sunt et abditi sunt propter Divinum Verum, et propter confessionem Domini*, constat ex significatione “occisorum,” quod sint illi qui rejecti sint a malis et abditi a Domino (de qua sequitur); ex significatione “Verbi Dei,” quod sit Divinum Verum: (“Verbum Dei” dicitur quod Dominus loquitur, et hoc est Divinum Verum; Verbum seu Scriptura Sacra non aliud est, nam omne Divinum Verum ibi continetur; sed ipsum Verum ibi in sua gloria non appetet nisi coram angelis, quia interiora Verbi, quae sunt spiritualia et caelestia, ad illos perveniunt, et quoque faciunt sapientiam eorum: quare per “Verbum Dei” in genuino sensu significatur Divinum Verum, et in supremo sensu Ipse Dominus qui id locutus est, nam locutus est a Se seu a Divino Suo, et quod ab Ipso procedit hoc quoque Ipse est. Quod Divinum procedens sit Ipse, illustrabitur per hoc:—Circum unumquemvis angelum est sphaera quae vocatur sphaera vitae ejus; haec ad multam distantiam ab eo se effundit. Haec sphaera effluit seu procedit ex vita affectionis seu amoris ejus; quare est extensio vitae qualis est in illo extra illum: extensio illa fit media atmosphaera seu aura spirituali, quae est aura caeli; per illam sphaeram percipitur angelus qualis est ad distantiam ab aliis quoad affectionem, quod etiam datum est mihi aliquoties percipere: at circum Dominum est sphaera Divina, quae prope Ipsum appetet ut Sol, qui est Divinus Amor Ipsius, ex quo procedit illa in universum caelum, et implet illud, et facit lucem quae ibi; haec sphaera est Divinum procedens ex Domino, quod in sua essentia est. Divinum Verum. Haec comparative cum angelis propter illustrationem dicta sunt, ut sciatur quod Divinum procedens a Domino sit Ipse Dominus, quia est procedens amoris Ipsius, et procedens est Ipse extra

Se:—) et ex significatione "testimonii," quod sit confessio Domini et Ipse Dominus, de qua sequitur. Quod per "occisos" hic intelligantur illi qui rejecti sint a malis spiritibus et abditi a Domino, seu ab oculis aliorum semoti, et reservati ad diem ultimi judicii, constare potest ex illis quae in superiori articulo dicta sunt, et quoque ex illis quae sequuntur in binis versibus in quibus unice de illis agitur: in superiori articulo dictum est quod "prius caelum" quod transivit, constituerit ex illis qui moraliter vixerunt in externis, sed usque non spirituales verum mere naturales fuerunt, seu qui vitam quasi spiritualem egerunt solum ex affectione seu amore famae, honoris, gloriae, lucri, ita propter apparentiam; hi tametsi interius mali fuerunt, usque tolerati sunt, et constituerunt societas in locis editioribus in mundo spirituali. Hae societas simul sumptae dictae fuerunt caelum, sed "prius caelum" quod postea transivit. Inde factum est quod omnes illi qui spirituales fuerunt, hoc est, non solum exterius sed etiam interius boni, non simul cum illis esse potuerint, sed ab illis secesserint vel sua sponte vel profugati, ac ubi inventi persecutioes passi sint; quapropter illi a Domino abditi sunt, ac in suis locis reservati ad diem judicii, ut "novum caelum" constituerent. Hi itaque sunt qui intelliguntur per "animas occisorum visas sub altari." Inde patet quod per "occisos" significentur qui rejecti et abditi; erant enim odio habiti a reliquis propter Divinum Verum et propter confessionem Domini; et qui odio habentur illi dicuntur "occisi," nam odio habere est spiritualiter occidere. Quod illi intelligantur per "animas occisorum," constare etiam potest ex illis quae sequuntur in binis versibus ubi de illis ita dicitur, "Et clamabant voce magna, dicentes, Usque quo Domine, qui Sanctus et Verus, non judicas et vindicas sanguinem nostrum de habitantibus super terra? Et datae singulis stolae albæ; et dictum eis ut requiescerent adhuc tempus parvum, usque dum complentur et conservi eorum et fratres eorum, qui futuri interfici sicut et illi." Quod illi de quibus nunc dictum est, per "occisos" intelligantur, nemo scire potest nisi cui revelatum est; quis enim scit, nisi ex revelatione, ex quibus "prius caelum" (de quo in *Apocalypsi*, cap. xxi. 1) constituerat, et ex quibus "novum caelum" formatum est? et quod illi ex quibus novum caelum formandum est, interea a

Domino reconditi et reservati fuerint? Et nisi illa alicui revelata fuissent, latuissent omnia illa quae in *Apocalypsi* in sensu interno continentur; nam ibi agitur principaliter de talibus quae futura erant in mundo spirituali ante ultimum judicium, tum quae in illo, ac post illud.

[b.] Quod per "testimonium" significetur confessio Domini et Ipse Dominus, constare potest ex locis in Verbo quae sequuntur. Significatio illa trahit inde originem, quia Verbum in omnibus et singulis testatur de Domino, in sensu enim ejus intimo agitur de solo Domino, ac in sensu interno de caelestibus et spiritualibus quae procedunt a Domino; et in particulari testatur Dominus de Se apud singulos qui in vita amoris et charitatis sunt, influit enim Dominus in illorum cor et vitam ac docet, imprimis de Divino Humano suo; nam dat illis qui in vita amoris sunt cogitare Deum sub Humana forma, et Deus sub Humana forma est Dominus: ita cogitant simplices in Christiano orbe, ita quoque gentiles qui in charitate secundum religiosum suum vivunt; hi et illi obstupescunt quando audiunt eruditos loquentes de Deo quod percipiendus sit non in aliqua forma Humana, scientes tunc quod nullum Deum cogitatione videant, et inde quod parum fidei de existentia Dei habeant, quoniam fides, quae est fides charitatis, comprehendere aliquo modo vult quod creditur; nam fides est cogitationis, et cogitare incomprehensibile non est cogitare, sed modo est scire et inde loqui absque idea. Angeli etiam sapientissimi non aliter de Deo cogitant quam in Humana forma; aliter cogitare illis impossibile est, ex causa quia perceptiones eorum vadunt secundum formam caeli, quae est forma humana ex Divino Humano Domini (de qua re videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 59-86), tum quia affectiones, ex quibus cogitationes eorum, sunt ex influxu, et influxus est a Domino. Haec dicta sunt ut sciatur unde est quod "testimonium" significet Dominum; quod nempe, quia Dominus de Se testatur apud omnes qui recipiunt testificationem, qui sunt qui vitam amoris in Dominum et vitam charitatis erga proximum vivunt. Quod hi recipient testificationem, et confiteantur Ipsum, est causa, quia vita amoris et charitatis aperit interiorem mentem per influxum lucis e caelo, est enim vita amoris et charitatis ipsa vita Divina: Dominus enim amat unumquemque

et benefacit unicuique ex amore ; quare ubi illa vita recipitur, ibi est Dominus praesens, et ei conjungitur, proinde influit in mentem ejus superiorem, quae mens spiritualis vocatur, et per lucem a Se aperit illam.

[c.] Quod "testimonium" significet Dominum, et apud hominem confessionem Domini ex corde, et in specie agnitionem Divini Domini in Humano Ipsius, constare potest ex eo, quod Lex quae lata fuit in Monte Sinai, et inscripta duabus tabulis, et dein posita in arca, dicatur "testimonium;" unde etiam arca vocabatur "arca testimonii," et quoque tabulae vocabantur "tabulae testimonii;" et quia hoc sanctissimum erat, ideo propitiatorium datum fuit super arcam, et super propitiatorio sculpti erant duo cherubi, inter quos Jehovah, hoc est, Dominus locutus est cum Mose et cum Aharone. Inde patet quod "testimonium" significet Ipsum Dominum ; alioqui propitiatorium non positum fuisset super arcam, nec locutus fuisset Dominus cum Mose et Aharone inter cherubos qui super propitiatorio. Cum etiam Aharon intraret intra velum, quod fiebat semel quotannis, primum sanctificabatur, et dein suffiebat usque ut fumus suffimenti obtegeret propitiatorium ; quod nisi fecisset, dicitur quod moriturus esset. Ex his manifeste constat quod testimonium, quod in arca, quod erat Lex lata super Monte Sinai, et inscripta duabus tabulis lapideis, significaverit Ipsum Dominum. Quod Lex illa dicatur "testimonium," constat apud Mosen,

"Dabis in arcam testimonium quod datus sum tibi" (*Exod. xxv. 16*) ;  
 "Dedit testimonium in arcam" (*Exod. xl. 20*) ;

"Propitiatorium quod super testimonio" (*Levit. xvi. 13*) ;

"Relinque" baculos tribuum "coram testimonio" (*Num. xvii. 19* [*B. A. 4*]).

Quod tabulae et arca inde dictae fuerint tabulae et arca testimonii (*Exod. xxv. 22* ; cap. *xxxii. 7, 18* ; cap. *xxxii. 15*).

Quod propitiatorium positum fuerit super illud, et super propitiatorio sculpti bini cherubi (*Exod. xxv. [1]17-22* ; cap. *xxvi. 34*).

Quod Dominus locutus sit cum Mose et cum Aharone inter duos cherubos (*Exod. xxv. 16, 21, 22* ; *Num. xvii. 19* [*B. A. 4*] ; et alibi).

Quod sanctificarent se antequam illuc intrarent ; et quod fumus suffimenti tegeret propitiatorium, ne morerentur (*Levit. xvi*).

[d.] Quod "testimonium" significet Dominum, etiam constat ex eo, quod id quod super arca erat, vocatum fuerit propitiatorium, et Dominus est Propitiator. Arca etiam ex testimonio in illo erat sanctum sanctorum tam in Tentorio quam in Templo, et inde Tentorium erat sanctum

et quoque Templum. Tentorium repreaesentabat caelum, et quoque Templum, ac caelum est caelum ex Divino Humano Domini; inde sequitur quod per "testimonium" significetur Dominus quoad Divinum Humanum suum. (Quod Tentorium conventus repreaesentaverit caelum, videatur n. 9457, 9481, 9485, [1]10545: quod similiter Templum, supra, n. 220: et quod caelum sit caelum ex Divino Humano Domino, in opere *De Caelo et Inferno*, n. 59-86.) Quod Lex e Monte Sinai promulgata dicatur "testimonium," est quia Lex illa in lato sensu significat totum Verbum, tam Historicum quam Propheticum, et Verbum est Dominus, secundum haec apud *Johannem*,

"In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, . . . ac Verbum Caro factum est" (i. 1, 14):

quod Verbum sit Dominus, est quia Verbum significat Divinum Verum, et omne Divinum Verum procedit a Domino, est enim Lux in caelo, quae illuminat mentes angelorum et quoque mentes hominum, ac illis dat sapientiam; est illa Lux in sua essentia Divinum Verum procedens a Domino ut Sole (de qua Luce videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 126-140); inde est quod postquam dicitur quod "Verbum esset apud Deum, et Deus esset Verbum:" etiam dicatur apud *Johannem*,

"In Ipso vita erat, et vita erat Lux hominum; . . . erat Lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in mundum" (vers. 4, 9, ibi).

Ex his etiam patet quod Dominus intelligatur per "testimonium," quoniam Lex super duabus tabulis scripta, quae vocatur testimonium, significat Verbum in toto complexu, et Dominus est Verbum. (Quod "Lex" in lato sensu significet Verbum in toto complexu, in minus lato Verbum Historicum, et in stricto decem praecepta Decalogi, videatur n. 6752.) Lex illa etiam vocabatur "foedus," et inde tabulae quibus inscripta fuit vocabantur "tabulae foederis," et quoque arca vocabatur "arca foederis"

(Videatur *Exod.*, [2]xxxiv. 28; *Num.* xiv. 44; *Deut.* ix. 9, 15; *Apoc.* xi. 19; et alibi);

et hoc ex causa, quia "foedus" significat coniunctionem, ac Verbum seu Divinum Verum est quod conjungit hominem cum Domino; non aliunde est aliqua coniunctionio. (Quod "foedus" significet coniunctionem, videatur n. 665, 666, 1023, 1038, 1864, 1996, 2003, 2021, 6804, 8767, 8778, 9396, 10632.) Quod Lex illa dicta sit et foedus et testimonium, est quia cum illa dicitur "foedus," intelligatur Verbum per quod coniunctionio, et cum illa dici-

tur "testimonium" intelligatur Ipse Dominus qui conjungit, et a parte hominis confessio Domini et agnitus Divini Ipsius in Humano Ipsius, quae conjungit. Ex his videri potest unde est quod Verbum in ecclesia dicatur "Foedus," illud Verbum quod fuit ante adventum Domini "Vetus Foedus," et quod post adventum Ipsius "Novum Foedus;" dicitur etiam "Testamentum" vetus et novum, sed dicendum est *Testimonium*.

[*e.*] Quod per "testimonium" significetur Dominus, et a parte hominis confessio Domini et agnitus Divini Ipsius in Humano Ipsius, constat etiam ex his locis in Verbo:—  
In *Apocalypsi*,

"Illi vicerunt" draconem "per sanguinem Agni, et per Verbum testimonii; . . . et iratus draco . . . abivit, ut faceret bellum cum reliquis seminis ejus, qui tenebant mandata Dei, et habent testimonium Jesu Christi" (xii. 11, 17):

et alibi,

"Conservus tuus sum et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu: . . . testimonium Jesu est spiritus prophetiae" (xix. 10);

quod "testimonium Jesu sit spiritus prophetiae" significat quod confessio Domini et agnitus Divini Ipsius in Humano Ipsius sit vita omnis veri tam in Verbo quam in doctrina ex Verbo: et alibi,

*Animae securi percussorum propter testimonium Jesu, et propter Verbum Dei, . . . non acceperunt characterem super frontem suam et super manum suam* (xx. 4);

sed de his in explicatione in sequentibus. Apud *Davidem*,

"Hierosolyma aedificata sicut urbs quae cohaeret sibi una; et eo ascendunt tribus, tribus Jah, testimonium Israeli, ad confitendum nomini Jehovah; quia ibi sedent throni ad judicium" (Ps. cxvii. 3-5):

per "Hierosolymam" significatur ecclesia quoad doctrinam; quae "aedificata" dicitur, cum instaurata a Domino; "sicut urbs quae cohaeret sibi una" significat <sup>[1]</sup>doctrinam, in qua omnia in ordine ("urbs" est doctrina); "eo ascendunt tribus, tribus Jah," significat quod in illa sint omnia vera et bona in complexu; "testimonium Israeli, ad confitendum nomini Jehovah," significat quod ibi agnitus et confessio Domini; "quia ibi sedent throni ad judicium" significat quod ibi Divinum Verum secundum quod judicium; quod "throni" id significant, videatur supra (n. 253[*a*]). Apud eundem,

Jehovah "erexit testimonium in Jacobo, et legem....in Israele" (Ps. lxxviii. 5):

per "Jacobum" et "Israelem" significatur ecclesia, per "Jacobum" ecclesia externa, et per "Israelem" ecclesia interna; ac per "testimonium" et per "legem" significatur Verbum, per "testimonium" quod ibi docet bona vitae, et per "legem" quod ibi docet vera doctrinae: quoniam illi qui in externa ecclesia sunt, in bono vitae sunt secundum vera doctrinae, et illi qui in interna ecclesia in veris doctrinae sunt secundum quae vita, ideo de Jacobo dicitur "testimonium," et de Israele "lex." Apud eundem,

"Si custodiverint filii tui foedus meum, et testimonium quod docebo eos, etiam filii [deorum] in aeternum sedebunt super throno tibi" (Ps. xxxii. 12):

haec de Davide, sed per Davidem ibi intelligitur Dominus; per "filios" ejus intelliguntur qui faciunt praecepta Domini: de his dicitur, "Si custodiverint filii tui foedus meum et testimonium meum;" per "foedus" simile intelligitur quod supra per "legem," nempe verum doctrinae, et per "testimonium" simile quod supra per "testimonium," nempe bonum vitae secundum vera doctrinae. (Similia per "foedus" et "testimonia" significantur apud *Davidem*, Ps. xxv. 10.) Pluribus in locis dicuntur "testimonia," et simul "lex," "praecepta," "mandata," "statuta" et "judicia;" ac ibi per "testimonia et mandata" significantur quae docent vitam, per "legem et praecepta" quae docent doctrinam, per "statuta et judicia" quae docent ritus; ut in his sequentibus, apud *Davidem*:-

"Lex Jehovahae perfecta, recreans animam; testimonium Jehovahae firmum, sapientem reddens simplicem; mandata Jehovahae recta, laetificantia cor; praeceptum Jehovahae purum, illuminans oculos;...judicia Jehovahae veritas, justa sunt simul" (Ps. xix. 8-10 [*B. A.* 7-9]):

apud eundem,

"Beati integri via, ambulantes in lege Jehovahae; beati custodientes testimonia Ipsius, in toto corde querunt Ipsum:....Tu praecepisti mandata tua ad custodiendum valde: utinam dirigantur viae meae ad custodiendum statuta tua; tunc non pudefiam quando respicio ad omnia praecepta tua: confitebor Tibi in rectitudine cordis, quem didicero judicia justitiae tuae" (Ps. cxix. [2]1-7; pariter ibi vers. 12-15, 88, 89, 151-156; et alibi).

**393.** [Vers. 10.] "*Et clamabant voce magna.*"—Quod significet dolorem animi eorum, constat ex significatione "clamare,"

quod sit dolor animi vehemens, quia ille se manifestat per clamoris sonum in loquela; quare etiam "clamor" in Verbo significat dolorem. Omnis etiam affectio, sive sit doloris sive gaudii, se exserit per sonos, et ideae cogitationis per voces in sono. Inde est quod sonus in loquela manifestet affectionis tam quale quam quantum, et hoc in mundo spirituali clarius quam in mundo naturali, ex causa quia ibi producere alias affectiones quam quae sunt propriae mentis non licet; quapropter ibi quisque sapiens potest audire et percipere alterius affectionem solum ex loquela ejus. (Quod soni sint affectionis et voces sint idearum cogitationis apud spiritus et angelos, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 241; et supra, n. 323[a].) Quod "clamare" et "clamor" in Verbo significet dolorem, constat ex pluribus locis ibi, ex quibus solum volo afferre hunc apud *Esaiam*,

"Clamavit Cheschbon et Elealeh, usque ad Jahazam auditæ est vox eorum, propterea armati Moabi vociferabuntur, anima ejus aegra erit sibi: cor meum super Moabo clamat,....nam circumdedit clamor terminum Moabi, usque ad Eglaim ejulatus ejus" (xv. 4, 5, 8).

Quia "clamor" significat dolorem, inde receptum est dicere "clamare ad Deum," quando dolor animo est

(Ut apud *Esaiam*, cap. xix. 20; cap. xxx. 19; cap. lxv. 19: apud *Jeremiām*, cap. xiv. 2: et alibi).

Quod "clamor" in Verbo dicatur de variis affectionibus, ut de lamentatione interiore, de imploratione et supplicatione ex indolentia, de contestatione, et indignatione, de confessione, de supplicatione, et quoque de exultatione et de aliis, videatur in *Arcanis Cœlestibus* (n. 2240, 2821, [2841, 4779].  
[1] 7782, 5016, 5018, 5027, 5323, 5365, 5870, 6801, 6802, 6862, 7119, 7142, 8179, 8353, 9202).

**394. "Dicentes, Usque quo Domine, qui Sanctus et Verus, non judicas et vindicas sanguinem nostrum de habitantibus super terra?"**—Quod significet suspiria ad Dominum, qui *Justitia, de judicio et remotione illorum qui persecuntur et infestant illos qui profitentur Dominum et in charitatis vita sunt*, constat ex significatione clamare et dicere "Usque quo Domine," quod sit ex dolore suspiria edere ad Dominum, sunt enim voces gementium et suspirantium, ac supplicantium de justitia; ex significatione "qui Sanctus et Verus," quod sit qui *Justitia, nam justitia, cum de Domino, significat quod talia non toleret, et hoc quia est Sanctus et*

Verus; ex significatione "judicare et vindicare sanguinem nostrum," quod sit judicare et removere illos qui persequuntur et infestant illos qui profitentur Dominum et in vita charitatis sunt; quod haec per illa verba significantur, est quia per "sanguinem" significatur omnis violentia illata Divino Bono et Divino Vero, ita Domino, proinde violentia illata illis qui in charitatis et fidei vita sunt: his violentiam inferre est Ipsi Domino, secundum Ipsius Domini verba apud *Matthaeum*,

"In quantum fecistis uni ex fratribus meis minimis, Mihi fecistis" (xxv. 40, 45):

quod hoc per "sanguinem" in eo sensu significetur, videatur supra (n. 329[*f.g.*]); et ex significatione "habitantium super terra," quod sint qui in priori caelo quod postea transivit; illi enim habitaverunt super terra, super montibus, collibus et petris in mundo spirituali, et tunc illi qui agnoverunt Dominum et in charitatis vita fuerunt, commorati sunt sub terra seu sub caelo, et ibi reconditi et reservati (videatur supra, n. 391[*a*], 392[*a*]). Ex his constare potest quid per illa verba in suo sensu genuino intelligitur; sed scire quod talia intelligentur, nemo potest, nisi cui revelatum est; quis enim alioqui sciturus est quinam intelliguntur per "animas occisorum," et quid intelligitur per "vindicare sanguinem suum de habitantibus super terra"? Qui non scit ex revelatione quinam sunt, opinatus est quod solum martyres intelligentur; cum tamen non martyres, sed omnes illi qui persecutionem passi et infestati sunt ab illis qui in priori caelo quod transivit, fuerunt; illi enim tales fuerunt ut a semet ejecerint omnes qui Dominum professi sunt, et in charitatis vita fuerunt, quoniam interius mali fuerunt (*ut* supra etiam, n. 391[*a*], 392[*a*], dictum est). Quibus haec addam:— Omnes illi in mundo spirituali qui interius mali sunt, utcunque moralem vitam in externis in mundo egerunt, prorsus non sustinere possunt aliquem qui Dominum adorat, et qui charitatis vitam vivit; hos ut primum vident, infestant, et vel damno vel probro afficiunt: quod ita sit saepe miratus sum, et quoque omnes qui non id sciunt miratur sunt; quoniam iidem sustinuerunt in mundo praedicationes de Domino et quoque de charitate, et quoque doctrinaliter de illis ipsi locuti sunt; at usque dum spiritus fiunt, non sustinent: sed causa est quia hoc insitum est malo eorum

in quo sunt ; in malo enim eorum est inimicitia, immo odium contra Dominum, et quoque contra illos qui ducuntur a Domino, qui sunt qui in charitatis vita sunt ; sed inimicitia illa et odium illud latet in spiritu eorum, quapropter in illis sunt quando fiunt spiritus ; prodit tunc antipathia illa seu oppositio insita malo. Sint pro exemplo illi apud quos amor regnandi praedominatus est : illorum jucundum est dominari super alios, et si possunt, super omnes ; hoc jucundum inest illis post mortem, nec potest auferri, quoniam omne jucundum est amoris, et amor praedominans facit vitam cujusvis, et hacc vita manet in aeternum. Hi, quando fiunt spiritus, cum ex jucundo amoris sui affectant continue dominium super alios, sicut in mundo, et non possunt, irascuntur Domino ; et quia Ipsum non possunt damno afficere, irascuntur illis qui Dominum profitentur ; jucundum enim amoris eorum est oppositum jucundo amoris caelestis : hoc jucundum est ut Dominus regnet, illud autem jucundum est ut ipsi regnent ; quae causa est quod huic jucundo insitum sit odium contra Dominum, et contra omnes qui ab Ipso ducuntur, qui sunt qui in charitatis vita sunt. Ex his videri potest causa, cur illi qui professi sunt Dominum et charitatis vitam egerunt, a Domino exempti sint talium violentiae, ac reconditi in terra inferiore, et ibi reservati usque ad judicium : post judicium autem illi qui habitaverunt supra terram, super montibus, collibus et petris ibi, qui fuerunt, ut supra dictum, interius mali, ejecti sunt ; et illi qui reconditi sub terra seu sub caelo, elevati, ac hereditatem sortiti in locis unde priores ejecti sunt. Ex his nunc plenius comprehendi potest quid intelligitur per haec in versu sequenti, quod “dictum sit eis ut requiescerent adhuc tempus parvum, usque dum complentur.”

**395[a].** [Vers. 11.] *“Et datae singulis stolae albae.”*—Quod significet *Divinum Verum a Domino apud illos, et tutationem*, constat ex significatione “stolae albae,” quod sit *Divinum Verum a Domino*, “stola” enim significat verum in communi, quia est commune indumentum, et “album” dicitur de veris quae a Domino; album enim est lucis, et lux procedens a Domino ut Sole in sua essentia est *Divinum Verum*: quod per “datas singulis stolas albas” etiam significetur tutatio, dicetur infra ; primum tamen, unde est quod “stola alba” significet *Divinum Verum a Domino*. Omnes

spiritus et angeli vestiuntur secundum intelligentiam suam, seu secundum receptionem veri in vita, nam hoc est intelligentia; formatur enim lux intelligentiae eorum in vestes, quae cum inde formatae sunt, non modo apparent ut vestes sed etiam sunt vestes: omnia enim quae in mundo spirituali existunt, et apparent coram oculis eorum, ex luce et calore, quae procedunt a Domino ut Sole, existunt; ex illa origine non modo omnia in mundo spirituali creata et formata sunt, sed etiam omnia in mundo naturali, nam mundus naturalis existit et subsistit per mundum spiritualem a Domino. Inde constare potest quod apparentiae, quae in caelo coram angelis existunt, sint prorsus reales; similiter etiam vestes. Quoniam spiritus et angeli vestiuntur secundum intelligentiam, et omnis intelligentia est veri, et angelica intelligentia est Divini Veri, ideo vestiuntur secundum vera; quapropter "vestes" significant vera; vestes quae proximae corpori sunt; et inde interiores, significant interiora vera, vestes autem quae circum sunt et cingunt illas, significant exteriora vera; inde "stola," "toga" et "pallium," quae communia indumenta sunt, significant vera in communi, et "toga alba" Divinum Verum in communi quod apud illos a Domino. (Sed videantur quae De Vestibus quibus induiti sunt Angeli, in opere *De Caelo et Inferno*, n. 177-182, ostensa sunt; et quae supra de significatione Vestium, n. 64, 65, 195, 271, dicta.) Quod "stolae albae datae illis qui sub altari" etiam significet tutationem a Domino, est quia "stolae albae," quae illis datae erant, repraesentabant praesentiam Domini cum Divino Vero circum illos, et Dominus per Divinum Verum tutatur suos, circumdat enim illos sphaera lucis, ex qua illis stolae albae; qua cum circumdati sunt, non amplius infestari possunt a malis spiritibus, nam, ut supra dictum est, infestabantur ab illis, ac ideo a Domino recondebantur. Hoc etiam fit apud illos qui elevantur a Domino in caelum; induuntur tunc vestibus albis, quod indicium est quod sint in Divino Vero, et sic in tuto: sed de his qui induiti stolis albis, plura videbuntur in explicatione capitinis sequentis (ad versus 9, 13-17, ibi).

[b.] Quod "stola," "toga," et "pallium," significant Divinum Verum in communi, constare etiam potest a sequentibus his locis:—Apud *Sacharium*,

"Pudefient prophetae, quisque propter visionem suam quam prophetavit, neque induent togam pili ut mentiantur" (xiii. 4):

per "prophetas" significantur qui docent vera ex Verbo, et in sensu abstracto vera doctrinae ex Verbo; et quia haec per "prophetas" significabantur, ideo illi inducebantur toga pili: per "togam" enim "pili" significabatur Divinum Verum in ultimis, quod est Divinum Verum in communi; nam ultimum continet omnia interiora, "pilus" etiam significat ultimum. Inde erat

Quod etiam Elias ex toga sua dictus fuerit "vir pilosus" (*2 Reg. i, 7, 8*); Et quod Johannes Baptista (qui sicut Elias fuit, quia simile repreäsentabat) habuerit "vestimentum ex pilis camelini" (*Matth. iii. 4*).

Ex his patet quid significatur per quod prophetae "non induent togam pili ut mentiantur," nempe quod non dicent vera esse falsa et falsa esse vera; "mentiri" hoc significat. Quoniam Elias repreäsentavit Dominum quoad Verbum, quod est ipsa doctrina veri, et Elisaeus continuabat repreäsentationem, et quia "toga" significabatur Divinum Verum in communi, quod est Verbum in ultimis, ideo toga Eliae pervenit ad Elisaeum, et quoque per togam Eliae divisae sunt aquae Jordanis, secundum haec in *Libris Regum* :—

Cum Elias invenit Elisaeum, "projicit togam suam super illum" (*1 Reg. xix. 19*):

"Elias sumpsit togam suam, et convolvit illam, et percussit aquas" Jordanis, "quae divisae sunt huc et illuc, et transiverunt ambo in sicco" (*2 Reg. ii. 8*):

"Elisaeus videns" cum ablatus est Elias turbine in caelum,...."sustulit togam Eliae, quae deciderat desuper illo, et reversus est et stetit ad litus Jordanis; et sumpsit togam illam,....et percussit aquas, quae divisae sunt huc et illuc, et transivit" (*2 Reg. ii. 12-14*):

quod "Elias togam projicerit super Elisacum" significabat quod transferret repreäsentationem Domini quoad Verbum super Elisaeum; et quod "toga deciderit de Elia cum ablatus est, et quod sumpta sit ab Elisaeo," significabat quod repreäsentatio illa translata sit super Elisaeum; nam Elias et Elisaeus repreäsentabant Dominum quoad Verbum, ac vestiti sunt secundum id quod repreäsentabant; et "toga" significabat Verbum in ultimis, quod est Divinum Verum in communi, seu Divinum Verum in omni complexu: quod "per togam Eliae divisae sint aquae Jordanis," primum ab Elia et postea ab Elisaeo, significabat potentiam Divini Veri in ultimis; "aquae" etiam "Jordanis" significabant prima vera per quae intratur in ecclesiam, et haec prima sunt quae in Verbi ultimis: inde quoque constare potest

quod "toga" et "stola" significant Divinum Verum in communi. (Quod Elias repreäsentaverit Dominum quoad Verbum, et similiter Elisaeus, videatur n. 2762, 5247. Quod ultimum contineat interiora, et inde significet omnia in communi, n. 634, 6239, 6465, [1]9215, [2]9216, 9828; quod inde in ultimis sit robur et potentia, n. 9836; quod "Jordanes" significet introitum in ecclesiam, et quod inde "aquaे Jordanis" significant prima vera per quae intratur, n. 1585, 4255; quod "aquaे" sint vera, supra, n. 71.) Prima vera sunt quoque ultima, qualia sunt Verbi in sensu litterae; nam per illa fit introitus, primum enim discuntur, et in illis sunt interiora omnia, quae faciunt Verbi sensum internum.

[c.] Qui non scit quid "stola" seu "toga" significat, nec scit quid "pallium," nam pallium aequo ac toga erat vestis communis, circumcinxit enim tunicam seu vestem interiorem, unde similis ei quoque significatio est; unde nec scit quid significavit quod Schaul abruperit alam pallii Samuelis; quod David absciderit alam pallii Schaulis; quod Jonathan dederit Davidi pallium suum et vestes suas; et quod filiae regis amictae fuerint palliis frustatim variegatis, et plura alia ubi pallia nominantur in Verbo. De Schaule quod abruperit alam pallii Samuelis, ita legitur:

"Convertit se Samuel ad abeundum, sed apprehendit alam pallii ejus, et abrupta est; et dixit Samuel, Abrupit Jehovah regnum Israelis desuper te hodie, et dedit illud socio tuo, qui melior te" (*I Sam. xv. 27, 28*):

ex verbis Samuelis patet quod "abruptio alae pallii" significaverit abruptiō regni a Schaule, nam dixit, postquam id factum est, quod "Jehovah abruperit regnum Israelis desuper te hodie;" per "regem" enim et per "regnum" ejus significatur Divinum Verum ecclesiae, et per "alam pallii" significatur Divinum Verum in ultimis seu omne in communi: reges enim super filios Israeis repreäsentabant Dominum quoad Divinum Verum, et regnum eorum significabat ecclesiam quoad illud; quare per historicum illud significatur quod Schaul rex non amplius repreäsentare posset, quia non talis, et quod aliter repreäsentativum ecclesiae periret. (Quod reges repreäsentaverint Dominum quoad Divinum Verum, et quod "regnum" inde significaverit ecclesiam quoad illud, videatur supra, n. 29, 31.) Simile significatur per quod David absciderit alam pallii Schaulis, de quo ita legitur:

David intravit in speluncam ubi Schaul, et abscidit alam pallii ejus; et cum dein ostendit illam Schauli, dixit Schaul, "Nunc novi quod regnabis, et consistet in manu tua regnum Israelis" (*I Sam. xxiv. [4,] 5, 6, 12, 21 [B. A. 3-5, 11, 20]*);

hoc factum est a Davide ex Divina Providentia ut simile reprezentaretur quod supra; nam per "alam pallii," et per "Schaulem regem" ac per "regnum" ejus, similia significantur. Simile etiam significatur per quod Jonathan filius Schaulis exuerit se pallio et vestibus suis, et dederit Davidi, de qua re ita legitur:

"Exuit Jonathan pallium quod super illo, et dedit Davidi et vestes suas, et usque ad gladium suum, et usque ad arcum suum, et usque ad cingulum suum" (*1 Sam. xviii.* [14]):

per haec significabatur quod Jonathan heres regni omne jus suum transtulerit in Davidem, omnia enim illa quae Jonathan dedit Davidi reprezentativa erant regni, hoc est, Divini Veri ecclesiae, quod Schaul reprezentabat; nam ut supra dictum est, omnes reges qui fuerunt filiis Israelis reprezentaverunt Dominum [2]quoad Divinum Verum, et regnum eorum ecclesiam quoad illud. Quia "pallia" et "togae" significabant Divinum Verum in communi, ideo

"Filiae regis virgines vestiebantur togis frustatim variegatis" (*2 Sam. xiii. 18*):

"filiae regis virgines" significabant affectiones veri, et inde ecclesiam, ut constare potest ex mille locis ubi in Verbo nominatur "filia regis," "filia Zionis," et "filia Hierosolymae," et quoque "virgo Zion" et "virgo Hierosolyma;" quare etiam filiae regis reprezentabant vera affectionis illius per vestes, et in communi per togas, quae inde frustis variegatae erant; sicut etiam representantur vera ex bono seu vera ex affectione per vestes virginum in caelo; quae vera amplius describuntur per

"Vestes filiae Regis" apud *Davidem* (*Ps. xlv. 10, 11, 14, 15* [*B. A. 9, 10, 13, 14*]).

[d.] Quoniam luctus in Antiquis Ecclesiis significabat luctum spiritualem, qui est propter deprivationem veri, quare haec reprezentabatur in luctu tunc per quod disruperint togas suas seu pallia sua; ut constat apud *Hiobum*,

Cum Hiob amiserat omnia, "tunc surrexit, scidit togam suam,...et dixit, Nudus egressus sum ex utero matris meae, et nudus revertar" (*i. 20, 21*):

et alibi,

Tres amici Hiobi, cum viderunt eum, "fleverunt et sciderunt pallia sua" (*ii. 12*).

(Quod "discindere vestes" fuerit repraesentativum luctus propter verum Iacsum aut deperditum, videatur n. 4763.) Et praeterea apud *Ezechielem*,

" Descendent desuper thronis suis omnes principes maris, et abjicient pallia sua, et vestes acupicturae sua exuent, terroribus induentur, super terra sedebunt " (xxvi. 16):

haec dicta sunt de Tyro, per quam significatur ecclesia quoad cognitiones veri et boni, hic ecclesia ubi illae deperditae sunt: quod non amplius illis vera sint per quae ecclesia, significatur per quod "descendent desuper thronis suis omnes principes maris;" "principes maris" sunt vera scientifica primaria, "descendere desuper thronis" significat quod illa deperdita sint, et inde quod non aliqua intelligentia: simile significatur per quod "abjicient pallia sua, et exuent vestes acupicturae suae;" "pallia" sunt vera in communi, et "vestes acupicturae" sunt cognitiones veri: damnatio inde significatur per quod "terroribus induentur, super terra sedebunt." Apud *Micham*,

"Populus meus pro hoste sibi statuit propter vestem, togam extrahitis a transeuntibus secure, reducibus belli" (ii. 8):

per haec non significatur quod filii Israelis pro hoste statuerint propter vestem, et quod extraxerint togam a transeuntibus secure, sed quod pro inimicis habuerint illos qui vera locuti sunt, et deprivaverint omni vero illos qui bene vixerunt, et discusserunt falsa; "vestis" est verum, "toga" est omne verum quia est verum in communi, "transire secure" est bene vivere, "reduces belli" sunt qui discusserunt falsa, "bellum" est pugna veri contra falsum. Quis non videre potest quod hoc spirituale Verbi sit, et non quod habuerint pro hoste propter vestem, et extraxerint tunicam a transeuntibus? Apud *Matthiacum*,

Scribae et Pharisaei "omnia opera sua faciunt ut spectentur ab hominibus, et dilatant phylacteria sua, et magnificant fimbrias palliorum suorum (lxviii. 5):

haec fecerunt Scribae et Pharisaei, at usque per hoc repraesentabatur et significatur quod ex ultimis Verbi multa loquerentur et applicarent vitae et traditionibus suis, et hoc ut apparerent sancti et docti: per "phylacteria" quae dilatant, significantur bona in externa forma, nam erant super manus, et per "manus" significantur facta, quia manus faciunt; et per "fimbrias palliorum" quas magnifi-

cant, significantur vera externa; vera externa sunt quae in ultimo sensu litterae: "pallia" sunt vera in communi, et "fimbriae" sunt ultima eorum. (Quod "fimbriae palliorum" talia vera significant, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 9917.)

[e.] *Apud Esaiam,*

"Laetabor in Jehovah, exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestibus salutis, pallio justitiae texit me" (lx. 10):

"laetari in Jehovah" significat in Divino Bono, "exultare in Deo" significat in Divino Vero; nam Dominus "Jehovah" dicitur ex Divino Bono, et "Deus" ex Divino Vero, et omne gaudium spirituale est ex illis: "induere vestibus salutis" significat instruere et donare veris; et "tegere pallio justitiae" significat implere omni vero ex bono; "pallium" est omne verum quia est verum in communi, ac "justitia" dicitur de bono. Apud eundem,

"Induit vestes vindictae, et texit Se zelo sicut pallio" (lix. 17):

haec dicta sunt de Domino, ac de Ipsius pugna cum infernis; cum enim in mundo fuit redegit omnia in infernis et in caelis in ordinem, et hoc per Divinum Verum ex Divino Amore: "vestes vindictae" significant vera per quae, "zelus sicut pallium" significat Divinum Amorem ex quo; "pallium" dicitur, quia significatur per Divina vera ex Divino Amore. (Quid autem significat "pallium ephodi," quo Aharon amictus fuit, super cujus fimbriis malogranata et tintinnabula, de quo in *Exod.*, cap. xxviii. 31-35, et *Levit.* viii. 7, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 9910-[1]9928.)

**396.** *"Et dictum eis ut requiescerent adhuc tempus parvum."*—Quod significet adhuc aliquam durationem in illo statu constat absque ulteriore explicatione; quod in illo statu, est quia "tempus" significat statum. (Quod "tempus" significet statum vitae, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 162-169.)

**397.** *"Usque dum complentur et conservi eorum et fratres eorum, qui futuri interfici sicut et illi."*—Quod significet dum mala consummata sunt, constat ex significatione "usque dum complentur," quod sit dum consummata sunt: et ex significatione "et conservi eorum et fratres eorum qui futuri interfici sicut et illi," quod sint mala, nam interficere illos est malum; per "conservos" intelliguntur qui in veris, et per "fratres" intelliguntur qui in bonis; ac per "conservos et fratres" simul, intelliguntur qui in veris ex bono sunt, in sensu enim interno duo conjunguntur in unum. Aliquis in locis in Verbo dicitur "consummatio," tum

“quando mala consummata,” sed vix aliquis hodie novit quid per id significatur. Supra (in tribus articulis, n. 391, 392, 394) dictum est quod prius caelum constiterit ex talibus qui moralem vitam in externis egerunt, et tamen in internis fuerunt mali, et quod hi habitaverint in altis locis in mundo spirituali, et inde putaverint quod essent in caelo. Hi quia interius mali fuerunt, non apud se toleraverunt illos qui interius boni fuerunt, et hoc propter discrepantiam affectionum et cogitationum; omnes enim consociationes in mundo spirituali fiunt secundum concordantiam affectionum et inde cogitationum, nam angeli et spiritus non sunt nisi quam affectiones et inde cogitationes in forma humana; et quia illi qui in altis tunc erant, non potuerunt sufferre praesentiam illorum qui interius boni erant, ideo ejecerunt illos a se, et illos, ubicunque viderunt, malis et probris affecerunt; quapropter a Domino ab illorum violentia exempti sunt, et reconditi sub caelo, ac conservati: et hoc factum est a tempore quum Dominus fuit in mundo ad hoc usque tempus quando judicium factum est, et tunc illi qui super altis erant, dejecti sunt, et illi qui sub caelo, elevati: quod mali tam diu tolerati fuerint super altis, ac boni tam diu detenti sub caelo, fuit causa ut completerentur hi et illi, hoc est, ut boni tali numero essent ut sufficerent ad novum caelum ex illis formandum, et quoque ut mali ex se deciderent ad infernum; Dominus enim neminem in infernum dejicit, sed ipsum malum quod apud malos spiritus dejicit illos (videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 545-550); hoc tunc fit quando mala consummata, hoc est, completa sunt. Hoc quoque est quod intelligitur per Domini verba apud *Matthaeum*,

“Accedentes servi Patrisfamilias dixerunt,.... Nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo sunt zizania?.... Et dixerunt, Vis ergo abeamus et colligamus ea? At ille dixit, Non, ne colligendo zizania eradicetis simul cum eis triticum; sinite itaque utraque crescere ad messem, et tempore messis dicam messoribus, Colligit primum zizania, et ligate ea in fasciculos ad comburendum, tritica vero colligit in horrea:.... sic erit in consummatione saeculi” (xiii. 27-30, 37-42):

“consummatio saeculi” est ultimum tempus quando judicium; “tempus messis” est quando omnia consummata seu completa sunt; “zizania” sunt mala, seu in quibus mala sunt; ac “tritica” sunt bona, seu in quibus bona sunt. (Sed de his plura videantur in opusculo *De Ultimo Judicio*, n. 65-72.)

Ex his aliquantum sciri potest unde est quod dictum sit illis ut requiescerent adhuc tempus parvum, usque dum complentur et conservi eorum et fratres eorum qui futuri interfici sicut et illi; per "interfici" hic simile significatur quod per "occidi," supra (n. 392<sup>[a]</sup>), nempe a malis rejici propter Divinum Verum ac propter confessionem Domini. Ex his cognitis sciri potest quid significatur per "consummationem" et per "iniquitatem consummatam" in his sequentibus locis:—Apud *Mosen*,

Dixit Jehovah, . . . . "Descendam et videbo num juxta clamorem qui venit ad Me fecerint consummationem" (*Gen.* <sup>[1]</sup>xviii. [20,] 21);

de Sodoma. Apud eundem,

"Quia nondum consummata (impta) est iniquitas Emorraeorum" (*Gen.* <sup>[2]</sup>xv. 16):

apud *Esaiam*,

"Consummationem et decisionem audivi a cum Domino Jehovah Zebaoth super universam terram" (xxviii. 22):

apud eundem,

"Consummatio definita, inundata justitia, nam consummationem et decisionem Dominus Jehovah Zebaoth faciens in tota terra" (x. 22, 23):

apud *Zephaniam*,

"In igne zeli" Jehovah Zebaoth "comedetur tota terra, quia consummationem et quidem festinatam faciet cum omnibus habitatoribus terrae" (i. 18):

apud *Danielem*,

"Tandem super avem abominationum desolatio, et usque ad consummationem et decisionem stillabit super devastationem" (ix. 27):

et alibi. Per "consummationem" et "decisionem" in his locis significatur status ultimus ecclesiae, qui est quando non verum amplius quia non bonum, seu quando non fides amplius quia non charitas; et cum ille status ecclesiae est, tunc venit ultimum judicium. Quod tunc ultimum judicium veniat, est quoque quia humanum genus est basis seu fundamentum caeli angelici, nam conjunctio caeli angelici cum humano genere est perpetua, ac unum subsistit per alterum; quare cum basis non correspondet, caelum angelicum vacillat; ideo tunc judicium super illos qui in mundo spirituali sunt, ut omnia tam in caelis quam in infernis in ordinem redigantur. (Quod Humanum Genus sit basis et fundamentum caeli angelici, et quod conjunctio perpetua sit, videatur in opere *De Caelo et Inferno*,

n. 291-302, et n. 303-310.) Ex his sciri potest quod per "consummationem" intelligatur ultimus status ecclesiae, quando non fides amplius quia non charitas; qui status ecclesiae etiam in Verbo vocatur "vastatio," et "desolatio," et a Domino "consummatio saeculi"

(*Matth. xiii. 39, 40, 49; cap. xxiv. 3; cap. xxviii. 20.*)

VERSUS 12-14.

**398.** "*Et vidi cum aperuisset sigillum sextum, et ecce terrae motus magnus factus est; et sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, et luna facta est tanquam sanguis. Et stellae caeli ceciderunt in terram, sicut ficus dejicit grossos suos a magno vento concussa. Et caelum abscessit tanquam liber convolutus; et omnis mons et insula e locis suis emota sunt.*"

12. "*Et vidi cum aperuisset sigillum sextum,*" significat *praedictionem [de statu] ecclesiae adhuc ulteriorem* [n. 399]; "*et ecce terrae motus magnus factus est,*" significat *statum ecclesiae prorsus immutatum* [n. 400]; "*et sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, et luna facta est tanquam sanguis,*" significat *quod omne bonum amoris disparatum sit, et inde omne verum fidei falsificatum* [n. 401].
13. "*Et stellae caeli ceciderunt in terram,*" significat *quod cognitiones boni et veri perierint* [n. 402]; "*sicut ficus dejicit grossos suos a magno vento concussa,*" significat *quas naturalis homo per ratiocinationes depopulatus est* [n. 403].
14. "*Et caelum abscessit tanquam liber convolutus,*" significat *quod spirituialis homo oclusus sit* [n. 404]; "*et omnis mons et insula e locis suis emota sunt,*" significat *quod omne bonum amoris et verum fidei perierit* [n. 405, 406].

**399.** [*Vers. 12.*] "*Et vidi cum aperuisset sigillum sextum.*"—Quod significet *praedictionem de statu ecclesiae adhuc ulteriorem*, constat ex significatione "aperire sigilla" libri qui in manu Domini, quod sit revelare abscondita et praedicere futura (de qua supra, n. 352, 361, 369, 378, 390).

**400[a].** "*Et ecce terrae motus magnus factus est.*"—Quod significet *statum ecclesiae prorsus immutatum*, constat ex significatione "terrae motus," quod sit mutatio status ecclesiae, "terra" enim est ecclesia, et "motus" est mutatio status. (Quod "terra" sit ecclesia, videatur supra, n. 304; et quod "motus" sit mutatio status, in *Arcanis Caelestibus*, n. 1273-1275, 1377, 3356.) Quod haec praedictio, quae significatur per "apertum sigillum sextum," involvat quod ecclesiae status prorsus immutatus sit, patet a praecedentibus et a sequentibus in eo capite; in praecedentibus praedictum est quod perierit intellectus Verbi quoad bonum, et dein quoad verum, et tandem quod nullus intellectus Verbi esset ex malis vitae et inde falsis doctrinæ; quod intellectus Verbi deperditus

sit quoad bonum, significatum est per "equum rufum," qui visus est exire ex aperto sigillo libri (*de quo supra*, n. 364); quod intellectus Verbi deperditus sit quoad verum, significatum est per "equum nigrum" visum (*de quo supra*, n. 372); et quod inde nullus intellectus Verbi esset ex malis vitae et falsis doctrinae, significatum est per "equum pallidum" (*de quo supra*, n. 381); inde nunc sequitur quod status ecclesiae prorsus immutatus sit; haec a praecedentibus: a sequentibus etiam, nam dicitur quod "sol factus sit niger tanquam saccus cilicinus, et luna facta sit sicut sanguis," et quod "stellae caeli ceciderint in terram," praeter plura, per quae significatur quod non amplius aliquod bonum amoris nec verum fidei, nec aliquae cognitiones boni et veri essent; ex quibus etiam patet quod per "terrae motum magnum" hic significetur quod ecclesiae status prorsus immutatus sit. Praeterea, quod "terrae motus" significet mutationem status ecclesiae, ex pluribus locis in Verbo constat, quorum aliqua in sequentibus adducuntur. Quod "terrae motus" id significet, est ex apparentiis in mundo spirituali. In eo mundo aequae sunt terrae, valles, colles, montes, ut in mundo naturali; et super illis habitant spirituum et angelorum societates. Illa loca, antequam super illis formatum est novum caelum, visa sunt insignes mutationes subire; quaedam apparuerunt subsidere, quaedam concuti et commoveri, et quaedam convolvi sicut solet volumen libri convolvi, et auferri; et quaedam quassari et tremere sicut a terrae motu magno: haec mihi saepe visa sunt antequam novum caelum formatum est, et semper indicia fuerunt quod status ecclesiae ibi immutatus sit; quando quassata fuerunt et tremuerunt sicut a terrae motu, indicium fuit quod ibi status ecclesiae mutatus sit, et in quantum mutatus constabat a terrae motus quanto et quali; et quando ecclesiae status apud illos plane conversus est a bono in malum et a vero in falsum, tunc apparuit terra ibi convolvi sicut volumen libri et auferri; haec intelliguntur per verba in versu 14 hujus capituli, nempe, "Et caelum abscessit tanquam liber convolutus." Similia etiam visa sunt Johanni; nam is, cum illa vidit, fuit in spiritu, ut quoque ipse dicit (*cap. i. 10; cap. iv. 2*); et qui videt in spiritu, is videt quac existunt et apparent in mundo spirituali. Ex his nunc etiam patet quod per "terrae motum" significet

tur mutatio status ecclesiae, nempe a bono in malum et a vero in falsum.

[**b.**] Quod per "terrae motus" et "contremiscentias" non aliud in Verbo intelligatur, constare etiam potest a sequentibus his locis :—Apud *Joelem*,

"Coram Ipso commota est terra, contremuerunt caeli, sol et luna atrati sunt, et stellae contraxerunt splendorem suum" (ii. 10):

per "terram" et per "caelos" hic, ut pluries alibi, significatur ecclesia, per "terram" ecclesia externa, et per "caelos" ecclesia interna; per ecclesiam externam intelligitur cultus ex bono et vero in naturali homine, et per ecclesiam internam bonum amoris et fidei, quod in spirituali homine, ex quo cultus; datur enim homo internus et externus, seu spiritualis et naturalis, ita quoque ecclesia, nam ecclesia est in homine et ex hominibus in quibus ecclesia: immutatio et perversio ecclesiae significatur per quod "commota sit terra et contremuerint caeli;" per quod "sol et luna atrati sint" significatur quod non bonum amoris et verum fidei; et per quod "stellae contraxerint splendorem suum" significatur quod non amplius aliquae cognitiones veri et boni. Apud *Esaiam*,

"Rarum reddam virum hominem prae auro puro;.... propterea commovebo caelum, et commovebitur terra e loco suo, in indignatione Jehovae Zebaoth, in die excandescientiae irae Ejus" (xiii. 12, 13):

per "virum hominem" intelligitur intelligentia, et per "rarum reddere illum prae auro puro" intelligitur quod intelligentia vix amplius; per *intelligentiam* intelligitur intelligentia ex veris, nam ex veris est omnis intelligentia: "propterea commovebo caelum, et commovebitur terra e loco suo," significat quod dissipatum sit bonum amoris et verum fidei, et quod cultus in externis inde; per "caelum" et "terram" significatur hic ut supra internum et externum ecclesiae; internum ecclesiae est bonum amoris et bonum fidei, et externum ejus est cultus inde, nam quale est internum hominis ecclesiae tale est externum ejus; hoc non aliunde procedit quam ex interno; absque hoc est cultus externus inanimatus, et vox absque spiritu, et cogitatio ex qua vox, ac voluntas ex qua gestus, absque vita; nam non inest spirituale ex quo vita: quid per "indignationem Jehovae et excandescientiam irac Ejus" significatur, dicetur in explicatione ad versum 17, infra. Apud eundem,

"Cataractae ab alto apertae sunt, et concussa sunt fundamenta terrae, confringendo confracta est terra,....commovendo commota est terra, nutando nutat terra sicut ebrius,...vacillat sicut tugurium, et gravis super illam praevericatio ejus, et cadet et non addet resur gere amplius" (xxiv. 18-20):

quod haec non de terra sed de ecclesia dicta sint, manifeste patet, nam quis potest intelligere quod fundamenta terrae concussa sint, quod terra commota, nutet sicut ebrius, vacillet sicut tugurium? Sed quisque illa potest intelligere dum pro "terra" cogitatur ecclesia: quod per illa verba significetur immutatio et perversio ejus, patet, nam dicitur, "Gravis super illam praevericatio ejus, et cadet et non resurget amplius;" et per "cataractas" quae ab alto apertae sunt, etiam intelligitur inundatio mali et falsi. Apud *Davidem*,

"Concussa et commota est terra, et fundamenta montium tremuerunt ...., quia exarsit illi" (Ps. xviii. 7, 8 [*B. A.* 6, 7]):

per haec non intelligitur quod terra et fundamenta ejus concussa et commota sint, sed quod ecclesia, et quod vera super quibus fundatur; "terra" enim significat ecclesiam, et "fundamenta montium" significant vera super quibus fundatur, quae sunt vera ex bono; "quia exarsit Ipsi" significat simile quod in Verbo "excandescens Jehova". Quod "terra concutiat et commoveatur," et quod "fundamenta montium tremiscant," est ex apparentiis in mundo spirituali; ita enim ibi fit quando status ecclesiae mutatur apud illos qui ibi habitant. Praeterea sub montibus ibi sunt illi qui in veris sunt; nam omnes habitationes angelorum in eo ordine sunt ut super montibus sint qui in bono amoris in Dominum sunt, et infra illos qui in veris ex illo bono; quando status horum quoad vera mutatur, tunc contremiscunt habitationes horum, ita fundamenta montium. Quod talia sint in mundo spirituali, et quod ex mutationibus status ecclesiae apud illos talia existant, nemo scit nisi cui revelatum est. Apud *Nahum*,

"Montes contremiscunt coram" Jehovah, "et colles liquefiunt, et comburitur terra coram Ipso, et orbis et omnes habitantes in eo:.... excandescens Ipsius effunditur sicut ignis, et petrae evertuntur coram Ipso" (*i. 5, 6*):

"montes" significant ecclesiam ubi amor in Dominum est, et "colles" ecclesiam ubi amor erga proximum; inde per "montes" significatur amor in Dominum, et per "colles"

amor erga proximum ; causa est quia angeli qui in amore in Dominum sunt habitant super montibus, et qui in amore erga proximum super collibus : quando loco amoris in Dominum regnat amor sui, et loco amoris erga proximum regnat amor mundi, tunc dicuntur montes "contremiscere," et colles "liquefieri;" ita enim fit in mundo spirituali, sed non apud angelos qui in caelo sunt, sed apud spiritus qui sibi instar caeli fecerunt super montibus et collibus ante ultimum judicium : quia amor sui et mundi intelligitur, ideo dicitur "liquefieri," et quoque "comburitur terra coram Ipso, et orbis et omnes habitantes in eo," tum "excandescens Ejus effunditur sicut ignis," "ignis" enim significat illos amores, et "liquefieri" ac "comburiri" significat ab illis perire : per "petras" quae evertuntur, significantur vera fidei, ex causa quia illi qui in fide sunt, et ex obedientia, tametsi non ex charitate, bonum faciunt, super petris in mundo spirituali habitant. Apud *Hiobum*,

Jehovah "qui tremefacit terram e loco suo, ita ut columnae ejus contremiscant" (ix. 6);

**et apud Jeremiam,**

"Jehovah Deus in veritate, Ille Deus vivus et Rex saeculi ; ab ira Ipsius contremiscit terra, neque sustinere possunt gentes indignationem Ejus" (x. 10) :

per "terram" etiam hic significatur ecclesia, sed ecclesia ubi falsa ; quae "contremiscere" dicitur quando falsa creduntur ac dicuntur vera : per "gentes" significantur mala falsi ; dejectio eorum in infernum et exitium significatur per quod "gentes non possint sustinere indignationem Ejus :" quia per "terram" hic significatur ecclesia ubi falsa, ideo dicitur "Deus in veritate, Ille Deus vivus et Rex saeculi ;" Jehovah enim "Deus" et "Rex" dicitur ex Divino Vero, "Deus vivus" ex Divino Vero in caelis, et "Rex saeculi" ex Divino Vero in terris ; et quia in Verbo ubi agitur de vero etiam agitur de bono, ob conjugium caeleste in singulis Verbi, et inde vicissim ubi de falso etiam de malo, ideo etiam additur de "gentibus," per quas significantur mala falsi. Quid mala falsi, quae fluunt ex falsis doctrinae, illustrabitur per hoc : ubi doctrina est quod sola fides salvet, et non bonum vitae, tum quod nihil mali imputetur ei qui fidem habet, et quod salvari possit homo per solam fidem etiam in extremis vitae suae modo tunc credat quod Do-

minus liberaverit omnes a jugo legis per impletionem ejus ac quod propitiaverit per sanguinem suum, tunc mala quae homo facit ex illa fide sunt mala falsi.

[*e.*] Apud *Ezechielem*,

"In die quo veniet Gog super terram Israelis, . . . . ascendet excandescens in ira mea; et in zelo meo et in igne indignationis loquar, Si non in die hoc fuerit terrae motus magnus super terra Israelis, ut contremiscant coram Me pisces maris, et avis caelorum, et fera agri, et omne reptile reptans super terra, et omnis homo qui super faciebus terrae, et evertentur montes, et cadent gradus, et omnis murus in terram ruet" (xxxviii. 18–20):

per "Gogum" significatur cultus externus absque interno, per "terram Israelis" significatur ecclesia; inde patet quid significat quod "in die illo veniet Gogus super terram Israelis:" quod "tunc erit terrae motus magnus" significat mutationem ecclesiae ac inversionem ejus; cultus enim externus omne suum habet ex cultu interno, adeo ut qualis hic talis ille; quare ubi non est cultus internus ibi est cultus externus non cultus, sed modo gestus et loquela; cogitatio quae simul adest, est ex sola memoria naturali, et affectio est ex corpore, qualis est coram homine ex habitu: per quod "contremiscent pisces maris, avis caelorum, fera agri, et omne reptile reptans super terra," significantur omnia hominis; nam per "pisces maris" significantur naturalia in communi, et in specie scientifica ibi; per "aves caelorum" significantur intellectualia in communi, in specie cogitationes ex veris, hic autem ex falsis; per "feram agri" significatur affectio et cupiditas falsi et mali; et per "reptile reptans super terra" significatur sensuale quod est ultimum naturalis cum jucundis et scientificis ibi: et quia per illa significantur omnia hominis, ideo dicitur, "et omnis homo qui super faciebus terrae;" "omnis homo" in sensu spirituali est omne hominis quoad intelligentiam et sapientiam: quod "evertentur montes, cadent gradus, et omnis murus in terram ruet," significatur quod peritrum omne bonum amoris, et omne verum ejus, et quod sic absque resistentia irrupturum sit omne malum et falsum; per "montes" significantur bona amoris, per "gradus" vera inde, et per "murum" tutamen; et ubi non tutamen, illuc irrumpit absque resistentia omne malum et falsum. Quis non videt quod non intelligentur pisces maris, aves caelorum, fera agri, et reptile terrae, quae contremiscent coram Jehovah? Apud *Jeremiam*,

"A voce casus" Edomi et habitatorum Themanis "contremuit terra, clamor, in mari Suph audita est vox ejus" (xlix. 21):

per "Edomum et habitatores Themanis" non illi intelliguntur, sed mala et falsa opposita bonis et veris regni caelestis; inde per "a voce casus Edomi et habitatorum Themanis contremuit terra," significatur quod ecclesia mutata sit et perierit a malis et falsis illis: "clamor, in mari Suph audita est vox ejus," significat damnationem eorum; "mare Suph" est damnatio, "clamor" dicitur de damnatione mali, et "vox" de damnatione falsi. (Quod "mare Suph" significet damnationem et infernum, videatur n. 8099.) Apud *Davidum*,

"Deus, deseruisti nos, rupturam fecisti in nobis, succensuisti, reduc nobis quietem; tremefecisti terram, diffregisti, sana fracturas ejus quia commota est" (Ps. lx. 3, 4 [B. A. 1, 2]):

per "rupturam" significatur labefactatio ecclesiae, et inde perversio veri ac irruptio falsi; hoc itaque significatur per "tremefecisti terram, diffregisti," et per quod "terra commota sit;" "terra" est ecclesia. Apud *Haggaeum*,

"Adhuc semel, brevi illud, quando Ego commovens caelos et terram, et mare et aridam, et tunc commovebo omnes gentes, ut veniat electio omnium gentium, et impleam domum hanc gloria" (ii. 6, 7):

haec dicta sunt de reaedificatione templi in Hierosolyma, et per "novum templum" ibi significatur nova ecclesia, quae instauranda a Domino; hoc intelligitur per "adhuc semel, brevi illud," et per quod "tunc commovebo omnes gentes, ut veniat eo electio gentium, et impleam domum hanc gloria;" per "gentes" et "electionem gentium" significantur omnes qui in bono (videatur supra, n. 175[a], 331), et per "domum" significatur ecclesia, ac per "gloriam" Divinum Verum. Nova illa ecclesia per "templum" describitur amplius in eo capite ita,

"Major erit gloria domus hujus posterioris quam prioris, . . . nam in loco hoc dabo pacem" ([ii.] vers. 9):

judicium quod praecedet in mundo spirituali describitur per quod "Ego commovens caelos et terram et mare et aridam," et per "caelos et terram" intelliguntur omnia interiora ecclesiae, et per "mare et aridam" omnia exteriora ejus. Apud *Evangelistas*,

"Excitatibus gens contra gentem, regnum contra regnum, erunt enim pestes, fames et terrae motus in variis locis" (*Matth.* xxiv. 7, 8; *Marc.* xiii. 8; *Luc.* xxi. 11):

per "excitabitur gens contra gentem et regnum contra regnum" significatur quod pugnaturum malum cum malo et falsum cum falso; per "gentem" significatur bonum ecclesiae et in opposito sensu malum ejus, ac per "regnum" significatur verum ecclesiae, et in opposito sensu falsum ejus: per "erunt pestes, fames et terrae motus in variis locis" significatur quod non erunt amplius bona et vera ac cognitio-nes boni et veri, ac ita quod ecclesiae status sit mutatus, quod est "terrae motus." In his capitibus apud *Evangelistas* praedicuntur status successivi ecclesiae usque ad consummationem ejus, sed describuntur illi per meras corresponden-tias (quae explicantur in *Arcanis Caelestibus*, n. 3353-3356, 3486-3489, 3650-3655, 3751-[<sup>1</sup>]3757, 3897-3901, 4056-4060, 4229-4231, 4332-4335, [<sup>2</sup>]4422-4434).

[d.] Memoratur etiam in Verbo quod terrae motus factus sit cum Dominus passus est super cruce, et quoque cum angelus descendit et devolvit lapidem ab ostio sepulchri; et per utrumque terrae motum significabatur mutatio status ecclesiae. De terrae motu cum Dominus passus est, ita legitur,

"Velum in templo disruptum est in duas partes a summo ad imum, et terra commota est, et petrae discessae sunt. .... Centurio et qui cum eo custodientes Jesum, videntes terrae motum, et quae facta sunt, perterriti sunt valde, dicentes, Revera Dei Filius erat Hic" (*Matt. xxvii. 51, 54*):

et de terrae motu qui factus cum angelus descendit et devolvit lapidem ab ostio sepulchri, ita legitur,

Cum "venit Maria Magdalena et altera Maria visurae sepulchrum, et ecce terrae motus factus est magnus; angelus enim Domini descen-dit e caelo, accedens devolvit lapidem ab ostio, et sedit super illo" (*Matt. xxviii. 1, 2*):

illi terrae motus facti sunt ut indicaretur quod status ecclesiae tunc mutatus fuerit; Dominus enim per ultimam suam tentationem, quam sustinuit in Gethsemane et super cruce, vicit inferna, ac omnia ibi et in caelis in ordine posuit, et quoque Humanum suum glorificavit, hoc est, Divinum fecit; ideo "terrae motus factus est," et "petrae discessae sunt." Quod "velum templi disruptum sit in duas partes a summo ad imum," significabat quod Humanum suum Divinum fac-tum sit; nam intra velum erat arca in qua Testimonium, et per "Testimonium" significabatur Dominus quoad Divi-num Humanum suum (ut supra, n. 392[<sup>b-e</sup>], ostensum videatur): "ve-lum" significabat externum ecclesiae, quod apud Judaeos et

Israelitas, quod obtexit oculos eorum, ut non viderent Dominum ac Divinum Verum seu Verbum in sua luce. Per "terrae motum magnum," qui factus est cum angelus descendit de caelo et devolvit lapidem ab ostio sepulchri, simile significatur, nempe quod status ecclesiae prorsus mutatus sit; Dominus enim tunc resurrexit, et quoad Humanum suum suscepit omne dominium super caelum et terram, ut Ipse dicit apud *Matthaeum* (cap. xxviii. 18): quod "angelus devolverit lapidem ab ostio, et sederit super illo," significat quod Dominus amoverit omne falsum, quod intercluserat aditum ad Ipsum, et aperuerit Divinum Verum; "lapis" enim significat Divinum Verum, quod a Judaeis per traditiones falsificatum fuit; nam dicitur, quod

Pontices et Pharisaei "obsignaverint lapidem cum custodia" (*Matth.* xxvii. 66), at quod angelus e caelo amoverit eum et sederit super illo ([xxviii. 2]).

Sed haec pauca sunt quae dicta sunt de his terrae motibus, tum de velo templi, et de lapide ante ostium sepulchri; sunt usque plura quae per illa significantur, nam omnia et singula quae apud *Evangelistas* scripta sunt de Passione Domini involvunt arcana et significant. Per "terrae motus" etiam alibi in *Apocalypsi* significantur mutationes status ecclesiae

(Ut cap. xi. [1]13; cap. xvi. 17-19).

**401[a].** "*Et sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, et luna facta est tanquam sanguis.*"—Quod significet quod omne bonum amoris disparatum sit, et inde omne verum fiduci falsificatum, constat ex significatione "solis," quod in supremo sensu sit Dominus quoad Divinum Amorem, et inde apud hominem, bonum amoris in Dominum a Domino (de qua sequitur); ex significatione "niger tanquam saccus cilicinus," quod sit disparatum; "nigrum" dicitur ex caligine, ita quod non ex aliqua luce appetet; "tanquam saccus cilicinus" seu "pilosus" dicitur, quia intelligitur sensuale hominis, quod infimum naturalis est, et inde circum interiora, ac illis inducit caliginem: (sunt binae mentes apud hominem, spiritualis et naturalis; spiritualis mens cogitat et percipit ex luce caeli, naturalis autem mens cogitat et percipit ex luce mundi; ex hac est homini lumen, quod lumen naturale vocatur: haec mens est quae vocatur naturalis homo, illa autem quae vocatur spiritualis homo. Quia mens naturalis

est infra seu extra mentem spiritualem, inde quoque est circum eam, obvolvit enim eam undequaque; ideo dicitur "soccus cilicinus" seu "pilosus;" cum enim mens spiritualis, quae superior et interior mens est, occlusa est, tunc naturalis mens, quae inferior et exterior, est in caligine quoad omnia caeli et ecclesiae; omnis enim lux, quae est naturali menti, et facit ejus intelligentiam, est ex luce mentis ejus spiritualis, quae lux est lux caeli. Sensuale, quod est ultimum naturalis, est quoque sicut pilosum in luce caeli; inde est quod "pilus" significet ultimum naturalis hominis, quod est sensuale ejus (*videatur n. 3301, 5247, 5569-5573*): haec dicta sunt ut sciatur cur dictum est quod "sol factus sit niger tanquam soccus cilicinus:") ex significatione "lunae," quod sit verum spirituale, quod vocatur verum fidei (*de qua etiam sequitur*): et ex significatione quod "facta sit sicut sanguis," quod sit quod verum falsificatum sit; "sanguis" enim in genuino sensu significat Divinum Verum, et in opposito violentiam ei illatam, ita Divinum Verum falsificatum; (*quod "sanguis" in Verbo illa significet, videatur supra, n. 329[f]:*) inde patet quid significat, quod "luna facta sit tanquam sanguis." Quod "sol" significet Dominum quoad Divinum Amorem, et inde apud hominem, bonum amoris in Dominum a Domino, et quod "luna" significet verum spirituale, est causa quia Dominus in caelo ubi angeli caelestes sunt, appareat ut Sol, et in caelo ubi angeli spirituales sunt, ut Luna: quod appareat ut Sol, est ex Divino Ipsi Amore, nam Divinus Amor appareat sicut ignis, unde calor est angelis in caelis; inde per "ignem" caelestem et spiritualem in Verbo intelligitur amor: quod Dominus appareat ut Luna, est a luce ex illo Sole, Luna enim lumen suum trahit ex illo Sole, et lux in caelo est Divinum Verum; inde per "lucem" in Verbo significatur Divinum Verum. (*Sed De Sole et de Luna in Caelis, et De Luce et de Calore inde, videantur quae in opere De Caelo et Inferno, n. 116-125, et n. 126-140, ostensa sunt.*)

[**b.**] Quod in Verbo per "solem" significetur Dominus quoad Divinum Amorem, et apud hominem, bonum amoris in Dominum, ac per "lunam" Dominus quoad Divinum Verum spirituale, constat ex sequentibus his locis:—Apud *Matthacum*,

Cum Jesus coram Petro, Jacobo et Johanne transformatus est, "splenduit facies Ipsi tanquam Sol, et vestimenta Ipsi facta sunt sicut Lux" (*xvii. 1, 2*):

quia Dominus tunc visus est in Divino suo, apparuit quoad faciem ut Sol, et quoad vestimenta ut Lux, facies enim correspondet amori, et vestimenta correspondent veris; et quia Divinus Amor in Ipso fuit, ideo "facies Ipsius splenduit ut Sol;" et quia Divinum Verum ex Ipso fuit, ideo "vestimenta Ipsius facta sunt sicut Lux;" lux etiam in caelo est Divinum Verum procedens a Domino ut Sole. (Quod "facies," cum de Domino, sit Amor et omne Bonum, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 5585, 9306, 9546, 9888; et quod "vestimenta," cum de Domino, significant Divinum Verum, videatur supra, n. 64, 195[*c*].) Similiter appareat Dominus in caelo coram angelis, quando Se illis praesentem sistit, sed tunc appetat extra Solem; quapropter etiam similiter visus est Johanni cum fuit in spiritu, ut constat in *Apocalypsi*, ubi dicitur quod

Facies Filii hominis "visa sit tanquam Sol fulget in sua potentia" (cap. i. 16);

quod sit Dominus qui visus, patet (videatur supra, n. 63). Similiter cum Dominus Johanni visus est sicut angelus, de quo [legitur],

"Vidi Angelum fortem descendentem e caelo circumdata nube, et iris circum caput, et facies Ejus sicut Sol" (*Apoc. x. 1*);

per "angelos" enim in Verbo in sensu ejus spirituali non intelliguntur angeli, sed aliquod Divinum ex Domino; quoniam Divinum quod appetat ex illis non est illorum, sed est Domini apud illos: similiter Divinum Verum quod loquuntur, quod plenum est sapientia, non loquuntur a se sed a Domino; fuerunt enim homines, et omnis sapientia et intelligentia est hominibus a Domino: inde constare potest quod per "angelum" in Verbo intelligatur Dominus, qui etiam tunc apparuit sicut Sol. (Quod per "angelum" in Verbo intelligatur aliquod Divinum a Domino, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 1925, 2821, 3039, 4085, 6280, 18192: quod angeli inde in Verbo dicantur "dii," n. 4295, 4402, 7268, 7873, 8301, 8192.) Inde cum ecclesia repraesentata est sicut mulier, etiam tunc apparuit circum illam sol, de qua ita in *Apocalypsi*,

"Signum magnum visum est in caelo, mulier circumdata Solem, et luna sub pedibus ejus, et super capite corona stellarum duodecim" (xii. 1):

quod per "mulierem" ibi significetur ecclesia, videbitur in explicatione quae in sequentibus dabitur; (quod "mulier" significet ecclesiam, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 252, 253, 749, 770;) et quia ecclesia est a Domino, ideo visa est circumdata Sole: quid significatur per quod "luna sub pedibus ejus," et quod "super

capite corona stellarum duodecim," etiam in explicatione illa dicetur. Inde dicitur a Davide,

"Dixit Deus Israelis, mihi locuta est Petra Israelis, . . . sicut lux matutae, cum oritur sol, matutae sine nubibus a splendore post pluviam" (*2 Sam. xxiii. 3, 4*):

per "Deum Israelis" et per "Petram Israelis" intelligitur Dominus quoad ecclesiam et quoad Divinum Verum ibi, per "Deum Israelis" quoad ecclesiam, et per "Petram Israelis" quoad Divinum Verum ibi; et quia Dominus est Sol caeli angelici, et Divinum Verum procedens ab Ipso est lux illius caeli, ideo dicitur de Divino quod locutus est, quod est Divinum Verum, "sicut lux matutae, cum oritur sol;" quia hoc est purum, et procedit ex Divino Amore Ipsius, ideo additur, "matutae sine nubibus a splendore post pluviam," splendor enim lucis seu Divini Veri procedentis ab Ipso est ex Divino Amore; "post pluviam" significat post communicationem et receptionem, nam splendor ejus tunc est apud angelos et homines cum quibus communicatur et a quibus recipitur. (Quod "Petra" et "Lapis Israelis" sit Dominus quoad Divinum Verum, videatur n. 6426, 8581, 10580; et quod Lux sit Divinum Verum procedens a Domino ut Sole, ita ex Divino Amore Ipsius, in opere *De Caelo et Inferno*, n. 126-140.) Similiter dicitur de amantibus Jehovah in *Libro Judicum*,

"Amantes Ipsum sicut oriri solis in potentia sua" (v. 31):

quod "Jehovah" in Verbo sit Dominus quoad Divinum Bonum Divini Amoris, videatur in *Arcanis Caelestibus* (n. 1736, 2921, 3035, 5041, 6303, 6281, 8864, 9315, 9373, 10146); de amantibus Ipsum dicitur, "sicut oriri solis in potentia sua," per quod significatur Divinus Domini Amor in illis: de illis etiam dicitur quod "fulgebunt sicut sol," apud *Matthaeum*,

"Justi fulgebunt ut sol in regno Patris [<sup>et</sup>mei]" (xiii. 43):

"justi" in Verbo dicuntur qui amant Dominum, hoc est, ex amore faciunt praecepta Ipsius; et illi fulgent quoad faciem jubare sicut ex sole, quia Divinus Amor Domini illis communicatur et ab illis recipitur, ex quo Dominus est in medio eorum, hoc est, in interioribus eorum, quae se manifestant in facie. (Quod "justi" dicantur qui in bono amoris in Dominum sunt, videatur supra, n. 204[*b*].) Apud *Davidem*,

"Semen Ejus in aeternum erit, et thronus Ejus sicut sol coram Me, sicut luna firmus in aeternum, et testis in nubibus fidelis" (*Ps. lxxxix. 37, 38 [B. A. 36, 37]*):

haec dicta sunt de Domino, ac de caelo et ecclesia Ipsius; nam per "Davidem," de quo ibi in sensu litterae agitur, intelligitur Dominus (videatur supra, n. 205); per "semen Ipsius" quod in aeternum erit, significatur Divinum Verum, et quoque significantur illi qui id recipiunt; per "thronum Ejus qui sicut sol coram Me" significatur caelum et ecclesia Ipsius, quae in bono caelesti sunt, quod est bonum amoris; per "thronum qui sicut luna firmus in aeternum" significatur caelum et ecclesia quae in bono spirituali, quod est Divinum Verum; per "testem in nubibus fidelem" significatur Verbum in sensu litterae, quod "testis" vocatur quia id testatur; "nubes" est sensus litterae Verbi. Apud eundem,

"Timebunt Te cum Sole, et coram Luna generatio generationum;.... florebit in <sup>10</sup>diebus ejus justus, et multa pax usque dum non luna: ....erit nomen Ipsius in aeternum; coram Sole nomen Filii habebit; et benedicentur in Eo omnes gentes" (Ps. lxxii. 5, 7, 17):

haec quoque dicta sunt de Domino, nam agitur in toto illo psalmo de Ipso; et quia Dominus in caelo apparet illis qui in caelesti regno Ipsius ut Sol, et illis qui in spirituali regno Ipsius ut Luna, ideo dicitur, "Timebunt Te cum Sole, et coram Luna generatio generationum:" quod "florebit in die illo justus, et multa pax usque dum non luna," significatur quod qui in amore in Dominum sunt, erunt in veris ex illo bono, nam vera apud illos qui in regno caelesti sunt, seu qui in amore in Dominum, illis insita sunt; "justi" enim dicuntur qui in bono amoris, et "pax" dicitur de illo bono. (Sed ut sciatur quomodo hoc intelligendum est, nempe "usque dum non luna," dicetur: lux procedens a Domino **ut** Sole differt a luce quae procedit a Domino ut Luna in caelis, sicut lux solis in mundo interdiu a luce lunae in mundo noctu; similiter intelligentia illorum qui in luce Solis caeli sunt ab intelligentia illorum qui in luce Lunae ibi sunt; quare illi qui in luce Solis ibi sunt, in Divino Vero puro sunt; at illi qui in luce Lunae ibi sunt, in Divino Vero non puro sunt, sunt enim in multis falsis quae traxerunt ex non intellecto Verbi sensu litterae, quae falsa usque apparent eis sicut vera: ex his constare potest quod per "usque dum non luna" significetur usque dum apud illos [non] falsum apprens sicut verum, sed verum purum, quod unum facit cum bono amoris. Sed sciendum est quod falsa illorum qui in lumine Lunae in caelis sunt, sint falsa in quibus

non malum, et quod ideo illa acceptentur a Domino sicut forent vera (de quibus falsis videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 21). Hoc itaque est quod significatur per "usque dum non luna," nempe apud illos qui intelliguntur per "justos, in quibus multa pax :" in sensu autem supremo, per illa verba intelligitur Dominus quoad Divinum Humanum suum, quod hoc erit Divinum Bonum Divini Amoris ; quare etiam additur, "Coram Sole nomen Filii habebit," per "Filium" intelligitur Divinum Humanum Domini.) Et quia per "gentes" intelliguntur omnes qui in bono sunt, seu qui recipiunt bonum amoris a Domino, ideo dicitur, "Et benedicentur in Eo omnes gentes." (Quod per "gentes" significantur qui in bono sunt, et per "populos" qui in veris, videatur supra, n. 331.)

[c.] Apud *Esaiam*,

"Erunt super omni monte alto et super omni colle elato, rivi, ductus aquarum, in die caedis magnae, cum cadent turres : et erit lux Lunae sicut lux Solis, et lux Solis erit septupla sicut lux septem dierum" (xxx. 25, 26) :

haec dicta sunt de ultimo judicio, quod intelligitur per "diem caedis magnae cum cadent turres;" per "turres" quae cadent, intelliguntur qui in malis sunt et inde falsis, in specie qui in amore dominandi per sancta ecclesiae (videatur in opere *De Ultimo Judicio*, n. 56, 58): quod tunc illis qui in amore in Dominum sunt, et in charitate erga proximum, dabitur intelligere vera, significatur per quod "erunt super omni monte alto et super omni colle elato, rivi, ductus aquarum :" qui "super monte alto," sunt qui in bono amoris in Dominum, nam "mons altus" significat id bonum ; qui "super colle elato," sunt qui in bono charitatis erga proximum, "collis" enim significat id bonum ; "rivi et ductus aquarum" significant intelligentiam ex veris : quod tunc erit verum in regno spirituali Domini sicut fuit verum prius in regno caelesti, et quod tunc erit verum in regno caelesti bonum amoris, intelligitur per quod "erit lux Lunae sicut lux Solis, et lux Solis erit septupla sicut lux septem dierum;" per "lucem" enim intelligitur Divinum Verum procedens a Domino, per "lucem Lunae" Divinum Verum in regno spirituali, et per "lucem Solis" Divinum Verum in regno caelesti ; per "septuplum" significatur plenum et perfectum, et tunc verum est plenum et perfectum cum est bonum seu bonum in forma. Quod non intelligentur sol et luna in terris, sed Sol et Luna in caelis, constare potest. Scien-

dum est quod cum ultimum judicium peragitur, appareat Dominus in caelis in multo majori jubare et splendore quam alias, et hoc ex causa quia tunc angeli ibi fortius tutandi sunt; inferiora enim tunc cum quibus exteriora angelorum communicationem habent, in perturbatione sunt; inde quoque est, quia de ultimo judicio hic agitur, quod dicatur, quod "lux Lunae erit sicut lux Solis," et quod "lux Solis erit septupla sicut lux septem dierum;" ac ideo dicitur quod tunc "erunt rivi ductus aquarum super omni monte alto et super omni colle elato," per quae intelligentia abundans apud illos qui in superioribus montibus et superioribus collibus sunt, nam inferiores montes et colles sunt super quos tunc judicium. (Quod Dominus appareat illis qui in regno caelesti Ipsius sunt ut Sol, et illis qui in regno spirituali Ipsius sunt ut Luna, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 116-1125; et quod Lux ex illis sit Divinum Verum, n. 127-140 ibi.)

Apud eundem,

"Non occidet amplius Sol tuus, et Luna tua non colligetur, quia Jehovah erit tibi in lucem aeternitatis, et implebuntur dies luctus tui" (lx. 20):

agitur ibi de Domino, et de novo caelo et nova terra, hoc est, de ecclesia ab Ipso instauranda; quod non peritrum bonum amoris in Dominum et bonum charitatis erga proximum illis qui in ea ecclesia, intelligitur per quod "non occidet amplius Sol tuus, et Luna tua non colligetur; Dominus enim appareat illis qui in bono amoris in Ipsum sunt ut Sol, et illis qui in veris ex bono charitatis erga proximum ut Luna; inde per "Solem tuum" significatur bonum amoris in Dominum, et per "Lunam tuam" bonum charitatis, quod in sua essentia est Verum ex bono: quod in aeternum erunt in veris ex bono amoris et in veris ex bono charitatis, intelligitur per quod "Jehovah erit tibi in lucem aeternitatis, et quod implebuntur dies luctus tui;" "lux aeternitatis" dicitur de illis qui in bono amoris in Dominum sunt, et "impletio dierum luctus" de illis qui in bono charitatis erga proximum seu in veris ex bono, "luctus" enim apud illos qui ab Ecclesiis Antiquis fuerunt, repraesentabat dolorem propter amissum seu deperditum verum et bonum; quod "implebuntur" significat quod finientur, et sic quod in veris ex bono erunt. Ex his constare potest quid significatur per quod "Sol factus sit sicut saccus cilicinus, et Luna facta sit sicut sanguis," quod nempe bonum amoris

in Dominum disparatum sit, et inde verum falsificatum. Similia paene significantur in sequentibus his locis:—Apud *Esaiam*,

"Ecce dies Jehovae venit saevus, et indignationis et excandescientiae irae, ad ponendum terram in vastitatem, et peccatores ejus perdat ex ea; nam stellae caelorum et sidera eorum non lucent luce sua; obtenebratur sol in ortu suo, et luna non splendere facit lumen suum: visitabo super orbem malitiam, et super impios iniquitatem eorum" (<sup>11</sup>xiii. 9-11):

per "diem Jehovae saevum, indignationis et excandescientiae irae," significatur dies ultimi judicii; per quod "stellae caelorum et sidera eorum non luceant luce sua, obtenebretur sol in suo ortu, et luna non splendere faciat lucem suam," significatur quod perierint cognitiones boni et veri, tum bonum amoris in Dominum, et bonum charitatis erga proximum, et inde verum quod verum fidei vocatur; per "stellas" enim significantur cognitiones boni, per "sidera" cognitiones veri, per "solem" bonum amoris in Dominum, et per "lunam" bonum charitatis erga proximum, quod in sua essentia est verum ex bono, et vocatur verum fidei: sol dicitur "obtenebri in ortu suo," et luna "non splendere facere lucem suam," non quod Sol et Luna in caelis angelicis obtenebretur, nam Sol ibi semper in suo jubare est, et Luna in suo splendore; sed coram illis qui in malis et inde falsis sunt, bona et vera ita sunt, quare secundum apparentiam ita dictum est; illi enim qui in malis et inde falsis sunt, avertunt se a bono amoris et charitatis, proinde a Domino, et tunc non volunt nisi quam malum et non cogitant nisi quam falsum; et qui non aliud volunt et cogitant, non vident nisi caliginem et tenebras in talibus quae caeli et ecclesiae sunt: quia tales intelliguntur apud quos "sol obtenebratur et luna non splendere facit lucem suam," ideo dicitur, "ad ponendum terram in vastitatem, et peccatores ejus perdat ex ea," et dein, "visitabo super orbem malitiam et super impios iniquitatem eorum;" per "terram" et "orbem" significatur ecclesia, et per "poni illa in vastitatem" significatur quod non amplius aliquod bonum, et per "visitare super orbem malitiam et super impios iniquitatem eorum" significatur ultimum judicium. Apud *Ezechielem*,

"Obtegam, cum extinxero te, caelos, et atrabo stellas eorum, solem nube obtegam, et luna non lucere faciet lucem suam; omnia lumina lucis in caelis atrabo super te, et dabo tenebras super terra tua" (xxxii. 7, 8):

haec dicta sunt de Pharaone rege Aegypti, per quem ibi significatur naturalis homo separatus a spirituali; is, cum separatus est, prorsus in caligine et tenebris est quoad omnia quae caeli et ecclesiae sunt, et quantum separatus est tantum negat illa; nam naturalis homo nihil videt in talibus a se, sed per spiritualem a Domino, naturalis enim homo est in mundi calore et luce, at spiritualis est in caeli calore et luce: ex his patet quid per singula ibi intelligitur; quod nempe per "obtegam, cum extinxero te, caelos," significantur interiora quae sunt in luce caeli; per "atrabo stellas eorum" significantur cognitiones boni et veri; per "solem nube obtegam" significantur bonum amoris in Dominum; per "luna non lucere faciet lucem suam" significantur bonum charitatis erga proximum et inde verum fidei; per "omnia luminaria lucis atrabo super te" significantur omnia vera; et per "dabo tenebras super terra tua" significantur falsa. Apud *Joelem*,

"Venit dies Jehovae, . . . dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et obscuritatis; . . . coram Ipso commota est terra, . . . Sol et Luna atrati sunt, et stellae contraxerunt splendorem suum" (ii. [1, 2,] 10):

apud eundem,

"Sol vertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam venit dies Jehovae magnus et terribilis" (iii. 4 [*B. A.* ii. 31]):

apud eundem,

"Propinquus est dies Jehovae in valle decisa, sol et luna atrati sunt, et stellae contraxerunt splendorem suum" (iv. [*B. A.* iii.] [14,] 15);

apud *Evangelistas*,

"Statim post afflictionem dierum illorum, sol obscurabitur, et luna non dabit lucem suam, et stellae cadent de caelo" (*Matth.* xxiv. 29; *Marc.* xiii. 24, 25):

in *Apocalypsi*,

"Quartus angelus clanxit, et percussa est tertia pars solis, et tertia pars lunae, et tertia pars stellarum, et tertia pars eorum obtenebrabatur, et dies non lucebat tertia sui parte, noxque similiter" (<sup>1</sup>viii. 12);

et alibi,

"Ascendit fumus e puto abyssi, sicut fumus fornacis magnae, et obscuratus est sol et aer e fumo" (ix. 2):

quod in his locis per "solem et lunam atratos" et "obtenebratos," intelligatur quod non bonum amplius nec verum, constat ex illis quae supra dicta sunt; quare non ulterius explicantur.

[d.] Quoniam talia per “obtenebratum solem” significantur, ideo cum Dominus super cruce fuit, quia ab ecclesia, quae tunc apud Judaeos erat, prorsus rejectus fuit, et inde illi in densis tenebris seu falsis fuerunt, sol obscuratus est; de quo ita apud *Lucam*,

“Hora sexta tenebrae factae sunt super totam terram, usque ad horam nonam, obtenebratus enim est sol” (xxiii. 44, 45):

hoc factum est in signum et indicium quod negatus sit Dominus, et quod inde non aliquod bonum et verum esset apud illos qui ab ecclesia; omnia enim signa e caelis apud illos reprezentabant et significabant talia quae ecclesiae sunt, ex causa quia ecclesia apud illos erat ecclesia reprepresentativa, seu constabat ex talibus in externis quae reprezentabant et inde significabant interna ecclesiae: quod “tenebrae factae fuerint super totam terram” significabat quod non nisi quam falsa mali essent apud illos qui ab ecclesia (“tota terra” est tota ecclesia, et “tenebrae” significant falsa); quod tribus horis, nempe “ab hora sexta ad nonam,” significabat quod merum falsum et prorsus non aliquod verum, “tria” enim significant plenum, totum et prorsus, ac “sex” et “novem” significant omnia in complexu, hic falsa et mala; et quoniam falsa et mala apud illos erant quia negatus est Dominus, ideo dicitur, “et tenebrae factae sunt et obtenebratus est sol;” per “solem” qui obscuratus intelligitur Dominus, qui obscuratus dicitur quando falsa in ecclesia tantum regnant ut non agnoscatur, ac tantum mala ut crucifigatur. (Quod omnia et singula quae in Verbo de Passione Domini memorantur, significant, videatur supra, n. 64, 83, 195[c].)

Apud *Micham*,

“Dixit Jehovah contra prophetas seducentes populum, . . . Nox erit vobis pro visione, et tenebrae orientur vobis pro divinatione, et occidet sol super prophetas, et nigrescit super iis dies” (iii. 5, 6);

quid haec in sensu spirituali significant, videatur supra (n. 372[a]), ubi explicata sunt. Apud *Amos*,

“Fiet in die illo, . . . occidere faciam solem in meridie, et obtenebrabo terram in die lucis” (viii. 9):

per haec significatur quod in ecclesia ubi Verbum, ex quo sciri potest quid bonum et verum, usque non sit nisi quam malum et falsum; “occidere facere solem, et obtenebrare terram” significat malum vitae et falsum doctrinae in eccl-

sia, per "solis" enim "ortum" significatur bonum amoris quod est bonum vitae, et per "solis occasum" significatur malum amoris quod est malum vitae, et per "obtenebrazione terrae" significatur falsum doctrinae inde ("tenebrae" significant falsa, et "terra" ecclesiam); per "in meridie et in die lucis" significatur quando ibi possunt esse cognitiones boni et veri, quia Verbum habent ("meridies" significat ubi cognitiones boni, et "dies lucis" ubi cognitiones veri); quod ex Verbo, est quia haec dicuntur de ecclesia ubi Verbum. Apud *Habakuk*,

"*Commoti sunt montes, inundatio aquarum transivit, . . . sol, luna stetit sede, in lucem tela tua abeunt, in splendorem fulmen hastae tuae*" (iii. 10, 11):

in eo capite agitur de adventu Domini, et de ultimo judicio tunc ab *Ipsō*; per quod "commoti sunt montes, inundatio aquarum transivit," significatur quod rejecti sint qui in amore sui et mundi per falsa mali in quae immissi; "montes" significant amores sui et mundi, et "inundatio aquarum" significat immissionem in falsa inde ("aqua" sunt falsa, et "inundatio" est immissio): quod tunc illis non appareant vera et bona genuina, sed loco illorum vera et bona fatua, quae in se sunt falsa et mala, significatur per "in lucem tela tua abeunt, in splendorem fulmen hastae;" "tela" seu "fulgura" significant vera fatua quae in se sunt falsa, ac "fulmen hastae" significat bona fatua quae in se sunt mala falsi; talia etiam signa apparent in mundo spirituali apud illos qui in falsis ex amoribus sui et mundi sunt, quando ultimum judicium est, et tales rejiciuntur. Quoniam apud eum prophetam dicitur, "Sol et luna steterunt sede sua," explicabitur etiam quid significatur per quod "Sol in Gibeone quieverit et luna in valle Ajalonis," de quo ita apud *Josuam*,

"*Tunc locutus est Josua Jehovae, . . . et dixit in oculis Israelis, Sol in Gibeone quiesce, et luna in valle Ajalonis; et quievit sol et luna stetit, usque dum ulta est gens hostes suos; nonne hoc scriptum est super Libro Recti? Et stetit sol in medio caeli, nec festinavit occidere quasi diem integrum*" (x. 12, 13):

quod dicatur sol stetisse in Gibeone, et luna in valle Ajalonis, significabat quod ecclesia prorsus vastata fuerit quoad omne bonum et verum; pugnabatur enim tunc contra regem Hierosolymae, et reges Emorraeorum, et per "regem

Hierosolymae" significatur verum ecclesiae prorsus vastatum per falsa, et per "reges Emorraeorum" significatur bonum ecclesiae vastatum per mala; ideo illi reges percussi fuerunt lapidibus grandinis, per quos significantur tetra falsa mali: dicitur quod sol et luna steterint sede, nempe coram filiis Israelis ut hostes suos viderent; sed hoc est propheticum, tametsi historice relatum est, ut constare potest ex eo, quod dicatur "Nonne hoc scriptum est super Libro Recti?" qui Liber fuit propheticus, a quo illa de sumpta sunt; quapropter ex illo Libro etiam dicitur, "usque dum ulta est gens hostes suos," et non usque dum *filiis Israelis* ulti sunt hostes suos, "gens" enim prophetice dicitur: idem etiam constare potest ex eo, quod hoc miraculum, si prorsus ita factum fuisset, invertisset universam mundi naturam, quod non faciunt reliqua miracula in Verbo: quare ut sciretur quod hoc prophetice dictum esset, dicitur "Nonne ita scriptum est super Libro Recti?" Quin usque quod lux illis e caelo data sit, lux sicut solis in Gibeone, et lux sicut lunae in valle Ajalonis, non dubitandum est. Apud *Jeremiām*,

"Elanguescat quae pepereat septem, exspirabit animam suam, occidet sol ejus cum adhuc dies; pudefiet et erubescet, et reliquias eorum gladio dabo coram hostibus eorum" (xv. 9):

per "elanguescat quae pepererat septem, exspirabit animam suam," significatur ecclesia cui Verbum, et per id omnia vera data sunt, quod peritura; "parere septem" est donari omnibus veris ecclesiae (similiter ac in *Libro Primo Samuelis*, cap. ii. 5, videatur supra, n.<sup>[1]</sup>257); per "occidet sol ejus cum adhuc dies" significatur quod peritum bonum ecclesiae, tametsi Verbum ei est, et per id potest in luce esse; "pudefiet et erubescet," nempe sol, significat quia bonum et verum non recipiuntur, sed malum et falsum (ut quoque patet a mox sequente loco apud *Esaiam*): "reliquias eorum gladio dabo coram hostibus eorum" significat quod omne residuum bonum et verum peritum sit per falsum ex malo; "reliquiae" sunt omne residuum, "gladio dari" est perire per falsa, "hostes" sunt mala. Apud *Esaiam*,

"Visitabit Jehovah super exercitum altitudinis in altitudine, et super reges terrae super terra,....tunc erubescet luna et pudefiet sol" (xxiv. 21, 23):

"visitare" significat destruere, quia visitatio praecedit judi-

cium, quando destruuntur illi qui in malis et inde falsis sunt; per "exercitum altitudinis in altitudine" significantur omnia mala quae ex amore sui, per "exercitum" omnia mala, per "reges terrae" falsa omnis generis, et per "terram" significatur ecclesia; inde constare potest quid significatur per "Visitabit Jehovah super exercitum altitudinis in altitudine, et super reges terrae super terra;" quod dicatur "super exercitum altitudinis in altitudine," est quia illi qui in amore sui sunt, in mundo spirituali alta loca petunt: per "tunc erubescet luna et pudefiet sol" significatur quod non amplius receptio Divini Veri ac Divini Boni; "luna" et "sol" significant verum fidei et bonum amoris, quae dicuntur "erubescere et pudefieri" quando non amplius recipiuntur, sed loco eorum falsum et malum. Apud *Davidem*,

Jehovah "qui fecit caelos per intelligentiam suam,....expandit terram super aquis,....fecit luminaria magna,....solem in dominium in die,....lunam et stellas in dominium in nocte:....percussit Aegyptum in primogenitis eorum,....et eduxit Israelem e medio eorum" (Ps. cxxxvi. 5-11):

qui nihil novit de sensu spirituali Verbi, opinaturus est quod haec nihil aliud involvant quam quae exstant in sensu litterae; sed usque singula involvunt talia quae sunt sapientiae angelicae, quae omnia sunt Divina caelestia et spiritualia; nova creatio seu regeneratio hominum ecclesiae, a quibus ecclesia, per illa describitur: per "caelos" quos per intelligentiam suam fecit, significantur interna hominum ecclesiae, quae una voce spiritualis homo vocantur, ubi intelligentia residet, et ubi caelum illorum est; per "terram" quam super aquis expandit, significatur externum ecclesiae, quod una voce naturalis homo vocatur; hic "expandi super aquis" dicitur, quia ibi sunt vera per quae regeneratur ("aqua" sunt vera): per "luminaria magna, solem, lunam et stellas," significantur bonum amoris, verum ex illo bono, et cognitiones boni et veri; per "solem" bonum amoris, per "lunam" verum ex illo bono, et per "stellas" cognitiones boni et veri; quod sol dicatur factus "in dominium in die," est quia "dies" significat lucem spiritualis hominis, ei enim est illustratio et perceptio ex bono amoris; et quod dicatur quod luna et stellae sint factae "in dominium in nocte," est quia "nox" significat lucem naturalis hominis, hujus enim lux ad lucem spiritualis homi-

nis est comparative sicut lux noctis a luna et stellis ad lucem diei a sole: quia agitur de regeneratione hominum ecclesiae, ideo etiam sequitur, "Percussit Aegyptum in primogenitis eorum, et eduxit Israelem e medio illorum;" per "Aegyptum" enim significatur naturalis homo qualis est a nativitate, quod nempe in meris falsis ex malo; "primogenita ejus" sunt quae primaria; destructio horum, dum regeneratur homo, intelligitur per quod "percussit Aegyptum in primogenitis eorum;" per "Israelem" significatur spiritualis homo; et per "educere eum e medio eorum" significatur aperire illum, et sic regenerare; homo enim ecclesiae regeneratur a Domino per dissipationem falsorum ex malis quae in naturali homine, et per aperitionem spiritualis hominis, quod fit a Domino per lucem spiritualem, quae est Divinum Verum.

[e.] Similia significantur per haec in *Genesi*,

"Fecit Deus duo luminaria magna, luminare magnum ad dominandum die, et luminare minus ad dominandum nocte, et stellas" (i. 16):

agitur enim in eo capite de nova creatione seu regeneratione hominum ex quibus Ecclesia Antiquissima, quae describitur in sensu litterae per creationem caeli et terrae. Similia etiam significantur per haec apud *Jeremiam*,

"Sic dixit <sup>[1]</sup>Dominus Jehovih, dans solem in lucem diei, statuta lunae et stellarum in lucem noctis" (xxxi. 35):

per "statuta lunae et stellarum" significantur omnia quae in naturali homine secundum leges ordinis fiunt. Apud *Davidem*,

"Laudate Jehovahm omnes angeli Ejus, laudate Ipsum omnes exercitus Ejus, laudate Ipsum sol et luna, laudate Ipsum omnes stellae lucis, laudate Ipsum caeli caelorum" (cxlviii. 2-4):

per "laudare Jehovahm" significatur colere Ipsum; per "angelos" significantur qui in Divinis veris ex bono amoris sunt, quia illi sunt angeli; per "omnes exercitus" significantur bona [et] vera in omni complexu; per "solem et lunam" significatur bonum amoris et verum ex illo bono; per "stellas lucis" significantur cognitiones veri ex bono; per "caelos caelorum" significantur bona et vera tam interna quam externa; quia homo colit Dominum ex illis quae apud se ex Domino sunt, ita ex bonis et veris quae

apud illum, homo etiam est homo ex illis, ideo dicitur ad illa, nempe ad solem, lunam et stellas, per quae significantur bona et vera, ut "laudent," hoc est, colant Jehovahm; quis non scit quod non sol, luna et stellae laudent, hoc est, colant? Apud *Mosen*,

"De Josepho dixit, Benedic̄ta a Jehovah terra ejus, de pretiosis caeli, de rore, de abyso etiam jacente infra, et de pretiosis proventuum solis, et de pretiosis producti mensium" (*Deut. xxxiii. 13, 14*):

haec in Benedictione filiorum Israelis a Mose; et quia per "Josephum" intelliguntur spirituales caelestes, qui sunt qui in regno spirituali supremi sunt, et inde communicant proxime cum illis qui in regno caelesti Domini sunt, per "terram ejus" significatur regnum spirituale illud, tum ecclesia quae ex illis; per "pretiosa caeli, rorem et abyssum etiam jacentem infra," significantur spiritualia caelestia in interno et externo homine; per "pretiosa proventuum solis et pretiosa producti mensium" significantur omnia quae procedunt ex caelesti regno et quae procedunt ex spirituali regno Domini, ita bona et vera inde; per "solem" enim significatur bonum amoris in Dominum a Domino, quod bonum est illis qui in caelesti regno Domini sunt; per "proventus ejus" significantur omnia quae inde procedunt; per "producta mensium" significantur omnia quae procedunt ex spirituali regno Domini; "menses" hic significant similia quae <sup>[1]</sup>luna, nempe vera ex bono, eadem enim vox est utrisque in lingua originali: sed qui non scit aliquid de binis regnis caeli, caelesti et spirituali, et de conjunctione illorum per intermedios, in obscurō erunt de illis quae nunc dicta sunt. (At de regnis illis et de intermediis videantur quae in opere *De Caelo et Inferno*, n. 20-28, allata sunt.) Apud *Esaīam*,

"Ponam pyropum soles tuos, et portas tuas in lapides carbunculi, et omnem finem tuum in lapides desiderii" (liv. 12):

haec dicta sunt de gentibus extra ecclesiam, a quibus nova ecclesia a Domino instauranda erat; et per "Ponam sicut <sup>[2]</sup>pyropum soles tuos" significatur quod bona ex igne amoris coruscantia; "soles" ibi sunt bona amoris, et "pyropus" est coruscatio sicut ex igne: per "ponam portas tuas in lapides carbunculi" significatur quod vera ex bono splendentia; "portae" sunt vera intromittentia, in specie

doctrinalia quae ex bono (nam omnia vera doctrinae, quae genuina, procedunt ex bono, et sunt boni), et "lapides carbunculi" significant illorum splendorem ex bono; omnes enim "lapides pretiosi" significant vera ex bono; color, splendor et ignis eorum indigitant quale veri ex bono: per "ponam omnem finem eorum in lapides desiderii" significatur quod vera scientifica, quae naturalis hominis, ex bono amoena et jucunda erunt; per "finem" enim simile intelligitur quod per "fundamentum," et hoc est naturalis homo, quia in illis quae ibi, terminantur bona et vera spiritualis hominis; et "lapides desiderii" sunt vera ex bono amoena et jucunda: per illa intelliguntur bona et vera Verbi, quae apud illos qui e nova ecclesia, quae talia erunt: quod "sol" significet bonum amoris, patet etiam ex eo, quod dicantur "soles" in plurali. Apud *Hiobum*,

"Num laetatus, quod multae facultates mihi, et quod ingentes invenisset manus mea? num vidi lucem quod splendoreret, et lunam quod clara ingrederetur? et seduxit se in occulto cor meum, et osculata est manus mea os meum?" (xxxii. 25-27:)

per haec in sensu spirituali intelligitur quod non ex proprio acquisiverit sibi intelligentiam, et quod non ex illa sibi meritum fecerit et gloriatus sit; nam "Num laetatus quod multae facultates mihi, et quod ingentes invenisset manus mea?" significat num gloriatus sit quod ei intelligentia, et quod ex proprio sibi illam acquisivisset; "facultates" sunt cognitiones boni et veri, per quas intelligentia, et "quod ingentes invenisset, manus mea?" est num ex proprio acquisivisset: "num vidi lucem quod splendoreret, et lunam quod clara ingrederetur?" significat num vera spiritualia, quae faciunt intelligentiam ("lux" et "luna" significant vera spiritualia): "et seduxit se in occulto cor meum, et osculata est manus mea os meum?" significat num inde intus gloriatus sim, et num vindicaverim illa mihi. Apud *Matthaeum*,

"Ut sitis filii Patris vestri qui in caelis, qui solem suum exoriri facit super malos et bonos, et pluviam mittit super justos et injustos" (v. 45):

agitur ibi de charitate erga proximum, ut patet ab antecedentibus et sequentibus ibi, et in specie de Judaeis, qui pro inimicis habebant gentes, et pro amicis suis; quod illos diligenter aequa ac suos, illustratur a Domino per hanc compa-

rationem: sed quia omnes comparationes in Verbo ex correspondentiis sunt, et inde significant, sicut reliqua quae non comparative dicta sunt, ideo quoque haec comparatio; et per quod "Pater in caelis solem suum exoriri faciat super malos et bonos, et pluviam mittat super justos et injustos," significatur quod Dominus e caelo aequo influat cum Divino Bono Amoris et cum Divino Vero apud illos qui extra Ecclesiam Judaicam sunt ac apud illos qui intra illam; "sol" etiam ibi significat Bonum Amoris, ac "pluvia" Divinum Verum: "mali" et "injusti" significant in sensu interno illos qui ab Ecclesia Judaica erant, quia illi non receperunt; ac "boni et justi" illos qui extra ecclesiam illam et receperunt: in genere sunt omnes mali et boni ac justi et injusti qui intelliguntur, nam Dominus aequo influit cum bono et vero apud omnes, sed non omnes aequo recipiunt. Quia "sol" significat Dominum quoad Divinum Amorem, ideo vocatur "Sol justitiae"

(Apud *Malachiam*, cap. iii. 20 [B. A. iv. 2]);

ac "Sol et Scutum"

(Apud *Davidem*, Ps. lxxxiv. 12 [B. A. 11]).

Quia "sol" significat bonum amoris in Dominum apud hominem, inde [per] "ab ortu solis ad occasum ejus" significantur omnes qui in bono amoris in Dominum sunt a primis ad ultimos, "ab ortu solis" a primis, et "ad occasum solis" ad ultimos; ut in sequentibus his locis:—  
Apud *Malachiam*,

"Ab ortu solis usque ad occasum magnum nomen meum inter gentes"  
(i. 11);

apud *Davidem*,

"Ab ortu solis usque ad occasum laudatum nomen Jehovahe" (Ps. cxiii. 3);

apud *eundem*,

"Deus Deus Jehovah loquitur, et convocabit terram ab ortu solis ad occasum ejus" (Ps. l. 1);

apud *Esaiam*,

"Ut cognoscant ab ortu solis et ab occasu quod non praeter Me" (xlv. 6);

apud *eundem*,

"Timebunt ab occasu solis nomen Jehovahe, et ab ortu solis gloriam Ipsius" (lix. 19);

apud eundem,

"Excitabo a septentrione qui veniet, et ab ortu solis qui invocabit nomen meum" (xli. 25):

quod "ab ortu solis ad occasum ejus" significet omnes a primis ad ultimos qui in bono amoris in Dominum sunt, est quia omnes in caelo habitant secundum plagas; illi qui in bono amoris in Dominum sunt ab oriente solis ad occidentem; illi qui in oriente habitant sunt qui in bono amoris claro sunt, et illi qui in occidente qui in bono amoris obscuro; inde est quod per "ab ortu solis ad occasum ejus" significantur omnes a primis ad ultimos qui in bono amoris: quod apud *Esaiam* dicatur, "Excitabo a septentrione qui veniet et ab ortu solis," significat quod qui extra ecclesiam sunt et qui intra illam; nam "septentrio" significat obscurum veri, ita illos qui extra ecclesiam sunt, quia illi in obscuro quoad vera sunt, ex causa quia non habent Verbum et inde non sciunt aliquid de Domino; et "ortus solis" significat illos qui intra ecclesiam sunt, quia habent Verbum, in quo Dominus semper est praesens, et sic in ortu. (Quod per "orientem" seu "ortum solis," et per "occidentem" seu "occasum solis" intelligatur bonum amoris in claro et bonum amoris in obseculo, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 141, 148-150; et quod per "septentrionem" verum in obseculo, in eodem capite, n. 148-150; ibi enim agitur De Quatuor Plagis in Mundo Spirituali.)

[f.] Per "occasum solis" etiam significatur status ecclesiae cum in ignorantia est, qui status est ejus primus, et per "ortum solis" significatur status ejus cum in luce est. Per "occasum solis" etiam significatur status ecclesiae cum in malis et inde falsis est, et per "ortum solis" cum in bonis et inde veris est. Primus status ecclesiae cum adhuc in ignorantia est, significatur per incohationem Paschatis in vespera cum occidit sol, secundum haec apud *Mosen*,

"Sacrificabis Pascha in vespera cum occiderit sol, tempore statu exitus tui ex Aegypto" (*Deut. xvi. 6*):

per festum enim "paschatis" significabatur celebratio Domini propter liberationem a damnatione, quae fit per regenerationem, et in supremo sensu recordatio glorificationis Humani Domini, quia inde liberatio (videatur n. 7093, 7867, 9286-9292, 10655); et quia primus status regenerationis est status ignorantiae, ideo incohabatur festum illud "in vespera cum occidit sol:" is status etiam significatur per

"exitum filiorum Israelis ex Aegypto," nam in Aegypto in statu servo erant, et inde in statu ignorantiae; quare dicitur "in tempore stato exitus ab Aegypto." Ultimus status ecclesiae, qui est quando ecclesia in falsis et malis est, qui status est ultimus ejus, significatur per "occasum solis" apud *Mosen*,

"Cum prope esset sol ad occidendum, somnus gravis cecidit super Abramum; et ecce terror et tenebrae magnae cederunt super eum; .... tandem cum sol occidisset, et tenebrae factae essent, ecce furnus fumi et fax ignis, quae transivit inter frusta illa" (*Gen. xv. 12, 17*):

haec dicta sunt de posteritate Abrami ex Jacobo, seu de gente Israelitica et Judaica; et per "cum esset sol prope ad occidendum," et per "tandem cum sol occidisset," significatur ultimus status ecclesiae apud illam gentem, quod essent in meritis falsis et malis; "tenebrae magnae" et "furnus fumi" significant falsa ex malo, et "fax ignis" significat tetrum amorem sui, ex quo illis mala et falsa.

[g.] Sicut pleraque in Verbo etiam oppositum sensum habent, ita quoque "sol" et "luna," et in eo sensu significat "sol" amorem sui, et "luna" falsa inde. Causa quod per "solem et lunam" illa significantur, est quia illi qui solum in naturali idea sunt et non in spirituali, non ultra Naturam cogitant; et inde cum vident a duobus illis luminaribus, seu ab eorum luce et calore, omnia oriri et quasi vivere in tellure, putant ibi esse dominia universi; superius non elevant cogitationes. Haec faciunt omnes illi qui in amore sui sunt et inde in malis et falsis, sunt enim mere naturales et sensuales homines; et mere naturalis et sensualis homo non ultra Naturam cogitat, quod enim non videt et tangit, hoc credit nihil esse. Antiqui, apud quos omnia ecclesiae constabant ex repraesentativis spiritualium in naturalibus, et apud quos ideo "sol" significabat Dominum quoad Divinum Bonum, ac "luna" Ipsum quoad Divinum Verum, et qui ideo in cultu verterunt facies suas ad ortum solis, illi ex iis qui in amore sui fuerunt, et inde mere naturales et sensuales, cooperunt solem et lunam oculis visos colere pro summis diis; et quia solum illi hoc fecerunt seu persuaserunt aliis facere, qui in amore sui et inde in malis et falsis fuerunt, ideo per "solem" significatur amor sui, et per "lunam" falsum inde. Hoc adhuc evidentius constat ex

spiritibus in altera vita, qui tales fuerunt in mundo; hi avertunt faciem a Domino, et vertunt illam ad quoddam caliginosum et tenebricosum ibi, quae loco solis et lunae mundi sunt, ex opposito ad Solem et Lunam caeli angelici (de quibus videantur plura in opere *De Caelo et Inferno*, n. 122, 123). Antiquitus, cum omnis cultus Divinus repraesentativus fuit, a talibus cultus solis et lunae institutus est; at hodie, cum repraesentativa cessarunt, in orbe Christiano non datur cultus solis et lunae, sed pro illis cultus sui, qui est apud quos amor imperandi praedominatur. Inde nunc patet quid significatur per "solem et lunam" in opposito sensu. Quod antiquitus coluerint solem et lunam, manifestum est a gentilibus qui posuerunt illis fana, de quibus in multis historiis. Quod etiam Aegyptii, ac Judaei et Israelitae, constat ex Verbo: quod Aegyptii, apud *Jeremiam*,

Rex Babelis "veniet et percutiet terram Aegypti, . . . et confringet statuas domus solis in terra Aegypti" (xlivi. [1]11, 13):

quod etiam Judaei et Israelitae, apud *Ezechielem*,

Vidi "facies eorum versus orientem, iidemque incurvabunt se versus orientem solis" (viii. 16);

agitur ibi de abominationibus Hierosolymae: in *Secundo Libro Regum*,

[2] Joschiah Rex "abolevit sacerdotes idololatricos . . . suffientes Baali, soli, lunae et astris, et omni exercitui caelorum: . . . abolevit insuper equos quos posuerunt reges Jehudae soli ab introitu domus Jehovah, . . . et currus solis combussit igne" (xxiii. 5, 11):

apud *Jeremiam*,

"Extrahent ossa regum Jehudae, ossa principum ejus, et ossa sacerdotum ejus, et ossa prophetarum ejus, et ossa habitatorum Hierosolymae . . . , et expandent ea soli et lunae et omni exercitui caelorum, quae adamaverunt et quibus serviverunt" (viii. 1, 2);

et praeterea

[*Jerem.*] cap. xliv. 17-19, 25: *Deuter.* iv. 19; cap. xvii. 3, 5.

Quoniam per "Moabum" in Verbo significantur illi qui in vita falsi sunt ex amore sui, et per cultum eorum cultus sui, ideo cum populus Israeliticus accessit ad cultum populi Moabitici, mandatum est ut capita populi suspenderentur coram sole, de qua re ita apud *Mosen*,

Filiae Moabi "vocabant populum ad sacrificia deorum suorum; et comedebat populus, et incurvavit se diis [3]earum; imprimis adjunxit se Israel Baalpeori: . . . quare dixit Jehovah ad Mosen, Sume omnia capita populi, et suspende ea coram sole" (*Num.* xxv. 1-4):

quod "Moabus" significet illos qui in vita falsi sunt **ex amore** sui, et inde qui adulterant bona ecclesiae, videatur [in *Arcanis Caelestibus*] (n. 2468, 8315); inde etiam patet quod "sol" mundi significet amorem sui. Quoniam amor sui mittit hominem in suum proprium et in eo detinet illum, spectat enim se jugiter, et proprium hominis non est nisi quam malum et ex malo est omne falsum, ideo per "aestum solis" significatur adulteratum verum, quod in sua essentia est falsum mali. Hoc per "aestum solis" significatur in sequentibus his locis:—In *Apocalypsi*,

"Quartus angelus effudit phialam suam in solem, et datum est illi aestu adurere homines per ignem" (xvi. 8);

**et alibi,**

"Non esurient amplius, . . . neque cadet super eos sol, neque ullus aestus" (vii. 16).

**Apud Davidem,**

"Interdiu sol non percutiet te, aut luna in nocte; Jehovah custodiet te ab omni malo, custodiet animam tuam" (Ps. cxxi. 6, 7):

per "solem" ibi intelligitur amor sui, et per "lunam" falsum inde; quia ex illo amore est omne malum et ex hoc falsum, ideo dicitur quod "Jehovah custodiet te ab omni malo, et custodiet animam tuam;" per "animam" significatur vita veri. **Apud Matthaeum,**

"Alia" semina "ceciderunt super petrosa, ubi non habebant humum multam; . . . et cum sol exortus est, exusta sunt, et propterea quia non habebant radicem, exaruerunt" (xiii. 5, 6; *Marc.* iv. 5, 6):

per "semina" significantur vera ex Verbo, seu quae homo recipit a Domino, nam dicitur postea quod "Filius hominis" sit qui seminat: per "petrosa" significatur fides historica, quae fides est fides alterius in se; credit enim verum esse, non quod videat id in se, sed quia alter, cui fudit, ita dixit: per "humum" significatur bonum spirituale, quia hoc recipit vera sicut humus semina: per "solis exortum" significatur amor sui, et per "exuri" et "exarescere" significatur adulterari et perire: inde patet quid per illa Domini verba in serie significatur, nempe quod vera ab infantia implantata ex Verbo seu ex praedicatione, cum homo incipit ex se cogitare, per concupiscentias ex amore sui adulterentur ac pereant. Sunt quidem omnia, quae in Verbo sunt, vera; sed adulterantur per ideas cogitationis de illis et per appli-

cationes; unde vera apud illos non sunt vera nisi quoad solam enuntiationem eorum. Causa quod ita, est quia omnis vita veri est ex bono spirituali, et bonum spirituale residet in mente superiore seu interiore, quae vocatur mens spiritualis; haec mens non aperiri potest apud illos qui in amore sui sunt, nam in singulis spectant ad se; si elevant oculos suos ad caelum, usque tamen cogitatio spiritus eorum haeret in intuitione sui, et inde ex igne gloriae suae excitat sensualia externa et corporea, quae a pueritia edocita sunt, ad imitandum affectiones quales sunt spirituali homini.

[*h.*] Legitur apud *Jonam* quod “exaresceret kikajon qui ascendet super illum, et quod percuteret sol caput ejus ut aegre haberet;” haec quia non intelliguntur absque explicatione per sensum internum, paucis explicanda sunt: de his ita legitur apud *Jonam*,

“Jehovah....praeparavit kikajonem, qui ascendit super Jonam, ut esset umbra super capite ejus, ad avertendum malum illius, et Jona laetus super kikajone....; et praeparavit Deus vermem cum ascenderet aurora die postero, qui percussit kikajonem ut exaresceret: insuper factum est cum oriretur sol, ut praepararet Deus ventum orientalem exsiccantem, et percuteret sol caput Jona, et aegre haberet; unde petit animae sue mori. ....Tunc dixit Deus ad Jonam, Num juste exarsit tibi super kikajone? Dixit, Juste exarsit mihi usque ad mortem. Dixit Jehovah, Tu clementia usus es super kikajone, in quo non laborasti; non perfectum fecisti, quia filius noctis factus es, et filius noctis perit. Ego non clementia utar super Ninive, urbe magna, in qua sunt plures quam duodecim myriades hominum?” (iv. [s]6–11.)

Describitur per haec genius gentis Judaicae, quod sint in amore sui et inde in falsis; Jonas erat ex illa gente, quare etiam missus est ad Niniven; apud gentem enim Judaicam erat Verbum, unde docere potuerunt illos qui extra ecclesiam erant, quae gentes vocantur; hae per “Niniven” significantur. Quia gens Judaica erat prae aliis in amore sui et in falsis ex illo amore, inde non aliis bene voluerunt quam sibi ipsis, non autem gentibus, sed has oderunt; et quia talis fuit illa gens et Jonas reprezentavit illam, ideo exarsit illi valde quod Jehovah pepercit Ninive; nam dicitur,

“Aegre fuit Jona aegritudine magna, ita ut exarserit illi,” et ex aegritudine irae dixerit, “Sume Jehovah animam meam a me, quia bona mors mea prae vita mea” (vers. 1, 3):

hoc malum apud illam gentem significatur per “kikajonem,” quem vermis percussit ut exaresceret: per “solem

qui percuteret caput Jonae" significatur amor sui qui fuit illi genti, et per "ventum orientalem exsiccantem" falsum inde, et per "vermem" qui percussit kikajonem significatur destructio mali et inde falsi: quod hoc per "kikajonem" significetur, patet ex his in descriptione illa, quod Jonas primum "laetatus sit super kikajonem," et postquam kikajon "percussus esset a verme et exaruisset," quod "exarserit illi usque ad mortem," et ex eo quod dicatur quod "clementia usus esset super kikajone." Quod gens Judaica, quia in tali amore et in tali inde falso, damnationi obnoxia sit, intelligitur per haec verba ad Jonam "Non perfectum fecisti, quia filius <sup>[1]</sup>noctis factus es, et filius <sup>[1]</sup>noctis perit." (Qualis gens Judaica fuerat, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 248.) Quod amor sui hic et in praecedentibus locis significetur, est quia per "solem" in genuino spirituali sensu significatur amor in Dominum, et huic amori oppositus est amor sui; etiam Amor Divinus Domini, qui est praesens apud unumquemvis, vertitur in amorem sui apud malos, nam omne influens in subiecto recipiente vertitur in conveniens suae naturae; prout calor solis purus in graveolentia in subiectis talis naturae, et lux solis pura in tetro colores in objectis talis receptionis: inde est quod per "solem qui percussit caput Jonae" significetur amor sui, nempe in illo; et quoque apud *Matthacum*, per "solem exortum," quo exusta sunt semina super petrosis. In *Apocalypsi*,

"Civitas" Nova Hierosolyma "non opus habet sole et luna, ut luceant in illa, gloria enim Dei illustrat illam, et lucerna ejus Agnus" (xxi. 23; cap. xxii. 5):

per "solem" ibi, quo non opus habebit civitas Nova Hierosolyma, significatur amor naturalis, qui in se spectatus est amor sui et mundi; et per "lunam" significatur lumen naturale, nam lumen naturale in se spectatum est ex amore naturali, et quale luminis secundum quale amoris: at amor spiritualis et lux spiritualis significatur per quod "gloria Dei illustrabit illam, et lucerna ejus Agnus." Quod talis sensus illorum verborum sit, patet manifeste ex his apud *Esaiam*,

"Non erit tibi sol amplius in lucem interdiu, et in splendorem luna non lucebit tibi, sed erit tibi Jehovah in lucem aeternitatis, et Deus tuus in decus tuum: non occidet amplius Sol tuus, et Luna tua non colligetur, quia Jehovah erit tibi in lucem aeternitatis, et implebuntur dies lucis tui" (lx. 19, 20):

similia per "solem et lunam" in priori loco significantur quae supra in *Apocalypsi*, nempe per "solem" amor mere naturalis, et per "lunam" lumen naturale inde: at per "Solem et Lunam" in posteriori loco intelligitur Sol et Luna caeli angelici, et per "Solem" illum significatur Divinus Amor Domini, et per "Lunam" Divinum Verum, ut supra explicatum est; nam primum dicitur, "Non erit tibi amplius sol in lucem interdiu, et in splendorem luna non lucebit tibi;" et postea dicitur, "Non occidet amplius Sol tuus, et Luna tua non colligetur." Ex his nunc patet quid "sol" et "luna" significant in utroque sensu.

**402.** [Vers. 13.] *"Et stellae caeli ceciderunt in terram."*—Quod significet quod cognitiones boni et veri perierint, constat ex significatione "stellarum," quod sint cognitiones boni et veri (de qua supra, n. 72); et ex significatione "cadere in terram," quod sit perire, nam stellae cum cadunt in terram pereunt. Similiter significatur per

Quod "stellae cadant de caelo" (apud *Matthaeum*, cap. xxiv. 29; et apud *Marcum*, cap. xiii. 25):

quisque videre potest quod per "stellas" non intelligantur stellae, illae enim non possunt cadere e caelo, sunt enim fixae seu in loco suo statae, nec possunt cadere in terram, quia sunt majores terra; quare per illas significantur talia quae sunt lucis caeli, et dant lucem, quae sunt cognitiones boni et veri. Apparent etiam in caelo angelico stellae, sed illae sunt apparentiae ex cognitionibus boni et veri; quare apparent circum illos qui in cognitionibus illis sunt, imprimis quando eas animo versant, et cum in desiderio sciendi illas sunt.

**403[a].** *"Sicut ficus dejicit grossos suos a magno vento concussa."*—Quod significet quas naturalis homo per ratiocinationes suas depopulatus est, constat ex significatione "ficus," quod sit naturalis homo, de qua sequitur; ex significatione "grossorum ejus," quod sint illa quae in naturali homine, quae imprimis sunt cognitiones naturali homini implantatae ab infantia, et nondum maturae, quia solum auditae et inde receptae; et ex significatione "magno vento concussa," quod sit quas naturalis homo per ratiocinationes depopulatus est; "magno vento concurti" significat hic ratiocinationes ex falsis mali, nam "magnum" in Verbo dicitur de bono et de malo, "ventus" de vero et de falso,

et "concuti ab illo" de ratiocinatione inde. Quod talia significantur per illa verba, tametsi comparative sunt dicta, est quia omnes comparationes in Verbo, similiter ac reliqua, significant, sunt enim aeque correspondentiae. Cum his ita se habet: omnis homo nascitur a parentibus naturalis, sed fit a Domino spiritualis, quod dicitur e novo nasci seu regenerari; et quia nascitur naturalis, ideo cognitiones quas ab infantia haurit, antequam fit spiritualis, implantantur memoriae ejus naturali; quando autem aetate provehitur, et incipit rationaliter intueri cognitiones boni et veri, quas ex Verbo seu ex praedicatione hausit, si tunc vitam agit malam, arripit et imbuit falsa quae cognitionibus illis opposita et contraria sunt; ac tunc, quia ratiocinandi dote pollet, ratiocinatur ex falsis contra cognitiones infantiae et pueritiae suae; quod cum fit, dejiciuntur illae, et loco eorum succedunt falsa: haec itaque sunt quae significantur per quod "stellae cadant in terram, tanquam ficus dejicit grossos magno vento concussa." Quod "ficus" significet naturalem hominem, est ex correspondentia; in caelo enim apparent horti et paradisi, ubi omnis generis arbores sunt, et unaquaevis arbor aliquid Divini, quod communicatur angelis a Domino, significat. In genere "olea" significat caeleste quod est boni amoris, "vitis" spirituale quod est veri ex illo bono, ac "ficus" naturale quod ex spirituali aut ex caelesti derivatur; et quia illae arbores talia significant, ideo etiam significant angelum aut hominem apud quos illa sunt. In communi autem sensu significant totam societatem, quia unaquaevis societas in caelis est formata ut sistat imaginem unius hominis. In spirituali autem sensu significant illae arbores ecclesiam; "olea" ecclesiam caelestem, "vitis" ecclesiam spiritualem, et "ficus" ecclesiam naturalem, quae est ecclesia externa correspondens internae. Ex his constare potest, unde est quod dicatur quod "ficus" significet naturalem hominem, hoc est, naturale apud hominem.

[b.] Quod "ficus" illud, et in communi ecclesiam externam significet, patet quoque ab aliis locis in Verbo ubi nominatur, ut ab his sequentibus:—Apud *Esaiam*,

"Contabescet omnis exercitus caelorum, et convolventur sicut liber caeli; et omnis exercitus <sup>[1]</sup>eorum decidet, sicut decidit folium de vite, et sicut decidens de ficu" (xxxiv. 4):

haec dicta sunt de die ultimi judicii, qui venturus; et qui

etiam venit, nam ultimum judicium praedictum a prophetis Veteris Testamenti peractum est a Domino cum fuit in mundo; et quia tunc similia facta sunt quae in ultimo judicio quod in *Apocalypsi* praedictum est, et hodie a Domino peractum est, ideo hic paene similia dicuntur: ut apud prophetam *Esaiam* quod "omnis exercitus caelorum decidet sicut decidit folium de vite, et sicut decidens de ficu," tum quod "caeli convolventur sicut volumen;" in *Apocalypsi*, quod "stellae cadent in terram, sicut ficus dejicit grossos suos," et quod "caelum abscedet sicut liber convolutus;" quod "contabescet omnis exercitus caelorum" significat quod omnia bona et vera, quae amoris et fidei, corrupta sint; per "exercitum" enim "caelorum" intelliguntur omnia bona et vera quae amoris et fidei; nam sol, luna et stellae, per quae illa significabantur, vocabantur "exercitus caelorum;" quod "convolventur caeli sicut volumen" significat dissipationem eorum; quod "omnis exercitus decidet sicut folium de vite, et sicut decidens de ficu," significat depopulationem **ex falsis mali.** Apud *Jeremiam*,

"Consumendo consumam eos; non uvae in vite, neque ficus in ficu, et folium defluet" (viii. 13):

"non uvae in vite" significat quod non bonum spirituale, "vitis" enim significat spiritualem hominem, ac "uva," quia est fructus ejus, bonum illius, quod vocatur bonum spirituale; "non ficus in ficu" significat quod non bonum naturale, "ficus" enim "arbor" significat naturalem hominem, ac "ficus fructus" significat bonum illius, quod vocatur bonum naturale; quod "vitis" non significet vitem, nec "ficus" ficum, patet, nam dicitur "Consumendo consumam eos; non uvae in vite, non ficus in ficu;" non enim ideo consumentur; agitur etiam de vastatione ecclesiae, ut manifeste constat ex praecedentibus et sequentibus ibi. Apud *Hoscheam*,

"Cessare faciam omne gaudium ejus, festum ejus, novilunium ejus, sabbathum ejus, . . . et devastabo vitem ejus et ficum ejus, de quibus dixit, Merces meretricia illa mihi, . . . et ponam ea in silvam, et comedet fera agri" (ii. 11, 12):

agitur ibi de ecclesiis, et de falsificatione veri ibi; quod de ecclesia, patet a versu secundo illius capituli, ubi dicitur, "Contendite cum matre vestra, quoniam illa non uxor mea, et Ego non Maritus ejus;" per "matrem" et per "uxorem" intelligitur ecclesia; etiam sancta ecclesiae, ex quibus fiebat

cultus, ac ipse cultus, significantur per "festum, novilunium et sabbathum," quae cessabunt; quare per "devastabo vitem et ficum ejus," significatur quod tam bonum spirituale quam bonum naturale peritrum sit: quod "ponentur in silvam, et comedet ea fera agri," significat quod utrumque erit mere naturale, et quod spirituale consumetur a falsitatibus et cupiditatibus; "silva" significat mere naturale, et "fera agri" falsitates et cupiditates: et quia falsitates in ecclesia sunt imprimis falsificata vera, et de his in eo capite agitur, ideo dicitur, "de quibus dixit, Merces meretricia illa mihi;" "merces meretricia" significat falsificationem. Apud *Joelem*,

"Gens ascendet super terram meam, robusta, et non numerus, dentes ejus dentes leonis, et molares leonis <sup>[1]</sup>immanes illi; rededit vitem meam in vastitatem, et ficum meam in spumam: [denudando denudavit eam, et projectit:] dealbati sunt palmites ejus, . . . vitis exaruit et ficus languet, malus punica etiamque palma et malus, omnes arbores agri exsiccatae sunt" (i. 6, 7, 12):

agitur in toto illo capite de devastata ecclesia; et per "gentem quae ascendit super terram, quae robusta et non numerus, cui dentes leonis, et molares leonis <sup>[1]</sup>immanes," non significatur aliqua gens quae talis, sed dirum malum et inde falsum; per "terram" super quam ascendit, significatur ecclesia, per "dentes leonis" significantur falsa illius mali, et quia haec destruunt omnia vera et bona ecclesiae, dicuntur "dentes leonis ac molares ejus <sup>[1]</sup>immanes," per "leonem" significatur [falsum] destruens: inde per "rededit vitem meam in vastitatem, et ficum meam in vastitatem, et ficum meam in spumam," significatur quod ecclesia interna et externa ex illis vastata sit, "vitis" enim significat ecclesiam internam et "ficus" externam, "spuma" significat ubi non est verum intus; et per "denudando denudavit eam, et projectit," significatur quod non bonum nec verum amplius quod non destructum; "denudare," nempe a fructibus et foliis, est a bonis et veris, et "projicere" est prorsus destruere; per "dealbati sunt palmites ejus" significatur quod non amplius aliquod spirituale: per "malum punicam, palmam, malum, et omnes arbores agri quae exsiccatae sunt," significantur species bonorum et verorum ecclesiae, ac cognitiones ejus, quae ex malis et falsis consummata sunt; "arbores agri" in genere significant cognitiones boni et veri. Apud eundem,

"Ne timete, bestiae agrorum meorum, quia herbosa facta sunt habitacula deserti, quia arbor facit fructum suum, ficus atque vitis dabunt vim suam" (ii. 22);

agitur ibi de instauratione ecclesiae; quare per "bestias agri" non intelliguntur bestiae agri, sed affectiones boni in naturali homine, inde Willi apud quos illae affectiones sunt; quis non videt quod non bestiae sint ad quas dicitur "Ne timete, bestiae agrorum meorum?" Per quod "habitacula deserti herbosa facta sint" significatur quod apud illos erunt cognitiones veri ubi non prius fuerunt; "habitacula deserti" sunt interiora mentis illorum in quibus non prius fuerunt, "herbosum" significat crescentiam et multiplicationem earum: "quoniam arbor facit fructum suum, ficus atque vitis dabunt vim suam," significat quod illis bonum naturale et bonum spirituale, nam "vis" ibi est productio fructus. Apud *Amos*,

"Plurimos hortos vestros, et vineas vestras et ficus vestras, et oleas vestras comedit eruca, nec tamen reversi estis ad Me" (iv. 9):

per "hortos" significantur omnia ecclesiae quae faciunt intelligentiam et sapientiam; per "vineas" bona et vera spiritualia: per "ficus" bona et vera naturalia; per "oleas" bona et vera caelestia; "eruca" est falsum destruens: "ficus," "vitis" et "oleae" proprie significant ecclesiam et hominem ecclesiae; sed quia ecclesia est ecclesia et homo est homo ex bonis et veris, ideo quoque haec per illas arbores significantur, bona per "fructus" et vera per "ramos" et "folia" earum. Apud *Haggaeum*,

"Ponite....cor vestrum a die hoc et deinceps;....nonne adhuc semen in horreo? et usque ad vitem et ficum, et malogranatum et arborem oleae?" (ii. 18, 19:)

per haec verba in sensu spirituali intelligitur quod adhuc residua sint bona et vera; omnia bona et vera a primis ad ultima intelliguntur per "vitem, ficum, malogranatum et arborem oleae;" per "vitem" bonum et verum spirituale, per "ficum" bonum et verum naturale, per "malogranatum" in genere cognitivum et perceptivum, et in specie cognitiones et perceptiones boni et veri, et per "arborem oleae" perceptio boni et veri caelestis: "horreum" significat ubi illa sunt, sive ecclesia, sive homo in quo ecclesia, sive mens hominis quae est subiectum. Apud *Habakuk*,

"Ficus non florebit, neque proventus in vitibus, mentietur opus olivae, et agri non facient cibum" (iii. 17):

"ficus non florebit" significat quod non erit bonum naturale; "neque proventus in vitibus" significat quod non bonum spirituale; "mentietur opus olivae" significat quod non bonum caeleste; "agri non facient fructum" significat quod nulla nutritio spiritualis. Apud *Mosen*,

"Jehovah Deus....ducens te ad terram bonam, terram fluviorum aquae, fontium et abyssorum exeuntium e valle et e monte, terram tritici et hordei, et vitis et ficus et malogranati, terram olivae olei et melis" (*Deutr.* viii. 7, 8):

per "terram bonam," ad quam ducentur, intelligitur terra Canaan, per quam significatur ecclesia; quare hic similia per "vitem," "ficum," "malogranatum," et "oleam" significantur quae nunc supra. (Reliqua videantur explicata prius, n. 374[c].)

[c.] Quia per "terram Canaanem" significatur ecclesia, ac per "vitem," "ficum" et "malogranatum" significantur ecclesiae interna et externa, ideo factum est quod exploratores illius terrae deportaverint talia inde, de qua re ita apud *Mosen*,

Exploratores terrae Canaanis "venerunt ad fluvium Eschkolem, et abscederunt inde palmitem et botrum uvarum unum, quem portarunt in veche per duos, ac de malogranatis et de ficibus" (*Num.* xiii. 23).

Quia "vitis" et "ficus" talia significant, ideo dicitur in Verbo de illis qui in bonis et veris ecclesiae sunt, et inde in tuto a malis et falsis, quod sedeant sub vite sua et sub ficu sua in securitate et non terrens:—Ut in *Libro Primo Regum*,

"Habitavit Jehudah et Israel in securitate, quisque sub vite sua et sub ficu sua a Dane usque ad Beershebam omnibus diebus Salomonis" (v. 5 [*B. A.* iv. 25]):

apud *Sachariam*,

"Removebo iniuriam terrae hujus in die uno; in die illo....clamabitis vir ad socium, ad vitem et ad ficum" (<sup>1</sup>*iii.* 9, 10):

et apud *Micham*,

"In extremitate dierum erit mons domus Jehovahae constitutus in caput montium;....non tollent gens super gentem gladium, nec discent amplius bellum, sed sedeant quisque sub vite sua et sub ficu sua, nec terrens" (iv. 1, 3, 4):

haec dicta sunt de regno Domini, quod est apud illos in caelis et in terris qui in amore in Ipsum sunt; regnum Domini significatur per "montem Jehovae qui constitutus in caput montium," "mons" enim "Jehovae" significat regnum Domini ab illis qui in amore in Ipsum sunt; et quia illi habitant supra reliquos in caelis, dicitur de monte illo quod "constitutus in caput montium" (videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 188): hi quia habent vera inscripta cordibus, et ideo non disceptant de illis, dicitur quod non "tollent gens contra gentem gladium, nec discent amplius bellum," per quod significatur quod in regno illo nulla erit disceptatio de veris (videatur in eodem opere, n. 25, 26, 270, 271): quod per vera et bona, in quibus sunt, tuti erunt a malis et falsis, significatur per quod "sedebunt sub vite sua et sub ficu sua, non terrens." Apud *Jeremiam*,

"Ecce Ego adducens super vos gentem e longinquo,....quae comedet messem tuam, et panem tuum, comedet filios tuos et filias tuas, comedet gregem tuum et armentum tuum, comedet vitem tuam et ficum tuam" (v. [15.] 17):

per "gentem e longinquo" significatur malum oppositum bono caelesti; per "e longinquo" significatur distans ac remotum a bonis et veris, ac oppositum: "quae comedet messem tuam et panem tuum," significat quod destruet omnia vera et bona per quae nutritio spiritualis; "quae comedet filios tuos et filias tuas" significat omnes affectiones veri et boni spirituales; "quae comedet gregem tuum et armentum tuum" significat vera et bona interna et externa; "quae comedet vitem tuam et ficum tuam" significat sic ecclesiae internum et externum. Apud *Hoscheam*,

"Sicut uvas in deserto <sup>[1]</sup>inveni Israelem, sicut primitivum in ficu in initio vidi patres vestros" (ix. 10):

per "Israelem" et per "patres" ibi non intelliguntur patres tribuum ex filiis Jacobi, sed qui ab Antiqua Ecclesia fuerunt, quia illi in bono (videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 6050, 6075, 6846, 6876, 6884, <sup>[2]</sup>7649, 8055); quia illi in bono fuerunt, at in principio in ignorantia veri per quod tamen bonum, dicitur "sicut uvas in deserto inveni Israelem, sicut ficus in initio vidi patres vestros;" "uvae" significant bonum spirituale, "desertum" significat ignorantiam veri, "primitivum in ficu" significat bonum naturale ex bono spirituali in infantia. Apud *Lucam*,

"Quando haec omnia incipiunt fieri, suspicite et tollite capita vestra...: et dixit parabolam, Spectate ficum et omnes arbores; quando protruserint jam, videntes a vobismet ipsis cognoscetis quod jam prope aestas sit; sic et vos quando videritis hoc fieri, cognoscete quod prope sit regnum Dei" (xxi. 28-31; Matth. xxiv. [l]32; Marc. xiii. 28, 29):

agitur ibi de consummatione saeculi, quae est ultimum judicium, et enumerantur signa quae praecedunt, quae intelliguntur per "quando haec omnia incipiunt fieri;" quod nova ecclesia tunc incohatura, quae in initio externa erit, significatur per "Spectate ficum et omnes arbores cum protruserint:" haec "parabola" seu "similitudo" dicta est, quia "ficus" significat ecclesiam externam, et "arbores" significant cognitiones veri et boni; "regnum Dei" quod tunc prope est significat novam ecclesiam Domini; tempore enim ultimi judicii perit vetus ecclesia et incohatur nova. Apud *Lucam*,

"Omnis arbor a proprio fructu cognoscitur, non enim ex spinis colligunt fucus, neque ex rubo vindemiant uvam" (vi. 44; Matth. vii. 16):

quoniam per "fructum" significatur bonum vitae, et bonum vitae est bonum externum ab interno, seu bonum naturale ex spirituali, et quia homo ex hoc bono cognoscitur, ideo dicit Dominus, "Omnis arbor ex proprio fructu cognoscitur; ex spinis non colligunt fucus, neque ex rubo vindemiant uvam;" "fucus" hic est bonum externi seu naturalis hominis, et "uva" est bonum interni seu spiritualis hominis; "spinae" et "rubus" sunt mala illis opposita. Quoniam reges Jehudae et Israelis repreäsentabant Dominum quoad Divinum Verum, et Divinum Verum quasi angitur et laborat apud hominem quando non vivitur secundum id et fit bonum vitae, at quando fit bonum vitae, vivit; hoc significatum est [per]

Quod ex jussu Jehovae ad Hiskiam regem Jehudae aegrotantem adferrent massam ficuum, et contererent super ulcus, et sic viveret (2 Reg. xx. 7; Esai. xxxviii. 21).

Ex his constare potest quod "ficus" in genuino sensu significet naturalem hominem quoad bonum et verum, ipsa ficus ut arbor naturalem hominem, ficus ut fructus bonum naturalis hominis, ac folium ejus verum illius boni.

[d.] Quod autem "ficus" in opposito sensu significet naturalem hominem quoad malum et falsum, ficus ut arbor

illum naturalem hominem, ficus ejus ut fructus malum naturalis illius hominis, et folium ejus falsum illius mali, constat ex sequentibus his locis:—Apud *Jeremiam*,

“Ostendit mihi Jehovah, cum ecce duae corbes ficuum constitutae ante Templum Jehovahae....una corbis ficus bonae valde, sicut ficuum primitias ferentium; et altera corbis ficus malae valde, quae comedi non poterant p[re] malitia:....dixit Jehovah,....Sicut ficus bonae sunt, ita agnoscam migrationem Jehudae....in terram Chaldaeorum in bonum, et ponam oculum meum super eos in bonum, et reducam eos super terram hanc, et aedificabo eos,....et plantabo eos....: et sicut ficus malae, ita dabo...relictos in terra hac...in commotionem et in malum omnibus gentibus,....et mittam in eos gladium, famem et pestem, ut consumantur” (xxiv. 1-10):

per “captivitatem Judaeorum in terra Chaldaeorum” significatur simile quod per captivitatem spiritualem seu remotionem bonorum a malis in mundo spirituali, secundum illa quae supra (n. 391[*a*], 392[*a*], 394, 397) memorata sunt; nempe quod interius mali, qui usque vitam moralem similem vitae spirituali in externis potuerunt agere, in mundo spirituali remanserint super terra, et habitationes sibi fecerint super editioribus locis ibi; ac interius boni ab illis remoti fuerint, ac reconditi a Domino in terra inferiore: hoc repraesentatum est per transportationem Judaeorum in terram Chaldaeorum, et per remanentiam reliquorum in terra; quapropter dicitur de illis qui se transportari passi sunt in terram Chaldaeorum, “Agnosco transmigrationem Jehudae in terram Chaldaeorum in bonum, et ponam oculum meum super eos in bonum, et reducam eos super terram hanc, et aedificabo eos et plantabo eos;” at de illis qui remanserunt dicitur, “Dabo relictos in terra hac in commotionem, et in malum omnibus gentibus, et mittam in eos gladium, famem et pestem, ut consumantur.” Quod haec repraesentata fuerint, constat etiam ex eo, quod Templum Salomonis destrunctum sit ante deportationem, et quod novum aedificatum sit dum reversi sunt; per “templum” significatur cultus Divinus, et per “novum templum” ille restauratus. Ex his constare potest quid significatur per “duas corbes ficuum constitutas ante Templum Jehovahae, in quarum una fuerunt ficus bonae valde, sicut ficuum primitias ferentium, et in altera ficus malae valde, quae comedi non poterant p[re] malitia;” nempe quod illi qui interius boni sunt, a quibus novum caelum formandum est, intelligantur per “corbem ficuum bonarum,” et illi qui interius mali, qui

dejiciendi in infernum, intelligantur per "corbem ficum malarum;" quare de his dicitur, quod "non comedи possent prae malitia," per quod significatur quod interius mali; et de illis, quod "sicut ficus primitias ferentes," per quod significatur quod interius boni, ut novum caelum ab illis formetur; "ficus" enim ut fructus significat bonum vitae in interna et simul in externa forma, et in opposito sensu significat bonum vitae solum in externa forma, quod est malum vitae, quia malum est interius; externum enim omne suum quale trahit ab interno, nam est effectus ejus. Quod malum appareat in externis ut bonum apud illos, est quia mentiuntur bonum propter malum, quod intus est, ad obtinendum finem, cui bonum apparet servit ut medium. Simile dicitur de illis qui permanerunt in terra Canaane alibi apud eundem,

"Sic dixit Jehovah de rege....et de universo populo habitante in urbe hac,...qui non exiverunt vobiscum in captivitatem,...Ecce Ego mittens in eos gladium, famem, et pestem, et dabo eos sicut ficus horridas, quae non comedи possunt prae malitia" (xxix. 16, 17).

[e.] Quod "ficus" ut arbor in opposito sensu significet hominem mere naturalem, et ecclesiam a similibus, seu apud quos non est bonum naturale quia non est bonum intus, constat apud *Lucam*,

Jesus "dixit hanc parabolam: [1]Ficum habebat aliquis in vinea plantatam, venit ergo fructum quaerens in ea sed non invenit; dixit ad vinitorem, Ecce tres annos venio quaerens fructum in fico hac, non autem invenio; excinde illam, ut quid etiam terram infrugiferam faciat? Hic vero respondens dixit, Domine, relinque illam etiam hoc anno, usque dum fodiam circum illam, et adjiciam stercus, siquidem fecerit fructum; sin minus, in futurum excindas illam" (xiii. 6-9):

per "vineam" in qua erat "ficus," significatur ecclesia ubi etiam illi qui in externis sunt, nam in ecclesia Domini est internum et externum; internum ecclesiae est charitas et inde fides, externum autem ecclesiae est bonum vitae: quia opera charitatis et fidei, quae sunt bonum vitae, sunt naturalis hominis, et ipsa charitas et inde fides sunt spiritualis hominis, inde per "vineam" significatur ecclesiae internum et per "ficum" externum ejus. Apud gentem Judaicam fuit modo externum ecclesiae, quia in cultu externo representativo erat; quare per "ficum" ecclesia apud illam gentem intelligitur: sed quia in cultu externo erant, et in nullo

interno, erant enim intus mali, et quia cultus externus absque interno est nullus cultus, et apud malos est malus cultus, ideo apud illos non aliquid bonum naturale fuit; quare dicitur quod "per tres annos non invenerit fructum in ficu," et quod "dixerit ad vinitorem ut exscinderetur," per quod significatur quod ab initio ad finem non fuerit bonum naturale apud illam gentem; per "tres annos" enim significatur tota periodus, seu tempus ab initio ad finem, et per "fructum ficus" significatur bonum naturale; per bonum naturale intelligitur bonum spirituale naturale, seu bonum in naturali ex spirituali: et quia ecclesia a talibus, qui non in bono naturali, ut erat gens Judaica, non est ecclesia, ideo etiam dicitur, "Quid etiam terram infrugiferam faciat?" "terra" est ecclesia. Quod "vinitor dixerit, ut adhuc relinquatur, et foderetur circum illam," significat quod relinquetur et quod instruentur posthac a Christianis, in quorum medio erunt; sed quia nihil ad hoc respondebatur, intelligitur quod ficus usque nullum fructum productura sit, hoc est, quod gens illa nullum bonum, quod ex aliquo spirituali procedit, factura sit. Hoc significatur per "ficum arefactam" propterea quod Dominus nullum fructum in ea invenerit, apud *Matthaeum*,

"Mane revertens" Jesus "in urbem esurivit; et videns ficum unam in via, venit ad eam, sed nihil invenit in illa nisi folia: ideo dixit illi, Ne posthac ex te [fructus] nascatur in aeternum; unde arefacta est ex tempore ficus" (*xxi. 18, 19; Marc. xi. 12, 13[, 14]*):

per "ficum" etiam hic intelligitur ecclesia apud gentem Judaicam; quod apud illam gentem non aliquid bonum naturale esset, sed modo verum falsificatum, quod in se est falsum, significatur per quod Dominus venerit ad ficum sed nihil invenerit in illa nisi folia; "fructus" quem non invenit significat bonum naturale, quale supra descriptum est; et "folium" significat verum falsificatum, quod in se est falsum, nam "folium" in Verbo significat verum, sed folium arboris quae est absque fructu significat falsum, et apud illam gentem verum falsificatum, quia habebant Verbum in quo vera sunt, sed quae falsificaverunt per applicationem ad se; unde traditiones eorum: quod gens illa nusquam aliquid bonum naturale ex origine spirituali, quod vocatur spirituale naturale, factura sit, significatur per verba quae Dominus de illa dixit, "Nec posthac ex te [fructus] nascetur in

aeternum, unde aresfacta est ex tempore ;" per "aresfieri" significatur non bonum et verum amplius. Quod Dominus hoc viderit et dixerit cum reversus est in urbem et esurivit, est quia per "urbem Hierosolymam" significatur ecclesia, et per "esurire," cum de Domino, significatur desiderare bonum in ecclesia (videatur supra, n. 386[4]). Qui non scit quid significat "ficus," et quod per illam ficum intellecta sit ecclesia apud illam gentem, non aliud cogitat quam quod hoc factum sit a Domino ex indignatione quia esurivit ; at hoc non ideo factum est, sed ut significaretur quod gens Judaica talis esset ; omnia enim miracula Domini involvunt et significant talia quae caeli et ecclesiae sunt, unde illa miracula fuerunt Divina (videatur n. 7337. 8364, [1]9051 fin.). Ecclesia perversa seu homo ecclesiae perversus quoad naturalem seu externum suum hominem etiam significatur per "ficum" apud *Davidem*,

"Dedit pluvias eorum grandinem, ignem flamarum in terra eorum ; et percussit vitem eorum et ficum eorum, confregit arborem termini eorum" (Ps. cv. 32, 33) :

haec de Aegypto dicta sunt, per quam significatur naturalis homo qui in falsis et malis ; ac per "vitem," "ficum" et "arborem termini" significantur omnia ecclesiae, per "vitem" interna seu spiritualia ejus, per "ficum" externa seu naturalia ejus, et per "arborem termini" omne cognitivum et perceptivum ; per "terminum" significatur ultimum, in quod interiora desinunt et in quo ea simul sunt, et per "arbores" cognitiones et perceptiones : quae omnia quia perversa fuerunt et ideo damnata, dicitur quod "percussa et confracta," per quae significatur exitium et damnatio : quod ex falsis mali quae ex amore mundi, significatur per "pluvias eorum grandinem, ignem flamarum in terra eorum ;" "pluviae ut grando" significant falsa mali, et "ignis flamarum" significat amorem mundi. Apud *Nahum*,

"Omnia munimenta tua ut ficus cum primitiis ; quae si commoventur, decidunt super os comedentis" (iii. 12) :

haec de "urbe sanguinum," per quam significatur doctrina in qua vera falsificata et bona adulterata sunt ; haec comparatur "ficubus cum primitiis, quae si commoventur, decidunt super os comedentis," et per hoc significatur, quod bona ibi non bona sint, utcunque apparent ut bona ; et

quod non recipientur, et si recipiuntur solum recipientur memoria et non corde: quod "decidant dum commoventur" significat quod non bona sint tametsi apparent ut bona, quia sunt "primitiae;" et "super os comedentis" significat non receptionem, ne quidem memoria: quod "os comedentis" significet non recipere, constat ex apparentiis in mundo spirituali, apparent enim recipere ore qui aliquid memoriae tradunt; quare "super os ejus cadere" significat ne quidem memoria recipere, sed modo audire, et quoque si recipiunt, quod modo memoria et non corde: per "ficus cum primitiis" etiam intelligi possunt bona genuina, cum quibus simile fit apud illos qui in falsis mali sunt.

**404.** [Vers. 14.] "<sup>[1]</sup>*Et caelum abscessit tanquam liber convolutus.*"—Quod significet *quod spiritualis homo occlusus sit*, constat ex significatione "caeli," quod sit ecclesia in communi et in particulari, nam ecclesia est caelum Domini in terris, etiam ecclesia unum facit cum caelo per coniunctionem: (quare cum in Verbo dicitur "caelum et terra" intelligitur ecclesia interna et externa, internum enim hominum ecclesiae est caelum apud illos, et externum est mundus apud illos: et quia per "caelum et terram" significatur ecclesia interna et externa, inde quoque significatur homo internus et externus, seu homo spiritualis et naturalis; nam homo est ecclesia, in quo bonum amoris et fidei est, quare ex hominibus in quibus est ecclesia, existit ecclesia in communi: inde patet unde est quod per "caelum" hic intelligatur homo internus seu spiritualis: homo spiritualis dicitur, et intelligitur mens spiritualis, quae est mens superior seu interior hominis; mens autem inferior seu exterior vocatur homo naturalis;) et ex significatione "abscessit sicut liber convolutus," quod sit *quod occlusus sit*; nam mens spiritualis, quae est, ut dictum, mens superior seu interior apud hominem, aperitur per vera applicata vitae, ita per bona, at vero occluditur per falsa applicata vitae, ita per mala, et *occlusio* est sicut *convolvitur volumen libri*. Quod ita sit, patuit manifeste ex apparentiis in mundo spirituali, cum ultimum judicium factum est; ibi enim tunc apparuerunt montes et colles quandoque convolvi sicut volumen libri convolvitur, et tunc illi qui super iis erant devolvebantur in infernum; quae apparentia trahit causam ex eo, quod interiora mentis corum, per quae aliquid lucis e caelo prius

influxit, occlusa fuerint: quod fit in communi apud plures, hoc fit apud unumquemvis talem in particulari; nam in mundo spirituali quale est commune tale est particulare (videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 73). Per "librum" intelligitur volumen, quoniam antiquis temporibus non erant typi et inde libri quales hodie, sed erant volumina ex membranis; inde per "libros" in *Apocalypsi* intelliguntur volumina, et per "abscessit caelum tanquam liber convolutus" intelligitur tanquam volumen convolutum: similiter apud *Esaiah*,

"Contabescet omnis exercitus caelorum; et convolventur, sicut liber, caeli" (xxxiv. 4).

**405[a]. "Et omnis mons et insula e locis suis emota sunt."**— Quod significet *quod omne bonum amoris et verum fidei perierit*, constat ex significatione "montis," quod sit bonum amoris in Dominum (de qua sequitur); ex significatione "insulae," quod sit verum fidei (de qua in sequenti articulo); et ex significatione "emoveri locis," quod sit auferri et perire, quia intelligitur bonum amoris et verum fidei; quando enim illa emoventur locis suis, tunc succedunt mala et falsa, ac bona et vera per mala et falsa pereunt. Quod "mons" <sup>[1]</sup> significet bonum amoris, est quia in caelo super montibus habitant qui in bono amoris in Dominum sunt, et super collibus qui in charitate erga proximum; seu quod idem, super montibus habitant qui e caelesti regno Domini sunt, et super collibus qui e spirituali regno Ipsiis; et regnum caeleste distinguitur a regno spirituali in eo, quod qui e regno caelesti sunt in amore in Dominum sint, et qui e regno spirituali in charitate erga proximum; (sed de his et illis videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 20-28;) inde est quod per "montem" significetur bonum amoris in Dominum. Quod bonum amoris in Dominum per "montem" abstracte intelligatur, est quia omnia quae in sensu interno Verbi sunt spiritualia sunt, et spiritualia abstracte a personis et locis intelligenda sunt; quare etiam angeli, quia spirituales, abstracte ab illis cogitant et loquuntur, et per id est illis sapientia et intelligentia; idea enim personarum et locorum finit cogitationem, nam determinat illam ad ea, et sic finit: haec idea cogitationis est proprie naturalis, idea autem abstracta a personis et locis se extendit in caelum quaquaversum, nec finitur aliter ac visus oculi dum absque obviis spectatur caelum; talis idea

est proprie spiritualis; exinde est quod per "montem" in Verbi sensu spirituali significetur bonum amoris: simile est cum significacione "terrae" quod sit ecclesia; idea enim abstracta a locis et a gentibus et populis super terra, est de ecclesia ibi seu apud illos; haec ideo per "terram" in Verbo significatur: simile est cum rebus aliis quae in Verbi sensu naturali dicuntur, ut cum collibus, petris, vallibus, fluiis, maribus, urbibus, domibus, hortis, silvis, et aliis.

[*b.*] Quod "mons" significet amorem in Dominum, et inde omne bonum quod ex illo, quod bonum caeleste vocatur, et quod in opposito sensu significet amorem sui, et inde omne malum quod ex illo, constat ex locis sequentibus in Verbo:—Apud *Amos*,

"Dispone te erga Deum tuum, Israel, nam ecce formator montium, et creator spiritus, et enuntians homini quae cogitatio ejus" (iv. 12, 13):

Deus dicitur "formator montium," quia "montes" significant bona amoris; ac "creator spiritus," quia "spiritus" significat vitam ex illis; et quia per illa dat homini intelligentiam, additur, "et enuntians homini quae cogitatio ejus;" intelligentia enim, quae homini, est cogitationis ejus, quae influit a Domino per bonum amoris in vitam ejus; quare "enuntiare" hic est influere. Apud *Davidem*,

Deus "qui firmat montes virtute sua, accinctus est potentia" (Ps. lxxv. 7 [*B. A. 6*]):

per "montes" hic quoque significantur bona amoris; haec Dominus in caelo et in ecclesia firmat per Divinum suum Verum, cui omnis potentia; ideo dicitur, "firmat montes virtute sua, accinctus est potentia;" per "virtutem Dei" in Verbo significatur Divinum Verum, ac per "potentiam," cum de Domino, omnis potentia seu omnipotentia. (Quod omnis potentia sit Divino Vero quod procedit a Domino, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 228–233, et supra, n. 209, 333; et quod potentia, cum de Domino, sit omnipotentia, supra, n. 338.) Apud eundem,

"Tollo oculos meos ad montes, unde venit auxilium" (Ps. cxxi. 1):

per "montes" hic intelliguntur caeli; et quia in caelis super montibus et collibus habitant qui in bonis amoris et charitatis sunt, ut supra dictum est, et in illis bonis est Dominus, ideo per "tollere oculos ad montes," etiam intelligitur ad Dominum, a quo omne auxilium. Cum "montes" in plurali dicuntur, intelliguntur et montes et colles; proinde tam

bonum amoris in Dominum quam bonum charitatis erga proximum. Apud *Esaiam*,

"Erunt super omni monte alto, et super omni colle elato, rivi, ductus aquarum, in die caedis magnae, cum cadent turres" (xxx. 25):

ultimum judicium, de quo ibi agitur, intelligitur per "diem caedis magnae cum cadent turres;" "caedes magna" est interitus malorum, "turres" quae cadent sunt falsa doctrinae quae ex amore sui et mundi; quod illa per "turres" significantur, est ex apparentiis in mundo spirituali, qui enim per talia quae ecclesiae sunt dominatum quaerunt, in altis aedificant sibi turres (de quibus videatur in opusculo *De Ultimo Judicio*, n. 56, 58): quod illi tunc qui in amore in Dominum et in charitate erga proximum sunt, eleventur in caelum et imbuantur intelligentia et sapientia, intelligitur per quod "erunt super omni monte alto et colle elato, rivi, ductus aquarum;" "mons altus" significat ubi sunt qui in amore in Dominum, et "collis elatus" ubi illi qui in charitate erga proximum, "rivi" significant sapientiam, et "ductus aquarum" intelligentiam, "aqua" enim sunt vera ex quibus intelligentia et sapientia. Apud *Zoelem*,

"Fiet in die illo, stillabunt montes mustum, et colles fluent laete, et omnes rivi Iehudae fluent aquis" (iv. [B. A. iii.] 18):

agitur ibi de adventu Domini, et de novo caelo et de nova terra tunc; et per quod "montes stillabunt mustum" intelligitur quod ex bono amoris in Dominum omne verum; per quod "colles fluent laete" intelligitur quod ex bono charitatis erga proximum vita spiritualis; et per quod "omnes rivi Iehudae fluent aquis" intelligitur quod ex singulis Verbi vera, per quae intelligentia. (Sed haec plenius explicata videantur supra, n. 376[8].) Apud *Nahum*,

"En super montibus pedes evangelizantis[, proclaimantis] pacem" (ii. 1 [B. A. i. 15]):

apud *Esaiam*,

"Quam jucundi sunt [super montibus] pedes ex angelizantis, audire facientes pacem, . . . dicentes Zioni, Regnat <sup>[i]</sup>Rex tuus" (lii. 7):

apud eundem,

"Super montem altum ascende tibi, evangelizatrix Zion; extolle cum virtute vocem tuam, evangelizatrix Hierosolyma" (xl. 9):

haec de adventu Domini, et de salvatione eorum tunc qui

in bono amoris in Ipsum sunt et inde ex Verbo in veris doctrinac; et quia de salvatione eorum agitur, ideo dicitur, "En super montibus pedes evangelizantis pacem," et "Ascende montem altum, evangelizatrix Zion;" per "evangelizare pacem" significatur praedicare adventum Domini, nam per "pacem" significatur in supremo sensu Dominus, et in sensu interno omne bonum et verum quod a Domino (videatur supra, n. 365); et per "evangelizatricem Zionem" intelligitur ecclesia quae in bono amoris in Dominum est, ac per "evangelizatricem Hierosolymam" ecclesia quae inde ex Verbo in veris doctrinæ. Apud *Esaiam*,

"Ponam omnes montes meos in viam, et semitae meae exaltabuntur:... cantate caeli, et exulta terra, ac personate montes cantu, quia consolatus est Jehovah populum suum" (xl ix. 11, 13):

per "montes" in plurali intelliguntur et montes et colles, ita tam bonum amoris quam bonum charitatis; quod "montes et colles ponentur in viam, et semitae exaltabuntur," significat quod illi qui in illis bonis sunt, erunt in veris genuinis; "poni in viam" significat esse in veris, et "exaltari <sup>10</sup>semitas" significat esse in veris genuinis, "viae" enim et "semitae" significant vera, quae "exaltari" dicuntur a bono; et vera quae a bono sunt vera genuina: gaudium cordis eorum inde, significatur per "cantate caeli, exulta terra;" gaudium internum per "cantate caeli," gaudium externum per "exulta terra:" confessiones ex gudio oriundo ex bono amoris significantur per "personate montes cantu:" quod hoc sit propter reformationem et regenerationem, significatur per "quia consolatus est Jehovah populum suum." Quod hic non montes in mundo intelligentur, patet; nam tunc quid foret quod montes ponerentur in viam, et quod semitae exaltabuntur, tum quod montes personarent cantu? Apud eundem,

"Cantate caeli, ... jubilate inferiora terrae, personate montes cantu, silva et omnis arbor in ea, quia redemit Jehovah Jacobum, et in Israele gloriosum Se exhibuit" (xli v. 23):

per "cantate caeli, jubilate inferiora terrae, personate montes cantu," similia significantur quae mox supra, sed hic per "montes" significantur bona charitatis; quare etiam dicitur, "silva et omnis arbor in ea," nam per "silvam" intelligitur externus seu naturalis homo quoad omnia ejus, et per "omnem arborem" intelligitur cognitivum et scientificum

ibi : reformatio eorum significatur per "Redemit Jehovah Jacobum, et in Israele gloriosum Se exhibuit ;" per "Jacobum" et "Israelem" intelligitur ecclesia externa et interna, ita externum et internum apud illos in quibus ecclesia. Apud eundem,

"Montes et colles personabunt....cantu, et omnes arbores agri complendent manum" (lv. 12) :

apud *Davidem*,

"Laudate Jehovah....montes et colles, arbor fructus, et omnes cedri" (Ps. cxlviii. [7.] 9) :

in his describitur gaudium cordis ex bono amoris et charitatis, et dicuntur "montes," "colles," "arbores," "cedri," "personare cantu," "complodere manum," et "laudare," quia per illa significantur bona et vera, quae faciunt gaudia apud hominem ; homo enim non gaudet ex se, sed ex bonis et veris quae apud illum ; haec gaudent, quia faciunt homini gaudium. Apud *Esaiam*,

"Ex tollent vocem desertum, et urbes ejus, et villae quas inhabitat Arabia, cantent habitatores petrae, e capite montium clament" (xlvi. 11) :

per "desertum" significatur obscurum veri, per "urbes ejus" significantur doctrinalia, per "villas" cognitiones et scientifica naturalia, per "Arabiā" significatur naturalis homo, nam Arabs in deserto est naturalis homo, per "habitatores petrae" significantur bona fidei seu illi qui in bonis fidei, per "caput montium" significatur bonum amoris in Dominum ; inde patet quid singula in ordine significant, nempe confessionem et cultum laetum ex bono amoris in illis quae memorata sunt, nam "clamare e capite montium" est ex bono amoris colere.

[c.] Apud *Davidem*,

"Mons Dei mons Baschanis, mons collium mons Baschanis ; quare sub silitis montes, colles montis ? Desiderat Deus inhabitare illum, etiam Jehovah habitabit in perpetuum" (Ps. lxviii. 16, 17 [B. A. 15, 16]) ;

per "montem Baschanis" significatur bonum voluntarium quale est apud illos qui in externis ecclesiae sunt ; Baschan enim erat regio trans Jordanem, quae dimidiae tribui Menassis data erat in hereditatem (videatur *Josuae* caput xiii. 29-32), et per "Menassen" significatur bonum voluntarium externi seu naturalis hominis ; bonum hoc voluntarium idem

est cum bono amoris in externo homine, nam omne bonum amoris est voluntatis, et omne verum inde est intellectus; quare per "Ephraimum" fratrem ejus significatur verum intellectuale illius boni: quia per "montem Baschanis" illud bonum significatur, ideo per "colles" montis illius significantur bona actu: quia voluntas agit, est enim omne activum animi et corporis ex voluntate, sicut est omne activum cogitationis et sermonis ex intellectu, ideo gaudium oriundum ex bono amoris describitur et intelligitur per "saltare" et "subsilire:" inde patet quid significatur per "Mons Dei mons Baschanis, mons collum mons Baschanis; quare subsilitis montes, colles montis?" Quia Dominus apud hominem habitat in ejus bono voluntario, unde bona actu, ideo dicitur, "Desiderat Deus inhabitare illum, etiam Jehovah habitabit in perpetuum." Apud eundem,

"Factus est Jehudah in sanctuarium" Jehovahe, "[et Israel in dominia Ipsijs,] mare vidit et fugit, Jordan avertit se retrorsum, montes saltarunt sicut arietes, colles sicut filii gregis: quid tibi mare, quod fugis? Jordan, avertis te retrorsum? montes, saltatis sicut arietes? colles, sicut filii gregis? A coram Domino parturis terra, a coram Deo Jacobi, qui convertit petram in stagnum aquarum, silicem in fontem aquarum" (Ps. [l]cxiv. 2-8):

ita describitur exitus filiorum Israelis ex Aegypto; attamen absque explicatione per sensum internum nemo scire potest quid significant, quod tunc "montes saltaverint sicut arietes, et colles sicut filii gregis," tum quid intelligitur per "mare vidit et fugit, et Jordan avertit se retrorsum;" quare explicabitur. Intelligitur in sensu interno instauratio ecclesiæ, seu regeneratio hominum ecclesiæ; ecclesia enim, quae instauranda, significatur per "filios Israelis," instauratio per "exitum" illorum, discussio malorum per "transitum per mare Suph," de quo dicitur quod "fugerit," et introductio in ecclesiam per "transitum super Jordanem," de quo dicitur quod "averterit se." Sed ad singula: quod "Jehudah factus sit in sanctuarium, et Israel in dominia," significat quod bonum amoris in Dominum sit ipsum sanctum caeli et ecclesiæ, et quod verum ex illo bono sit per quod regimen; per "Jehudam" enim significatur bonum caeleste quod est bonum amoris in Dominum, per "sanctuarium" ipsum sanctum caeli et ecclesiæ, per "Israelem" bonum spirituale quod est verum ex illo bono, per quod regimen; nam Divino Vero procedenti ex Divino Bono est

omne regimen Domino: per "mare vidit et fugit, Jordan avertit se retrorsum," significatur quod discussis malis et falsis quae in naturali homine, successerint vera scientifica et cognitiones veri et boni; "montes saltarunt sicut arietes, colles sicut filii gregis," significat quod bonum caeleste, quod est bonum amoris, ac bonum spirituale quod est verum ex illo bono, ex gaudio faciant bona seu edant effectum; "montes" significant bonum amoris, "colles" bona charitatis, quae in sua essentia sunt vera ex illo bono; "saltare," quia de illis, significat ex gaudio facere bona; dicitur "sicut arietes et sicut filii gregis," quia "arietes" significant bona charitatis et "filii gregis" vera inde: instauratio ecclesiae ab illis, seu regeneratio hominum ecclesiae, significatur per "coram Deo parturis terra, coram Deo Jacobi, qui convertit petram in stagnum aquarum et silicem in fontem aquarum;" "terra" est ecclesia, et illa "parturire" dicitur quum instauratur seu homo ecclesiae e novo generatur; "coram Domino" et "coram Deo Jacobi" dicitur, quoniam ubi de bono amoris agitur Dominus in Verbo dicitur "Dominus," et cum de bonis actu "Deus Jacobi:" regeneratio per vera ex bono, significatur per "convertit petram in stagnum aquarum et silicem in fontem aquarum;" per "stagnum aquarum" significantur cognitiones veri, et per "fontem aquarum" significatur Verbum ex quo illae, et per "petram" naturalis homo quoad verum ante reformationem, et per "silicem" naturalis homo quoad bonum ante reformationem. Apud eundem,

"Vitem ex Aegypto proficisci fecisti, expulisti gentes, et plantasti eam, . . . operti sunt montes umbra ejus, et ramis ejus cedri Dei" (Ps. lxxx. 9, 11 [B. A. 8, 10]):

per "vitem ex Aegypto" significatur ecclesia spiritualis, quae incipit apud hominem per scientifica et cognitiones in naturali homine; "vitis" est ecclesia spiritualis, et "Aegyptus" est scientificum quod in naturali homine: per "expulisti gentes, et plantasti eam," significatur quod postquam mala inde ejecta sunt ecclesia instaurata sit; "gentes" sunt mala, et "plantare vitem" est instaurare illam ecclesiam; per "operti sunt montes umbra ejus, et ramis ejus cedri Dei," significatur quod tota ex bonis et veris spiritualibus; "montes" sunt bona spiritualia, et "cedri Dei" sunt vera spiritualia. Quod educatio filiorum Israelis ex Aegypto, et

introductio in terram Canaanem unde expulsae sunt gentes, per haec intelligantur, patet; sed usque per eadem illa in sensu interno intelliguntur quae explicata sunt; nec aliud per introductionem filiorum Israelis in terram Canaanem, et per expulsionem gentium inde, repraesentatum et significatum est; omnia enim historica Verbi aequa ac prophetica ejus involvunt spiritualia. Apud *Esaiam*,

“Omnes montes qui sarculo sarrientur, non veniet eo timor senticeti et vepreti, sed erit missio bovis et calcatio ovis” (vii. 25):

per “montes qui sarculo sarrientur” intelliguntur qui ex amore boni faciunt bona. (Quid per cetera significatur videatur supra, n. 304[c], ubi explicata sunt.) Apud eundem,

“Producam ex Jacobo semen, et ex Iehudah heredem montium meorum, ut possideant eum electi mei, et servi mei habitent ibi” (lxv. 9):

per “Jacobum” et per “Jehudam” significatur ecclesia, per “Jacobum” ecclesia externa quae in cognitionibus boni et veri, et per “Jehudam” ecclesia [interna] quae in bono amoris in Dominum; quare per “semen ex Jacobo” significantur cognitiones boni et veri, et inde ii qui in illis sunt; per “montes” quorum heredes ex Iehudah, significatur bonum amoris in Dominum, et inde ii qui in illo; per “electos” qui possidebunt montem significantur qui in bono sunt, et per “servos” qui in veris ex bono. Apud *Jeremiam*,

“Reducam” filios Israelis “super terram eorum...; ecce Ego mittens ad piscautores multos qui piscabuntur illos, et mittam ad multos venatores qui venabuntur eos super omni monte, et desuper omni colle, et ex foraminibus petrarum” (xvi. 15, 16):

agitur ibi de instauratione ecclesiae novae, quae represtabatur et significabatur per reductionem Judaeorum e captivitate e terra Babelis in terra Canaanem. Qui non scit quid significat “piscari” et “venari,” quid “mons,” “collis” et “foramina petrarum,” non aliquid colligit ex illis verbis quam tale quod usque non capit: quod ex illis instauranda sit ecclesia, qui in bono naturali et in bono spirituali sunt, intelligitur per “Mittam piscautores qui piscabuntur illos, et venatores qui venabuntur illos;” congregare illos qui in bono naturali sunt, intelligitur per “mittere piscautores qui piscabuntur illos;” et congregare illos qui in bono spirituali sunt, intelligitur per “venatores qui venabuntur illos;” quia illi intelliguntur, etiam dicitur “desuper omni

monte, et desuper omni colle, et ex foraminibus petrarum ;” per illos qui “super monte” intelliguntur qui in bono amoris, qui “super colle” qui in bono charitatis, et qui “ex foraminibus petrarum” qui in obscuris veri. Apud *Ezechielem*,

“Vos montes Israelis, dabitis ramum vestrum, et fructum vestrum feretis populo meo Israeli, cum appropinquant venire” (xxxvi. 8) :

per “montes Israelis” significantur bona charitatis ; quod inde vera fidei et bona vitae, significatur per “dabitis ramum vestrum, et fructum vestrum feretis” (“ramus” est verum fidei, et “fructus” est bonum vitae). Apud *Amos*,

“Ecce dies venientes, . . . ut attingat arans metentem, et calcans uvas distrahentem [semen], et stillent montes mustum, et omnes colles diffluant ; nam reducam captivitatem populi mei” (ix. 13, 14) :

quid per haec significatur, videatur supra (n. 376[*b*]), ubi explicata sunt ; “montes” dicuntur “stillare mustum,” et “colles diffluere,” quia per “montes” significatur bonum amoris in Dominum, et per “colles” bonum charitatis erga proximum, ac per “mustum” vera ; et inde per illa verba, quod ex utroque illo bono erunt illis vera in abundantia ; nam per reductionem populi ex captivitate, de qua illa dicuntur, significatur instauratio novae ecclesiae.

[d.] Apud *Davidem*,

Jehovah, “justitia tua sicut montes Dei, judicia tua sicut abyssus magna” (Ps. xxxvi. 7 [*B. A.* 6]):

quia “justitia” in Verbo dicitur de bono, ac “judicium” de vero, ideo dicitur quod “justitia Jehovah sit sicut montes Dei, et judicia Ipsiū sicut abyssus magna :” “montes Dei” enim significant bonum charitatis, et “abyssus” significat vera in communi, quae vera fidei vocantur. (Quod “justitia” dicatur de bono, et “judicium” de vero, videatur n. 2235, 9857.) Apud eundem,

Jehovah “fundavit terram super basibus suis, . . . abysso sicut veste obvelasti eam, super montibus stant aquae : ab increpatione tua fugiunt, a voce tonitriū tui proripiunt se ; ascendunt montes, descendunt valles ad locum quem fundasti illis, limitem posuisti, non transeunt, non revertuntur ad obtengendum terram. Qui emitit fontes in fluvios, inter montes eant. . . . Qui irrigat montes de conclavibus suis ; de fructu operum tuorum saturatur terra” (Ps. civ. 5-10, 13) !

describitur per haec in sensu spirituali intellecta processus regenerationis, seu formationis ecclesiae apud hominem :

et per "fundavit terram super basibus suis" significatur quod ecclesiam apud hominem cum suis terminis et clausuris: per "abyssō sicut veste obvelasti eam" significatur quod scientificis in naturali homine, quo interiora ejus, ubi ecclesiae spiritualia resident, circumdata sunt: "abyssus" significat scientifica in communi, et "vestis" significat vera scientifica ambientia et induentia: per "super montibus stant aquae" significatur quod falsa super jucundis amorum naturalium, quae jucunda in se sunt mala; "montes" sunt mala illorum amorum, et "aquaे" sunt falsa inde: quod "ab increpatione tua fugiant, a voce tonitrui tui proripiant se," significat quod falsa per vera, ac mala per bona e caelo dissipentur: per "ascendunt montes, et descendunt valles ad locum quem fundasti illis," significatur quod loco amorum naturalium et malorum ex illis insertentur amores caelestes et bona ex illis, et loco falsorum immittantur vera communia: per "limitem posuisti, non trans-eunt, non revertuntur ad obtendum terram," significatur quod falsa et mala teneantur extra, separata a veris et bonis, et limitata ne reinfluant et perdant: per "emittit fontes in fluvios, inter montes eant," significatur quod Dominus ex Verbi veris det intelligentiam, cuius omnia ex bono amoris caelestis sunt; per "fontes" significantur Verbi vera, per "fontes immissos in fluvios" significatur intelligentia inde, et per "inter montes eant" significatur quod ex bonis amoris caelestis ("montes" sunt illa bona): per "qui irrigat montes e conclave suis" significatur quod omnia bona per vera ex caelo; "irrigare" dicitur de veris quia "aquaе" sunt vera, "montes" sunt bona amoris, et "conclave" sunt caeli unde illa: per "de fructu operum tuorum saturatur terra" significatur quod ex Divina operatione continue crescat ecclesia apud hominem; "fructus operum," cum de Domino, est Divina operatio, et "terra" est ecclesia apud hominem, de cuius formatione actum est; et haec "saturari" dicitur per continuam crescentiam. Haec arcana sunt quae in illis verbis recondita sunt; sed quis videt illa nisi sciat illa ex sensu interno, et nisi in cognitionibus sit, hic nisi in cognitione de homine interno et externo, ac de bonis et veris quae faciunt ecclesiam in illis? Apud *Sacharium*,

“Sustuli oculos meos et vidi, cum ecce quatuor currus exeuntes inter .... montes, et montes montes aeris” (vi. 1):

agitur in eo capite de instauranda nova ecclesia apud gentes, nam agitur de novo templo, per quod significatur nova ecclesia: per “currus exeuntes ab inter montes,” significatur doctrina quae formanda ex bono per vera; “currus” significant doctrinalia, “montes” bona amoris, “inter montes” significat vera ex bonis, nam “valles” quae sunt “inter montes” significant vera inferiora, quae sunt vera naturalis hominis: ut sciatur quod per “montes” significantur bona naturalis hominis, ideo dicitur “et montes montes aeris;” “aes” significant bonum naturalis hominis. Apud *Sachariam*,

“Jehovah exibit et pugnabit contra gentes, .... stabunt pedes Ipsius in die illo super Monte Olivarum ante facies Hierosolymae ab oriente, et diffindetur Mons Olivarum, pars ejus versus ortum et versus mare valle magna, et recedet pars montis versus septentrionem, et pars ejus versus meridiem; tunc fugietis per vallem montium meorum, et pertinget vallis montium versus Azal” (xiv. 3-5):

haec dicta sunt de ultimo judicio quod a Domino cum fuit in mundo; nam Dominus, cum fuit in mundo, omnia in caelis et in infernis in ordinem redegit; quare tunc fecit judicium super malos et super bonos: hoc judicium est quod in Verbo Veteris Testamenti intelligitur per “diem indignationis,” “irae,” “excandescentiae,” “vindictae Jehovahe,” ac per “annum retributionum; (de hoc judicio videatur in opusculo *De Ultimo Judicio*, n. 46;) quod de adventu Domini, ac de judicio tunc in eo capite agatur, patet ab his verbis ibi,

“Tunc veniet Jehovah Deus meus, omnes sancti Tecum; et erit in die illo non lux, splendor et cōruscatio; et erit dies unus qui notus erit Jehovah, non dies nec nox, quia circa tempus vesperae erit lux” (vers. 5-7):

“tempus vesperae” est ultimum tempus ecclesiae, quando judicium; tunc “vespera” est malis sed “lux” bonis. Dum haec primum sciuntur, patet dein per sensum spiritualem quid singula ibi significant: nempe, per “Jehovah exibit et pugnabit contra gentes” significatur ultimum judicium super malos; “exire et pugnare” est facere judicium, et “gentes” sunt mali: per “stabunt pedes Ipsius super Monte Olivarum ante facies Hierosolymae ab oriente” significatur quod ex Divino Amore per Divina vera procedentia ex Divino Bono Ipsius, “Mons” enim “Olivarum,”

cum de Domino, significat Divinum Amorem, "Hierosolyma" ecclesiam quoad vera, et inde Divina vera ecclesiae, et "oriens" Divinum Bonum: per "diffindetur Mons Olivarum, pars ejus versus ortum et versus mare valle magna," significatur separatio illorum qui in bono sunt ab illis qui in malo; "Mons" enim "Olivarum," ut dictum, est Divinus Amor, "ortus" est ubi illi qui in Divino Bono, et "mare" est ubi illi qui in malo, mare enim in plaga occidentali in mundo spirituali separat: per "recedet pars montis versus septentrionem et pars ejus versus meridiem" significatur separatio illorum qui in falsis mali ab illis qui in veris boni; "septentrio" est ubi illi qui in falsis mali, quia in tenebris, et "meridies" ubi illi qui in veris boni, quia in luce: per "tunc fugietis per vallem montium meorum" significatur quod tunc qui in veris ex bono sunt eripientur; "fugere" significat eripi, "vallis montium" significat ubi illi qui in cognitionibus veri et inde in veris ex bono sunt, nam in vallibus habitant illi qui in cognitionibus veri, et super montibus illi qui in bono: "et pertinget vallis montium usque ad Azal" significat separationem a falsis mali, nam "Azal" significat separationem et liberationem. Quoniam "Mons Olivarum" qui erat ante Hierosolymam ab oriente significabat Divinum Amorem, et "Hierosolyma ab oriente" Divinum Verum procedens ex Divino Bono (ut supra memoratum est), ideo Dominus ex solito commoratus est super illo monte, ut patet apud *Lucam*,

Jesus "erat diebus in Templo docens, noctibus vero egrediens pernoctavit in Monte qui dicitur Olivarum" (xxi. 37; cap. xxii. 39: *Joh.* viii. 1):

ac ibi locutus est cum discipulis de adventu suo et consummatione saeculi, hoc est, de ultimo judicio

(*Matth.* xxiv. 3, seq.; *Marc.* xiii. 3, seq.):

et quoque inde ivit Hierosolymam, et passus

(*Matth.* xxi. 1; cap. xxvi. 30: *Marc.* xi. 1; cap. xiv. 26: *Luc.* xix. 29, 37; cap. xxi. 37; cap. xxii. 39):

et per hoc significabatur quod omnia ex Divino Amore egerit, "Mons" enim "Olivarum" illum significabat; quicquid enim Dominus in mundo fecit, hoc repraesentabat, et quicquid locutus est, significabat. Quod in repraesentativis et significativis fuerit, cum in mundo, erat causa, ut in

ultimis caeli et ecclesiae et simul in primis eorum esset, et sic ultima ex primis, et sic intermedia omnia ex primis per ultima, regeret et disponeret; repraesentativa et significativa sunt in ultimis.

[e.] Quoniam "mons" significabat bonum amoris, et cum de Domino, Divinum Bonum Divini Amoris, et ex illo Bono procedit Divinum Verum, ideo Jehovah, hoc est, Dominus, descendit super Montem Sinai, et promulgavit Legem; legitur enim quod

Descenderit super illum montem ad caput montis (*Exod. xix. 20*; cap. xxiv. [16,] 17); et quod promulgaverit Legem ibi (*Exod. xx.*):

inde etiam per "Sinai" in Verbo significatur Divinum Verum ex Divino Bono, similiter per "Legem" ibi promulgata. Et ideo quoque

Dominus assumpsit Petrum, Jacobum et Johannem in montem altum, cum transformatus (*Matth. xvii. 1*; *Marc. ix. 2*);

et cum transformatus, apparuit in Divino Vero ex Divino Bono, nam "Facies Ipsius quae sicut Sol" repraesentabat Divinum Bonum, ac "Vestis quae sicut Lux" Divinum Verum, ac "Moses et Elias," qui apparuerunt, significabant Verbum, quod est Divinum Verum ex Divino Bono. Quoniam "mons" significabat bonum amoris, et in supremo sensu Divinum Bonum, et ex Divino Bono procedit Divinum Verum, ideo Mons Zionis aedificatus est supra Hierosolymam, et per "Montem Zionis" in Verbo significatur ecclesia quae in bono amoris in Dominum est, et per "Hierosolymam" ecclesia quae in veris ex illo bono, seu ecclesia quoad doctrinam: ideo etiam Hierosolyma vocatur "mons sanctitatis," et quoque "collis;" nam per "montem sanctitatis" significatur bonum spirituale, quod in sua essentia est verum ex bono, similiter ac per "collem," ut constare potest ex sequentibus his locis:—Apud *Esaiam*,

"Fiet in posteritate dierum [stabilis] erit mons [domus] Jehovah in caput montium, et elatus prae collibus; unde confluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi, et dicent, Ite, ascendamus ad montem Jehovah, ad domum Dei Jacobi" (ii. 2, 3):

apud eundem,

"In die illo clangetur buccina magna, et venient pereuntes in terra Aschuris, et expulsi in terra Aegypti, et incurvabunt se Jehovah in monte sanctitatis in Hierosolyma" (xxvii. 13):

*apud Joelem,*

“Clangite buccina<sup>[1]</sup> in Zione, et vociferamini in monte sanctitatis” (ii. 1):

*apud Danielem,*

“Revertatur ira tua et excandescens tua a civitate tua Hierosolyma, monte sanctitatis tuae” (ix. 16):

*apud Esaiam,*

“Adducent omnes fratres vestros ex omnibus gentibus...Jehovae....ad montem sanctitatis meae Hierosolymam” (lxvi. 20):

*apud eundem,*

“Qui confidet in Me possidebit in hereditatem terram, et hereditario accipiet montem sanctitatis meae” (lvii. 13):

*apud Ezechielem,*

“In monte sanctitatis meae, in monte altitudinis Israelis,...servient Mihi omnis domus Israelis, tota in terra” (xx. 40):

*apud Micham,*

“In extremitate dierum erit mons domus Jehovahe constitutus in caput montium, et elatus praecollibus, et confluent ad illum populi” (iv. 1, 2):

*praeter alibi pluries ubi “Mons sanctitatis,” “Mons Zionis,” et “Mons Jehovahe” nominatur:*

Ut ubi “Mons sanctitatis” (*Esai.* xi. 9; *cap.* lvi. 7; *cap.* lxv. 11, 25: *Jerem.* xxxi. 23: *Ezech.* xxviii. 14: *Dan.* ix. 20; *cap.* xi. 45: *Joel* ii. [8]<sup>1</sup>; *[cap.] iv.* [B. A. iii.] 17: *Obad.* vers. 16: *Zeph.* iii. 11: *Sach.* viii. 3: *Psalm.* xv. 1; *Ps.* xlivi. 3):

Et ubi nominatur “Mons Zionis” (*Esai.* iv. 5; *cap.* viii. 18; *cap.* x. 12; *cap.* xviii. 7; *cap.* xxiv. 23; *cap.* xxix. 8; *cap.* xxxi. 4; *cap.* xxxvii. 32: *Joel*, *cap.* ii. 32 [B. A. iii. 5]: *Obad.* vers. 17, 21: *Mich.* iv. 7: *Thren.* v. 18: *Psalm.* xlvi. 12 [B. A. ii.]; *Ps.* lxxiv. 2; *Ps.* lxxviii. 68; *Ps.* cxxv. 1).

Quoniam “Mons Zionis” significabat Divinum Bonum, et ecclesiam quoad illud, ideo dicitur apud *Esaiam*,

“Mittite [agnum] <sup>[3]</sup>Dominatoris terrae de petra versus desertum ad montem filiae Zionis” (xvi. 1):

*et in Apocalypsi,*

“Agnus stans super Monte Zionis, et cum Eo centum quadraginta quatuor millia” (xiv. 1).

Ex his quoque constare potest unde est quod nova Hierosolyma, in qua Templum, visa sit Ezechieli constructa super monte alto, de qua ita apud illum :

“In visionibus Dei deductus sum super terram Israelis, demisit me super montem altum valde, super quo quasi structura urbis a meridie” (*[Ezech.] xl.* 2);

de quibus postea in capitibus quae sequuntur, multis agitur.  
Apud *Davidem*,

"Magnus Jehovah et collaudatus valde in civitate Dei nostri, in monte sanctitatis suae; pulcher tractu, gaudium totius terrae Mons Zionis, latera septentrionis, civitas Regis magni; Deus in palatiis ejus notus, tanquam refugium" (Ps. xlvi.ii. [2.] 3, 4 [B. A. 1-3]):

per haec describitur cultus Domini ex veris quae ex bono; cultus Ipsius ex veris et bonis spiritualibus, et amoenum animae inde, significatur per "Magnus est Jehovah et collaudatus valde in civitate Dei nostri, in monte sanctitatis suae, pulcher tractu;" cultus intelligitur per "magnus esse" et "collaudatus valde," verum spirituale quod ex bono spirituali per "in civitate Dei nostri, monte sanctitatis suae," et amoenum animae inde per "pulcher tractu;" cultus Domini ex bonis et veris caelestibus describitur per "gaudium totius terrae mons Zionis, latera septentrionis, civitas Regis magni;" cultus ex bono caelesti intelligitur per "gaudium totius terrae, Mons Zionis;" et vera ex illo bono intelliguntur per "latera septentrionis, civitatem Regis magni" ("latera septentrionis" sunt vera ex bono caelesti, et "civitas Regis magni" est doctrina veri inde): quod vera sint illis, qui in bono caelesti sunt, inscripta, significatur per "Deus in palatiis ejus notus." Quod "latera septentrionis" significant vera ex bono caelesti, est quia illi qui in regno caelesti Domini sunt, in caelo habitant in oriente, et illi qui in veris ex illo bono sunt, versus septentrionem ibi. Apud *Esaiam*,

Lucifer "tu dixisti in corde tuo, caelos ascendam, supra stellas Dei exaltabo thronum meum, et sedebo in monte conventus, in lateribus septentrionis" (xiv. 13):

per "Luciferum" intelligitur Babel, ut patet ex antecedentibus et consequentibus in eo capite; amor imperandi ejus super caelum et ecclesiam describitur per quod "ascendet caelos, et super stellas Dei exalabit thronum suum," per quae intelligitur affectatio dominii super caelos illos qui constituunt regnum spirituale Domini, nam vera ac cognitiones veri apud illos apparent sicut stellae; et per quod "sedebit in monte conventus, lateribus septentrionis," significatur super caelos qui constituunt regnum caeleste Domini, nam "mons conventus et latera septentrionis" sunt bona et vera ibi (ut supra). Quia Mons Zionis et Hierosolyma ad

formam caeli, quantum fieri potuit, aedificata sunt, constare potest quid significatur per verba apud *Davidem* supra allata, "Mons Zionis, latera septentrionis, civitas Regis magni," et per verba apud *Esaiam*, "Mons conventus in lateribus septentrionis." Apud *Esaiam*,

Sanckeribus Rex Aschuris dixit, "Per multitudinem currus mei ego ascendam altitudinem montium ad latera Libani, ubi exscindam proceritatem cedrorum ejus, electionem abietum ejus" (xxxvii. 24):

per haec in sensu interno describitur fastus illorum qui per ratiocinationes ex falsis destruere volunt bona et vera ecclesiae; "rex Assyriae" significat rationale perversum; "multitudo currus ejus" significat ratiocinationes ex falsis doctrinae; "ascendere altitudinem montium, latera Libani, et exscindere proceritatem cedrorum ejus, et electionem abietum ejus," significat conatum destruendi bona et vera ecclesiae tam interna quam externa; "montes" sunt bona ecclesiae, "latera Libani" sunt ubi illa conjuncta sunt veris, "Libanus" est ecclesia spiritualis, ac "cedri" sunt vera ejus interna quae ex bono, et "abietes" sunt vera ejus externa etiam ex bono: haec per illa verba intelliguntur in sensu spirituali, proinde in caelo. "Mons" et "montes" etiam significant bona amoris et charitatis in sequentibus his locis:—Apud *Davidem*,

Jehovah "qui obtegit caelos nubibus, qui praeparat terrae pluviam, qui germinare facit montes gramen" (cxlviij. 8):

per "nubes," quibus Jehovah obtegit caelos, significantur externa vera, qualia sunt in sensu litterae Verbi, nam quae in illo sensu sunt, in Verbo vocantur "nubes," et quae in sensu interno "gloria;" per "caelos" intelliguntur interna vera, quia in illis sunt qui in caelis; per "pluviam" quam terrae praeparat, significatur influxus veri ("terra" est ecclesia, et inde illi ibi qui recipiunt verum, nam ex illis est ecclesia); per "montes" quos germinare facit gramen, significantur bona amoris, et inde illi qui in bonis amoris sunt; "gramen" significat nutritionem spiritualem, quae est illis, nam intelligitur gramen pro bestiis, ac "bestiae" significant affectiones boni naturalis hominis.

[f.] Apud *Mosen*,

"Josepho dixit, Benedicta a Jehovah terra" Josephi, "de pretiosis caeli, de rore, de abyssu jacente infra, . . . de primitiis montium orientis, et de pretiosis collium saeculi" (*Deutr.* xxxiii. 13—15):

haec est benedictio Josephi, seu tribus a Josepho nominatae, a Mose; et haec benedictio dicta est illi quia per "Josephum" significatur regnum spirituale Domini, et ibi id caelum quod proxime communicat cum regno caelesti Domini: per "terram Josephi" intelligitur id caelum, et quoque ecclesia quae ab illis qui erunt in illo caelo: per "pretiosa caeli," per "rorem," et "abyssum jacentem infra," significantur Divina spiritualia et spiritualia naturalia ex origine caelesti; per "pretiosa caeli" Divina spiritualia, per "rorem" spiritualia communicantia, et per "abyssum jacentem infra" spiritualia naturalia: per "primitias montium orientis" et per "pretiosa collum saeculi" significantur genuina bona tam amoris in Dominum quam charitatis erga proximum; "montes orientis" sunt bona amoris in Dominum, "primitiae" sunt genuina, et "colles saeculi" sunt bona charitatis erga proximum. Qui non scit quid per Josephum et ejus tribum repraesentatur, et praeterea quid per "rorem," "abyssum jacentem infra," "montes orientis," et "colles saeculi," [significatur,] vix aliquid sciet quid talia verba involvunt, et in genere vix aliquid sciet quid significant omnia illa quae de tribibus Israelis a Mose in toto illo capite dicta sunt, et quid a patre Israele, cap. xlix. *Genes.* Apud *Matthaeum*,

"Vos estis lux mundi; non potest <sup>[1]</sup>urbs quae in monte exposita est, occulta esse" (v. 14):

haec ad discipulos, per quos intelligitur ecclesia quae in veris ex bono; quare dicitur "Vos estis lux mundi:" "lux mundi" est verum ecclesiae; quod id non sit nisi sit ex bono, significatur per "non potest <sup>[1]</sup>urbs quae in monte exposita est occulta esse;" "<sup>[1]</sup>urbs in monte" est verum ex bono. Apud eundem,

"Si fuerint alicui centum oves, et erraverit una ex illis, nonne relinquet nonaginta novem in montibus, abiens quererit errantem?" (xviii. 12 :)

dicitur "Nonne relinquet nonaginta novem in montibus," quia per "oves in montibus" significantur qui in bono amoris et charitatis sunt; per "errantem" autem significatur qui non in illo est, quia ex ignorantia in falsis; nam ubi falsum est ibi non bonum, quoniam bonum est veri. Apud *Evangelistas*,

"Quando videritis abominationem devastationis, quae dicta est a Daniele Prophetae, . . . tunc qui in Iudea fugiunto super montes, et qui

super tecto ne descendito in domum" (*Marc.* xiii. 14, 15; *Matth.* xxiv. [15,] 16[, 17]; *Luc.* xxi. 21):

describitur in iis capitibus a Domino successiva vastatio ecclesiae, sed describitur per meras correspondentias: "cum videritis abominationem devastationis" significat cum discipuli, hoc est, illi qui in veris ex bono, percipiunt devastari ecclesiam, quod fit quando non amplius verum est qui non bonum, seu non fides quia non charitas: "tunc qui in Iudea fugiunto super montes" significat quod qui ab ecclesia Domini sunt permansuri sint in bono amoris; per "Iudeam" significatur ecclesia Domini, et per "montes" bona amoris, "fugere" in illos est in illis manere: "qui super tecto ne descendito in domum" significat qui in genuinis veris maneat in illis; "domus" significat hominem quoad omnia interiora quae mentis ejus sunt, et inde "tectum domus" significat intelligentiam quae ex genuinis veris, ita quoque genuina vera per quae intelligentia. Si non sensus spiritualis illustraret singula quae in illis capitibus apud *Evangelistas* a Domino dicta sunt, vix sciretur aliquid quod ibi continetur; ita quid foret quod "qui super tecto ne descendat in domum," et alibi, quod "qui in agro ne revertatur retro ad tollendum vestimenta sua;" et plura alia.

[g.] Hactenus ostensum est quod "montes" in Verbo significant bona amoris; et quia pleraque in Verbo etiam oppositum sensum habent, ita etiam "montes," qui in eo sensu significant mala amoris, seu mala quae ex amoribus sui et mundi scaturiunt. In hoc sensu dicuntur montes in sequentibus locis in Verbo:—Apud *Esaiam*,

"Dies Jehovahe Zebaoth veniet super omnem magnificum et altum,.... et super omnes montes altos, et super omnes colles elatos" (ii. 12, 14):

per "diem Jehovahe Zebaoth" intelligitur ultimum judicium, quando mali e montibus et collibus, quos in mundo spirituali occupaverunt, dejecti sunt, ut in initio hujus articuli dictum est: et quia tales super montibus et collibus ante ultimum judicium fuerunt, ideo per "montes et colles" intelliguntur amores et inde mala in quibus fuerunt; per "montes" mala amoris sui, et per "colles" mala amoris mundi. Sciendum est quod omnes qui in amore sui sunt, imprimis qui in amore imperandi, in summa cupidine sint, dum in mundum spiritualem veniunt, in alta loca se efferre,

hoc enim insitum est illi amori; unde etiam in sermonem communem venit dicere, "alto et elato animo esse," et "alta spirare;" ipsa causa quod amori imperandi talis cupido insit, est quia deos se facere volunt, et Deus est in altissimis. Quod "montes et colles" illos amores et inde eorum mala significant, patet; nam dicitur, "Dies Jehovahe Zebaoth veniet super omnem magnificum et altum, et super omnes montes altos et super omnes colles elatos;" quid alioqui foret quod "venturus super montes et colles?" Apud eundem,

"Vox clamantis in deserto, Parate viam Jehovah, complanate.... semitam Dei nostro; omnis vallis extolleatur, et omnis mons et collis humiliabitur" (xl. 3, 4):

etiam ibi de adventu Domini, et de ultimo judicio tunc, agitur; et per "vocem clamantis in deserto, Parate viam Jehovah et semitam Deo nostro," significatur ut praeparent se ad recipiendum Dominum; "desertum" significat ubi non bonum quia non verum, ita ubi nondum ecclesia: per quod "omnis vallis extolleatur, <sup>¶</sup>et omnis mons et collis humiliabitur," significatur quod omnes humiles corde, qui sunt qui in bonis et veris sunt, recipientur, nam qui recipientur a Domino illi extolluntur ad caelum; et per quod "omnis mons et collis humiliabitur" significatur quod omnes elati animo, qui sunt qui in amore sui et mundi sunt, deprimuntur. Apud *Ezechielem*,

"Dabo terram desolationem et vastitatem, ut ccesset superbìa roboris, et desolati sunt montes Israelis, ut non transiens" (xxxiiii. 28):

per haec describitur desolatio et vastatio ecclesiae spirituialis, quam Israelitae repraesentaverunt; Judaei enim representaverunt regnum caeleste Domini, seu ecclesiam caelestem, Israelitae autem regnum spirituale Domini, seu ecclesiam spiritualem: "desolatio et vastatio" hujus significat ultimum illius ecclesiae statum, qui erat quando non verum amplius quia non bonum, seu quando non fides quia non charitas; "desolatio" dicitur de vero quod fidei, et "vastatio" de bono quod charitatis: jaētantia et elatio animi ex falsis quae dicunt esse vera, significatur per "superbiam roboris;" "robur" et "potentia" dicitur de veris ex bono, quia illis est omne robur et omnis potentia; hic autem, quia ex jaētantia et elatione animi, de falsis: quod

non bonum charitatis et fidei amplius sit, significatur per "desolati <sup>[1]</sup>sunt montes Israelis :" quod prorsus non bonum sed malum, significatur per "ut non transiens." Apud eundem,

" Fili hominis, pone facies tuas ad montes Israelis, et propheta contra illos, et dices, Montes Israelis, audite verbum Domini Jehovih; sic dixit Dominus Jehovih montibus et collibus, alveis et vallibus, Ecce Ego adduco super vos gladium " (vi. <sup>[2]</sup>2, 3):

etiam hic per "montes Israelis" significantur mala procedentia ex amore sui et mundi, quae, apud illos qui in ecclesia spirituali sunt, existunt dum illis non amplius bonum vitae, sed malum vitae et inde falsum doctrinae: per "montes, colles, alveos et valles," significantur omnia ecclesiae, tam interiora seu spiritualia quam exteriora seu naturalia; "montes et colles" significant interiora seu spiritualia, "alvei et valles" exteriora seu naturalia: quod perituri per falsa, significatur per "Ecce Ego adduco super vos gladium;" "gladius" est destructio falsi per vera, et in opposito sensu, ut hic, destructio veri per falsa. Apud eundem,

" In die illo, quo veniet Gogus super terram Israelis, . . . contremiscent coram Me pisces maris, et avis caelorum, et fera agri, et omne reptile reptans super terra, et omnis homo qui super faciebus terrae: et evertentur montes, et cadent gradus, et omnis murus in terram cadet; tunc vocabo super eum omnibus montibus meis gladium " (xxxviii. [18,] 20, 21):

quid per omnia haec significatur, videatur supra (n. <sup>[3]</sup>400[c]), ubi explicata sunt; nempe, quid per "Gogum," per "pisces maris," "avem caelorum," "feram agri," "reptile reptans super terra;" et quod per "montes Israelis" significantur bona amoris spiritualis, at hic mala amoris bonis illis opposita. Apud *Micham*,

" Surge, contendere cum montibus, ut audiant colles vocem tuam; audite montes litem Jehovae, et robora fundamenta terrae, quia lis Jehovae cum populo suo, et cum Israele disceptat" (vi. 1, 2):

haec quoque dicta sunt de ecclesia spirituali, quam Israelite separati a Judaeis repreäsentabant; et per "montes" intelliguntur bona charitatis, et per "colles" bona fidei, ibi autem mala et falsa opposita illis bonis; ideo dicitur, "Contende cum montibus, et audiant colles vocem <sup>[4]</sup>tuam :" "robora fundamenta terrae" sunt principia falsi in illa ecclesia; "terra" est ecclesia, et "fundamenta" sunt prin-

cipia super quibus fundantur reliqua: dicitur "cum populo suo, cum Israele," quia per "populum" intelliguntur qui in veris et qui in falsis sunt, et per "Israelem" qui in bonis et qui in malis. Apud *Jeremiam*,

"Ecce Ego contra te, mons perdens, . . . perdens universam terram; et extendam manum contra te, et devolvam te de petris, et dem te in montem combustionis" (li. 25):

haec de Babele dicta sunt, per quam intelliguntur illi qui in falsis mali et in malis falsi ex amore sui sunt, abutuntur enim sanctis ecclesiae pro mediis imperandi: ex illo amore et inde falsis et malis est quod dicatur "mons perdens, perdens universam terram;" "terra" est ecclesia: interitus et damnatio eorum per falsa mali, significatur per "devolvam te de petris;" "petrae" sunt ubi vera fidei, hic falsa mali: ac interitus et damnatio eorum per mala falsi significatur per "dem te in montem combustionis;" "combustio" dicitur de amore sui, quia "ignis" illum significat (videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 566-573). Ex his manifeste patet quod per "montes" significantur mala amoris sui et mundi, nam Babel vocatur "mons perdens" et quod "dabitur in montem combustionis." Apud *Nahum*,

"Montes contremiscunt coram Ipso, et colles liquefiunt, et comburitur tota terra coram Ipso; . . . coram increpatione Ipsius quis consistet?" (i. 5, 6:)

quid haec in serie significant, videatur supra (n. 400<sup>[b]</sup>), ubi singula explicata sunt; et quod "montes et colles" ibi sint mala amoris sui et mundi.

[h.] Apud <sup>[1]</sup>*Micham*,

"Jehovah exiens e loco suo, descendit et calcat super excelsa terrae; unde liquefacti sunt montes sub Ipso, et valles discessae sunt, sicut cera coram igne, sicut aquae effusae in descensu; propter praevaporationes Jacobi omne hoc, et propter peccata domus Israelis" (i. 3-5):

haec quoque dicta sunt de ultimo judicio, et de illis tunc qui super montibus et collibus fecerunt sibi instar caeli (de quibus supra, aliquoties); ultimum judicium intelligitur per "Jehovah exiens e loco suo, descendit et calcat super excelsa terrae;" "super excelsa terrae" significat super illos qui in altis, nempe super quos judicium; nam in mundo spirituali aequae sunt terrae, montes, colles et valles sicut in mundo naturali: interitus eorum qui super

montibus et in vallibus, qui sunt qui in malis ex amore sui et mundi et in falsis inde, significatur per quod "liquefacti sint montes sub Ipso, et valles discissae sunt, sicut cera coram igne, sicut aquae effusae in descensu ;" "montes" significant mala amorum sui et mundi, et "valles" falsa inde ; de malis amorum sui et mundi, quae per "montes" significantur, dicitur quod "liquefacta sint sicut cera coram igne," quoniam "ignis" significat illos amores ; et de falsis quae significantur per "valles," dicitur "sicut aquae effusae in descensu," quoniam "aqua" significant falsa ; quod sit propter mala et falsa, patet, nam dicitur "propter prævaricationem Jacobi omne hoc, et propter peccata domus Israelis." Apud *Jeremiam*,

"Vidi terram, et ecce vacuum et inane ; et versus caelos et non lux eorum ; vidi montes, et ecce commoventur, et omnes colles evertuntur ; vidi cum ecce non homo, et omnis avis caeli avolarent" (iv. 23-25) :

per "commotionem montium" significatur destrucción illorum qui in malis amoris sui sunt, et per "eversionem collum" destrucción illorum qui in malis amoris mundi, et in falsis. (Reliqua videantur explicata supra, n. 280[*b*] et 304[*b*].) Apud *Esaiam*,

Jehovah, "utinam rumperes caelos, descenderes, coram Te montes diffluerent" (lxiii. 19 [*B. A.* lxiv. 1]) :

haec similia cum illis quae supra apud <sup>[1]</sup>*Micham* (cap. i. 3-5) significant, quae explicata sunt. Apud *Davidem*,

"Jehovah, inclina caelos tuos et descende, tange montes ut fumigent, emitte fulmen et disperge illos" (Ps. cxliv. 5, 6) :

per "inclinare caelos et descendere" simile significatur quod supra per "rumpere caelos et descendere," per "exire e loco suo, descendere et calcare excelsa terrae," nempe visitare et judicare : per "tangere montes ut fumigent" significatur per præsentiam destruere illos qui in malis amorum sui et mundi sunt, et inde in falsis ; "fumigare" significat mitti in mala amorum illorum et in eorum falsa, nam "ignis" significat amores illos et "fumus" falsa eorum : per "emitte fulmen et disperge illos" significatur Divinum Verum per quod dissipantur, nam per præsentiam Divini Veri revelantur mala et falsa, et ex collisione tunc apparent sicut fulmina. Apud *Mosen*,

"Ignis accensus est in ira mea, et ardebit usque ad infernum infimum, et comedet terram et proventum ejus, et inflammabit fundamenta montium" (*Deut. xxxii. 22*):

dicitur quod "ignis accensus sit Jehovah in ira sua, qui ardebit usque ad infernum infimum," tametsi Jehovah non aliquis ignis irae est, minus qui ardet ad infernum infimum; nam Jehovah, hoc est, Dominus nulli irascitur et nulli malum facit; quod nec aliquem in infernum dejiciat, videatur in opere *De Caelo et Inferno* (n. 545-550); sed ita in sensu litterae Verbi dicitur quia ita appetit coram homine malo, et quoque coram homine simplici; Verbum enim in littera est secundum apparentiam, quia secundum captum hominum naturalium: at quia angeli, qui spirituales sunt, ipsa vera Verbi non vident appreenter secundum hominis captum, sed spiritualiter, ideo talium verborum sensus inversus est apud illos, qui etiam est sensus internus seu spiritualis, nempe quod amor infernalis apud hominem talis ignis sit, et ardeat usque ad infernum infimum: et quia ille ignis, hoc est, ille amor, omnia ecclesiae apud hominem funditus destruit, ideo dicitur quod "comedet terram et proventum ejus, et inflammabit fundamenta montium;" "terra" est ecclesia, "proventus" est omne ecclesiae, "fundamenta montium" sunt vera super quibus fundantur bona amoris, quae "inflammari" dicuntur ab igne amoris sui et mundi.

Apud *Davidem*,

"Concussa est et commota terra, et fundamenta montium contremuerunt et commoverunt se, quando exarsit illi" (*Ps. xviii. 8 [B. A. 7]*):

per haec similia intelliguntur; sed quae singillatim explicata videantur supra (n. 400[*δ*] ). Apud eundem,

"Deus nobis refugium, . . . propterea non timebimus, cum mutabitur terra, et cum commovebuntur montes in corde marium; tumultuantur, turbabuntur aquae ejus, contremiscent montes in exaltatione ejus" (*Ps. xlvi. 2-4 [B. A. 1-3]*):

haec quoque explicata videantur prius (n. 304[*ε*] ); ibi quoque quid significatur per quod "montes commovebuntur in corde marium," et quod "montes contremiscent in exaltatione," nempe quod mala amorum sui et mundi perstrinent secundum incrementa. Apud *Esaiam*,

"Ira Jehovah contra omnes gentes, et excandescientia contra omnem exercitum earum; devovit eas, tradidit eas ad mactationem, ita ut confossi earum projiciantur, et cadaverum earum ascendet putor: et liquefiant montes a sanguine earum" (*xxxiv. 2, 3*):

haec dicta sunt de ultimo judicio; et per "iram Jehovae contra omnes gentes" et per "excandescientiam Ipsiū contra omnem exercitum earum" significatur interitus et damnatio omnium qui in malis et inde falsis sunt ex proposito et ex corde; "gentes" significant mala illa, et "exercitus" significat omnia falsa inde: quod damnandi sunt et quod perituri qui in illis, significatur per "devavit eas, et tradidit eas ad maſtationem;" damnatio eorum qui perituri per falsa, significatur per quod "confossi eorum projicientur;" "confossi" in Verbo dicuntur qui perierunt per falsa, et "projici" significat damnari: damnatio eorum qui perituri per mala, significatur per quod "cadaverum earum ascendet putor;" "cadavera" in Verbo dicuntur qui perierunt per mala, et "putor" significat damnationem eorum: quod "montes liqueſcent sanguine earum" significat quod mala amorum apud illos falsis referta sint; "montes" sunt mala amorum sui et mundi, "sanguis" est falso. Apud eundem,

"Vastabo montes et colles, et omnem herbam eorum arefaciam, et ponam fluvios in insulas, et stagna exsiccabo" (xlvi. 15):

per "vastare montes et colles" significatur perdere omne bonum amoris in Dominum et erga proximum: per "arefacere omnem herbam" significatur inde perdere omnia vera; "herba" significat vera ex bono nascentia: per "ponere fluvios in insulas, et exsiccare stagna," significatur annihilare omnem intellectum et perceptionem veri; "fluvii" significant intelligentiam quae est veri, "insulae" ubi non intelligentia, "stagna" significant perceptionem veri; intellectus veri est ex luce veri, perceptio autem veri est ex calore seu amore veri. Apud eundem,

"Ecce" Jacob, "posui te in tribulam tribulae recentis, praeditae aculeis, tritores montes et conteras, et colles sicut glumam ponas; disperses eos ut ventus auferat eos et procella dissipet eos" (xli. 15, 16):

per "Jacobum" intelligitur ecclesia externa quoad bonum et verum, et inde quoque bonum et verum externum, quod bonum et verum est ex sensu litterae Verbi; in his sunt illi qui ab ecclesia externa: quod haec comparentur "tribulae recenti praeditae aculeis" est quia tribula excutit triticum, hordeum et reliqua messis ex spicis, et per illa significantur bona et vera ecclesiae (videatur supra, n. 374. 375[*a,b*] ); hic

itaque quod comminuet et conteret mala et falsa; quare dicitur, "tribula praedita aculeis, ut tritores montes et conteras, et colles sicut glumam ponas," per quae significatur destructio malorum oriundorum ex amore sui et mundi, et quoque falsorum inde; et quoque dicitur, "disperges eos ut ventus auferat eos et procella dissipet eos," per quae significatur quod sicut nihili erunt; "ventus" et "procella" dicitur, quia intelliguntur falsa et mala, nam "ventus" dicitur de veris et in opposito sensu de falsis, et "procella" de malis falsi. Apud eundem,

"Montes recessent, et colles dimovebuntur, sed misericordia mea a tecum non recedet" (liv. 10):

quod "montes recessent et colles dimovebuntur" non intellegitur quod illi montes et colles qui in tellure sunt, recessuri sint et dimovebuntur, sed illi qui in malis amoribus et inde falsis sunt; agitur enim in eo capite de gentibus, a quibus nova ecclesia formanda est; quare per "montes et colles" in specie intelliguntur qui a priori ecclesia, proinde Judaei, apud quos mera mala falsi et falsa mali fuerunt, ex causa quia in amoribus sui et mundi. Apud *Zeremiam*,

"Propter montes tollam fletum et lamentum, et propter habitacula deserti lamentationem, quia vastata sunt, ut non sit vir transiens" (ix. 9 [B. A. 10]):

"montes" super quos fletus et lamentum, sunt mala omnis generis scaturientia ex binis amoribus supra memoratis; et per "habitacula deserti" significantur falsa inde, nam per "desertum" significatur ubi non bonum quia non verum, et per "habitacula" ubi illa; hic itaque "habitacula deserti" sunt falsa ex malis supradictis: quod prorsus non aliquod bonum et verum sit, intelligitur per quod "vastata sint, ut non sit vir transiens;" solenne est in Verbo dicere, ubi de vastatione, "ut non sit vir transiens," et per id significatur quod amplius non aliquod verum, et inde non aliqua intelligentia. Quod non sint montes et habitacula deserti, super quae fletus et lamentum, patet. Apud eundem,

"Oves perdite fuerunt populus meus, pastores eorum seduxerunt eos, montes averterunt, de monte super colle iverunt, oblitii sunt cubilis sui" (l. 6):

apud *Ezechielem*,

"Oberrant oves meae in omnibus montibus et super omni colle alto, et super omnes facies terrae dispersae sunt oves meae, et non inquirens nec quaerens" (xxxiv. 6):

quod oves "de monte super colle iverint," et quod "oberrent super omnibus montibus et super omni colle alto," significat quod quaerant bona et vera, sed non inveniant, et quod loco eorum mala et falsa arripiant; quod "montes se averterint" significat quod pro bonis sint mala. Apud <sup>[1]</sup>*Jeremiam*,

"Date Jehovae Deo <sup>[2]</sup>vestro gloriam, antequam tenebras inducat, et antequam offendant pedes <sup>[3]</sup>vestri ad montes crepusculi" (xiii. 16):

per haec significatur quod agnoscendum sit Divinum Verum, ne falsa et inde mala e naturali homine irrumpant: "dare Deo gloriam" significat agnoscere Divinum Verum; "gloria" in Verbo significat Divinum Verum, et hoc agnoscere et vivere secundum id est gloria quam vult Dominus, et quae datur Ipsi: "antequam tenebras inducat" significat ne falsa occupent; "tenebrae" sunt falsa: "et antequam offendant pedes <sup>[3]</sup>vestri ad montes crepusculi" significat ne inde mala e naturali; "montes crepusculi" sunt mala falsi, nam "montes" sunt mala, ac "crepusculum" est cum non videtur verum sed loco ejus falsum, ac "pedes" significant naturalem hominem; in naturali enim homine sunt omnia mala et inde falsa, quoniam ille ex hereditario secum fert amare se p<sup>r</sup>ae Deo et mundum p<sup>r</sup>ae caelo, ac mala eis amoribus adhaerentia ex parentibus; haec mala et inde falsa non removentur nisi per Divinum Verum et vitam secundum illud; per haec aperitur mens superior seu interior hominis, quae videt ex luce caeli, et per hanc lucem discutit Dominus mala et inde falsa quae in mente naturali sunt. (Quod "pedes" significant naturalem hominem, videatur supra, n. 65, 69; et in *Arcanis Caelestibus*, n. 2162, 3147, 3761, 3986, 4280, 4938-4952.)

[i.] Apud *Evangelistas*,

Jesus dicit discipulis, "Habete fidem Dei; amen dico vobis, quicunque dixerit monti..., Tollere et projice te in mare, nec dubitaverit in corde suo, sed crediderit quod quae dicit futura sint, fiet illi quae dixit" (*Marc.* xi. 22, 23; *Matth.* xvii. 20):

qui non scit arcana caeli, et sensum spiritualem Verbi, credere potest quod Dominus haec locutus sit non de fide salvante, sed de alia fide quam vocant historicam et miraculosam; sed illa locutus est Dominus de fide salvante, quae

fides unum facit cum charitate, et omnis est a Domino; quapropter vocat Dominus fidem hanc "fidem Dei;" et quia Dominus per hanc fidem, quae est fides charitatis ab Ipso, removet omnia mala scaturientia ex amoribus sui et mundi, et illa dejicit in infernum unde sunt, quare dicit, quod "si dixerit monti, Tollere et projice te in mare, fiet quae dixit;" per "montem" enim significantur mala illorum amorum, et per "mare" significatur infernum; inde per "dicere monti, Tollere," significatur removeri illa, et per "projici in mare" significatur dejici in infernum unde sunt: ex hac significatione "montis" et "maris" hoc apud antiquos in communem sermonem venit, cum de fidei potentia sermo fuit; non quod montes in tellure possunt per illam projici in mare, sed mala quae ab inferno possunt. Etiam montes in spirituali mundo, super quibus habitant mali, solent per fidem, quae a Domino, everti et projici; nam cum mala apud illos projiciuntur, etiam projiciuntur montes super quibus habitant, ut supra aliquoties dictum est, et quoque mihi saepe visum. Quod non alia fides quam fides charitatis a Domino hic intelligatur, patet a continuato sermone Domini apud *Marcum*, ubi dicitur,

"Propterea dico vobis, omnia quaecunque precantes petitis, credite quod accepturi sitis, tunc fiet vobis: cum vero steteritis orantes, dimittite si quid habetis contra quemquam, ut etiam Pater vester, qui in caelis, dimittat vobis lapsus vestros; si vero vos non dimiseritis, neque Pater vester, qui in caelis, dimittet lapsus vestros" ([xi.] vers. 24-26):

ex quibus patet quod "fides Dei," de qua Dominus ibi loquitur, sit fides charitatis, hoc est, fides quae unum facit cum charitate, et inde quae omnis est a Domino: praeterea Dominus illa dixit ad discipulos cum crediderunt quod miracula possent facere ex sua fide, ita a se, cum tamen illa fiunt a fide quae a Domino, ita a Domino (ut quoque patet apud *Matthaeum*, cap. xvii. 19, 20, ubi similia dicta sunt). Quoniam "montes" significabant bona amoris caelestis, et "colles" bona amoris spiritualis, ideo antiqui, apud quos ecclesia repraesentativa fuit, cultum suum Divinum habuerunt super montibus et collibus, et ideo Zion super monte fuit ac Hierosolyma super montanis infra illum. Ne itaque Judaei et Israelitae, qui idololatriae dediti erant, verterent cultum Divinum in cultum idololatricum, mandatum illis est ut solum in Hierosolyma

haberent cultum, et non alibi ; sed quia corde idololatiae fuerunt, non contenti erant cultum habere in Hierosolyma, sed secundum morem gentium ab antiquis tractum, cultum fecerunt super montibus et collibus quibuscumque, et ibi sacrificarunt et suffierunt ; quapropter quia id idololatricum fuit apud illos, per cultum eorum super montibus et collibus aliis significatur cultus ex malis et falsis ; ut in sequentibus his locis :—Apud *Esaiam*,

“Super monte alto et elato posuisti cubile tuum, etiam eo ascendisti ad sacrificandum sacrificia” (lvii. 7) :

apud *Hoscheam*,

“Super verticibus montium sacrificant, et super collibus suffiunt” (iv. 13) :

apud *Feremiam*,

“Aversa Israel abiens super omnem montem altum, et sub omni arbore viridi, et scortabaris” (iii. 6) ;

per “scortari” significatur falsificare cultum. Quod hoc idololatricum fuerit, patet ex his apud *Mosen*,

“Perdetis loca ubi serviverunt gentes . . . diis suis, super montibus [excelsis], et super collibus, et sub omni arbore viridi” (*Deutr.* xii. 2) :

in his itaque locis per cultum super montibus et collibus significatur cultus ex malis et falsis. Ex hoc etiam derivatum est quod gentiles in Graecia Heliconem posuerint in alto monte, et Parnassum in colle infra illum, et ibi deos et deas suas habitare crediderint ; hoc derivatum est ab antiquis in Asia, et praecipue in terra Canaane non inde remota, apud quos omnis cultus ex repraesentativis constabat. Dicitur apud *Evangelistas*

Quod diabolus assumpserit Jesum super montem altum, et monstraverit Ipsi omnia regna mundi et gloriam, ac tentaverit Ipsum ibi (*Matt.* iv. 8; *Luc.* iv. 5) :

per hoc significatur quod diabolus tentaverit Dominum per amorem sui, hic enim significatur per “montem altum ;” tres enim tentationes descriptae in illis locis significant et involvunt omnes tentationes quas Dominus sustinuit cum in mundo fuit ; Dominus enim per tentationes ab infernis in Se admissas, et per victorias tunc, rededit omnia in infernis in ordinem, et quoque Humanum suum glorificavit, hoc est, Divinum fecit. Quod omnes tentationes Domini tam paucis descriptae fuerint, est quia non aliter revelavit

illas ; sed usque in interno sensu Verbi describuntur ample. (Verum de temptationibus Domini videantur quae in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 201, 293, 302, allata sunt.)

**406[a].** Haec tenus ostensum est quid significat "mons ;" sequitur ut ostendatur quid significat "insula," nam dicitur, "Omnis mons et insula e locis suis emota sunt ;" et alibi,

"Omnis insula fugit, et montes non inventi sunt" (*Apoc.* xvi. 20).

Per "insulas" in Verbo non intelliguntur insulae, nec illi qui habitant super insulis, sed intelligitur naturalis homo quoad vera quae in illo, et inde abstracte significantur vera naturalis hominis. Vera naturalis hominis sunt vera scientifica, quae sub intuitione rationalis hominis sunt, et sunt cognitiones veri, quae sub intuitione spiritualis hominis sunt ; cognitiones veri sunt quae scit naturalis homo ex Verbo, et vera scientifica sunt quae videt naturalis homo ex rationali, per quae etiam solet confirmare vera ecclesiae. Sunt apud hominem binae mentes ; una superior seu interior, quae mens spiritualis vocatur, et altera inferior seu exterior, quae mens naturalis vocatur. Mens naturalis primum apud homines aperitur et excolitur, quia haec proxime exstat mundo ; mens autem spiritualis postea aperitur et excolitur, sed quantum homo vita recipit cognitiones veri quae ex Verbo seu ex doctrina e Verbo ; quare non aperitur apud illos qui non applicant illas vitae. Et cum aperitur mens spiritualis, tunc influit lux caeli per illam mentem in naturalem et illustrat eam, ex quo haec mens fit spiritualis naturalis ; nam tunc videt mens spiritualis in naturali paene sicut homo faciem suam in speculo, et agnoscit illa quae concordant secum. At cum spiritualis mens non aperta est, ut fit apud illos qui non vitae suaee applicant cognitiones veri et boni quae in Verbo, tunc formatur usque mens apud illum interius in naturali, sed haec mens consistit ex meritis falsis et malis, ex causa quia mens spiritualis non aperta est, per quam lux caeli immittitur in naturale per viam rectam, sed solum per rimas circumcirca ; unde ei facultas cogitandi, ratiocinandi et loquendi, et quoque facultas intelligendi vera, sed usque non facultas amandi illa, seu ex affectione faciendi illa ; nam facultas amandi vera quia vera sunt datur solum per influxum lucis caeli per spiritualem mentem : lux enim

caeli per spiritualem mentem conjuncta est cum calore caeli, qui est amor, qualis est comparative lux mundi tempore veris; at lux caeli influens per rimas in naturale, est lux separata a calore caeli, qui est amor, qualis est comparative lux mundi tempore hiemis. Inde patere potest quod homo, apud quem spiritualis mens aperta est, sit sicut hortus et paradisus; et quod homo, apud quem spiritualis mens non aperta est, sit sicut solitudo, et sicut terra nive obiecta. Quoniam mens facit hominem, mens enim ejus est intellectus et voluntas, inde idem est sive dicas mentem sive hominem, ita sive dicas mentem spiritualem et naturalem sive dicas hominem spiritualem et naturalem.

[*b.*] Mens naturalis seu homo naturalis quoad vera ejus et quoad falsa ejus significatur per "insulas" in Verbo; quoad vera apud illos apud quos spiritualis mens aperta est, et quoad falsa apud illos apud quos spiritualis mens occlusa est. Quod illa significantur per "insulas," constare potest ex sequentibus locis in Verbo:—Apud *Ezechielem*,

"Sic dixit Dominus Jehovih Tyro, Nonne ob sonum casus tui, cum gemet confossus, cum peragetur caedes in medio tui, contremiscant insulae? et descendant [<sup>1</sup>]desuper thronis suis omnes principes maris:....contremiscant insulae die casus tui, et perturbabuntur insulae quea in mari ob exitum tuum. .... . . . Omnes habitatores insularum obstupuerunt super te, et reges earum cohoruerunt horrore; turbatae sunt facies" ejus (xxvi. 15, 16, 18; cap. xxvii. 35):

agitur in binis illis capitibus de Tyro, per quam significatur ecclesia quoad cognitiones veri et boni, et inde significantur cognitiones veri et boni abstracte; et primum ibi agitur de intelligentia et sapientia hominum ecclesiae per cognitiones veri et boni ex Verbo, et postea de ecclesia vastata quoad illas. Ecclesia vastata quoad illas, seu ubi cognitiones veri et boni perierunt, describitur per illa quae apud Prophetam in illis versibus: vastatio cognitionum veri et boni per "cum gemet confossus, et cum peragetur caedes in medio tui;" per "confosso" enim intelliguntur illi apud quos extincta sunt vera, et per "caedem" intelligitur ipsa extincio veri et boni: quod tunc omnes cognitiones quas homo hausit ex Verbo ab infantia, et omnia vera scientifica per quae confirmavit illas, perturbentur, emoveantur loco, et recedant, significatur per quod "contremiscant insulae, et descendant desuper thronis suis omnes principes maris," tum per "tremiscent insulae die casus tui, et

perturbabuntur insulae quae in mari ; "insulae" sunt illae cognitiones et illa scientifica quae in naturali homine, "principes maris" sunt primaria ibi ("mare" significat naturalem hominem et omnia ibi in communi) : quod omnia bona veri naturalis hominis ex vastatis cognitionibus veri quoad statum suum mutabuntur, significatur per quod "omnes habitatores insularum obstupuerunt, et reges earum cohorre-runt, turbatae sunt facies ;" "habitatores insularum" sunt bona veri naturalis hominis, per "habitare" enim in Verbo significatur vivere, et per "habitatores" bona vitae ; "reges" sunt omnia vera ex bono ; "facies" significant interiora et affectiones ; "obstupescere," "cohorre" et "turbari," significant prorsus mutari quoad statum. Ex his patet quid illa in sensu interno involvunt, nempe quod omnes cognitiones veri et boni, ac scientifica confirmantia, quae homo ex Verbo et ex magistris ab infantia hausit, mutant sua loca et suum statum in naturali homine, et pereant e conspectu, quando falsa intrant. Apud *Esaiam*,

"Ducet rex Aschuris captivitatem Aegypti, et turbam deportandam Kuschi ; . . . tunc consternabuntur et erubescet ob Kuschum expectationem corum, et ob Aegyptum decus eorum : et dicet habitator insulae hujus in die illo, Ecce sic exspectatio nostra quo fugimus in auxilium, ut eriperemur a coram rege Aschuris, et quomodo liberabimur nos?" (xx. 4-6 :)

nemo aliquid ecclesiae ex his percepturus est, sed modo aliquod obscurum historicum, quod non scitur num extiterit ; ut quod rex Assyriae in captivitatem abducet Aegyptum et Kuschum, et quod habitatores alicujus insulae corde dolerent super id. At usque hic ut alibi de re ecclesiae agitur ; quae res patet cum scitur quod "rex Aschuris" significet rationale perversum, et inde ratiocinationem ex scientificis falsis faventibus jucundo amorum naturalium, super quo dolet naturalis homo quia per id pervertitur : nam per "[<sup>11</sup>]Ducet rex Aschuris captivitatem Aegypti, et turbam deportandam Kuschi," significatur quod rationale perversum sibi addicet scientifica naturalis hominis, et se confirmabit per illa et per jucunda ejus quibus favent ; "rex Aschuris" est rationale perversum, "captivitatem ducere" et "turbam deportare" est per ratiocinationes addicere sibi et confirmare sc, "Aegyptus" est scientificum naturalis hominis, et "Kusch" est jucundum cui favet : quod bona veri naturalis hominis propter illa doleant, seu quod natu-

ralis homo, in quo sunt bona veri, doleat, significatur per omnia illa quae sequuntur, nempe quod "consternabuntur et erubescunt propter Kuschum exspectationem illorum, et propter Aegyptum decus eorum, et dicet habitator insulae in die hoc," seq.; "habitator insulae" est bonum veri naturalis hominis, seu naturalis homo in quo est bonum veri, "habitator" enim significat bonum, et "insula" verum, utrumque in naturali homine (*ut supra*). Quod talis sensus illis verbis insit, vix creditur, cum tamen inest. Apud eundem,

"Illi extollent vocem suam, jubilabunt, ob magnificentiam Jehovahae clamabunt a mari; propterea in urim honorate Jehovaham, in insulis maris nomen [Jehovae] Dei Israelis" (xxiv. 14, 15):

agitur in eo capite de vastatione ecclesiae, et in his versibus de instauratione ecclesiae novae apud gentes: harum gaudium est quod describitur per quod "extollent vocem suam, jubilabunt, ob magnificentiam Jehovahae clamabunt a mari," seu ab occidente; per "mare" enim, cum per illud intelligitur occidens, significatur naturale, ex causa quia illi qui in occidentali plaga in mundo spirituali habitant, in bono naturali sunt, at in orientali plaga qui in bono caelesti: et quia gentes, ex quibus ecclesia, in bono naturali fuerunt, ideo dicitur "In urim honorate Jehovaham, in insulis maris nomen Dei Israelis," per quae significatur quod adoratur Dominum ex bonis et veris quae in naturali homine; "urim" enim significat ignem et focum, per quos significatur bonum amoris naturalis hominis; "insulae maris" significant cognitiones veri et boni, quae sunt vera naturalis hominis; et "honorare" significat colere et adorare; per "Jehovam" et "Deum Israelis" intelligitur Dominus, qui vocatur "Jehovah" ubi agitur de bono, ac "Deus Israelis" ubi de vero: ideo dicitur "in urim honorate Jehovaham," hoc est, ex bono, et "in insulis maris nomen Dei Israelis," hoc est, ex veris; inde etiam patet quod per "insulas maris" significantur vera naturalis hominis. Apud eundem,

"Non extinguet neque confringet, donec posuerit in terra judicium, et in lege Ejus insulae sperent. . . . Cantate Jehovah canticum novum, laudem Ejus extremitas terrae, descendentes mare, plenitudo ejus, insulae et habitatores <sup>11</sup>[earum. Extollant desertum et urbes ejus, villae quas inhabitat Arabia; cantent habitatores petrae, e capite montium clament; ponant Jehovah gloriam, et laudem Ejus in insulis annuntient]" (xlvi. [4,] 10, 11[12]):

agitur etiam ibi de Domino, et de nova ecclesia ab Ipso instauranda ; et per "insulas" intelliguntur qui solum in veris ex naturali homine, et inde qui remoti adhuc a vero cultu : inde per "donec posuerit in terra judicium, et in lege Ejus insulae sperent," significatur dum intelligentiam dederit illis qui ab ecclesia, et cognitiones veri illis qui remotores ab ecclesia ; "ponere judicium" est dare intelligentiam, "in lege sperare" est dare cognitiones veri ; nam "terra" significat illos qui ab ecclesia, et abstracte ipsam ecclesiam quoad intelligentiam ex veris spiritualibus, et "insulae" illos qui remoti ab ecclesia, et abstracte ecclesiam quoad cognitiones veri et boni, seu ecclesiam quoad vera naturalis hominis correspondentia veris spiritualibus : per "cantate Jehovae canticum novum, laudem Ejus extremitas terrae, descendentes mare, et plenitudo ejus, insulae et habitatores earum," significatur cultus Domini ab illis qui remoti ab ecclesia, et in sensu abstracto cultus naturalis hominis ex veris et bonis ; "cantare canticum" et "laudare" significat cultum ex laeto animo, "extremitas terrae" significat illos qui in ultimis ecclesiae, et in sensu abstracto ultima ejus ; "mare et plenitudo ejus" significant naturalem hominem et omnia quae ibi ; "insulae et habitatores" significant vera et bona naturalis hominis, "insulae" vera ejus et "habitatores" bona ejus (*ut supra*) : quid significatur per "extollant desertum et urbes ejus et villae quas inhabitat Arabia, cantent habitatores petrae, e capite montium clament," vide supra (n. 405[8]), ubi explicata sunt : per "ponant Jehovae gloriam, et laudem Ejus insulae annuntiant" significatur cultus ab internis et externis ; "ponere gloriam" est cultus ab internis, et "annuntiare laudem" est colere ab externis, externa enim annuntiant ; et "insulae" sunt vera naturalis hominis ex quibus cultus. Apud eundem,

"Attendite ad Me, popule mi, et gens mea ad Me advertite aures, nam lex a Mecum exibit, et judicium meum in lucem populorum excitabo ; propinqua justitia mea, exivit salus mea, et brachia mea populos judicabunt ; in Me insulae sperabunt et super brachio meo confidunt" (li. II<sup>1</sup>4, 5) :

haec de Domino ; "attendite ad Me, popule mi, et gens mea advertite aures," significat omnes qui ab ecclesia qui in veris et bonis sunt ; "populus" sunt qui in veris, et "gens" qui in bonis ; dicitur "attendite" et "advertite aures," in

plurali, quia intelliguntur omnes: "lex a Mecum exibit, et judicium meum in lucem populorum excitabo," significat quod ab Ipso Divinum Bonum et Divinum Verum, ex quo illustratio; "lex" significat Divinum Bonum Verbi, et "judicium" Divinum Verum Verbi, "in lucem populorum" significat illustrationem: "propinqua justitia mea, exivit salus mea," significat judicium quando salvantur qui in bono amoris et qui in veris inde sunt; "justitia" dicitur de salvatione illorum qui in bono, die judicii, et "salus" de salvatione illorum qui in veris; "brachia mea populos judicabunt" significat judicium super illos qui ab ecclesia in falsis (hic "populi" in opposito sensu): "in Me insulae sperabunt, et super brachio meo confident," significat accessum illorum ad ecclesiam qui remoti a veris ecclesiae sunt, et eorum fiduciam in Dominum; "insulae" significant illos qui remoti a veris ecclesiae sunt, quia in lumine naturali sunt, et nondum in luce spirituali ex Verbo; et "confidere super brachio Ipsius" significat fiduciam in Dominum cui omnis potentia ("brachium," cum de Domino, est omnipotentia). Apud eundem,

"Audite insulae...., et auscultate populi e longinquu" (xlix. 1):

"insulae" pro illis qui in veris, ac "populi e longinquu" pro illis qui in bonis, et abstracte vera et bona, utraque in naturali homine; "e longinquu" dicitur de bonis quae in naturali homine, "propinquum" autem de bonis quae in spirituali homine; "populi" hic significant bona, quia ex alia voce in lingua originali dicuntur quam "populi" per quos significantur vera; ex hac voce enim denominantur etiam "gentes," per quas significantur bona (ut patet ex voce illa, cap. xxv. <sup>[1]23 Genes.</sup>)

[c.] Apud Jeremiam,

"Audite Verbum Jehovahe gentes, et annuntiate in insulis e longinquu" (xxxi. 10):

"gentes" pro illis qui in bonis, et abstracte pro bonis; ac "insulae" pro illis qui in veris, et abstracte pro veris in naturali homine; "e longinquu" significat remotum ab ecclesiae veris quae sunt spiritualia (quod "e longinquu" id significet, videatur n. 8918); sed illa verba in spirituali sensu puro significant quod internus homo docebit externum, seu spiritualis naturalem totum vera Verbi, hoc enim est

**ut** “gentes annuntient in insulis e longinquo;” sed hic sensus purus, qui est angelis, aegre percipitur ab hominibus, quoniam homines aegre cogitare possunt abstracte a personis et a locis, ex causa quia cogitatio hominum est naturalis, et cogitatio naturalis in eo differt a cogitatione spirituali, quod alligata sit locis et personis et inde est finita prae spirituali; quae etiam causa est quod plura quae explicata sunt, aegre forte cadant in ideas cogitationis illorum qui fixe tenent visum mentis in sensu vocum. Apud *Davidem*,

“Reges Tharschisch et insularum munus adducent, reges Schebae et Sebae munus adferent” (Ps. lxxii. 10):

haec de Domino; et per “munus adducere” et “adferre” intelligitur colere; et per “reges Tharschisch et insularum” intelliguntur vera interiora et exteriora naturalis hominis, per “reges Tharschisch” vera interiora ejus, et per “insulas” vera exteriora ejus; per “reges Schebae et Sebae” intelliguntur bona interiora et exteriora naturalis hominis, per “Schebam” bona interiora ejus, et per “Sebam” bona exteriora ejus; per vera naturalis hominis intelliguntur cognitiones veri, et per bona naturalis hominis intelliguntur cognitiones boni: (quod haec per “Schebam” et “Sebam” intelligantur, videatur n. 1171, 3240: et quod illae per “Tharschisch,” videbitur mox infra:) et quia illae intelliguntur, etiam intelliguntur illi qui in cognitionibus veri et boni sunt. Apud *Esaiam*,

“Qui illi sicut nubes advolant, et sicut columbae ad fenestras suas? quia Mihi insulae confident, et naves Tharschisch in principio, ad adducendum filios tuos e longinquo” (lx. 8, 9):

haec quoque de Domino dicta sunt; et per illa significatur quod Ipsum recepturi et agniti qui in simplici vero et bono sunt, qui sunt qui vera Verbi percipiunt naturali modo, quod est secundum sensum litterae, et faciunt illa; “insulae” significant illos qui Verbum naturali modo, hoc est, secundum sensum litterae percipiunt; et “naves Tharschisch in principio” sunt bona quae ferunt et faciunt; “Tharschisch” enim significat naturalem hominem quoad cognitiones, et “Tharschisch in principio” naturalem hominem quoad cognitiones boni, quoniam in Tharschisch erat aurum et argentum, et naves inde portabant illa (1 Reg. x. 22), ac in principio aurum, per quod significatur bonum; et quia ex bono sunt vera, ideo etiam dicitur, “ad adducendum

filios tuos e longinquo;" et quia per "insulas et naves Tharschisch" significantur cognitiones veri et boni naturalis hominis, ideo dicitur, "Qui hic sicut nubes volant, et sicut columbae ad fenestras suas?" "nubes" significant vera sensus litterae Verbi, "columbae" bona ibi, ac "fenestrae" vera ex bono in luce. (Quod "naves" significant cognitiones veri et boni ex Verbo, videatur n. 1977, 6385: et quod "fenestrae" significant vera in luce, et inde intellectuale, n. 655, 658, 3391.) Apud eundem,

"Ejulate naves Tharschisch, quia devastata est Tyrus, ut non sit domus, nec intret quisquam, e terra Kitthim manifeste veniet illis; silent habitatores insulae, mercator Zidonis transiens mare, impleverunt te. .... Erubesc Zidon, nam dicit mare, munimentum maris, Non parturivi, nec peperi, et non educavi juvenes, adolescere feci virgines; cum fama ex Aegypto, dolore corripientur, sicut ad famam Tyri; transite in Tharschisch, ejulate habitatores insulae" (xxiii. 1, 2, 4-6):

ita describitur desolatio veri in ecclesia, nam per "naves Tharschisch" significantur cognitiones boni e Verbo, et per "Tyrum" cognitiones veri inde: quod non sit bonum quia non vera, significatur per "ejulate naves Tharschisch, quia devastata est Tyrus ut non sit domus, nec intret quisquam;" quod falsa tunc intrent, usque ut non amplius aliqua bona veri et vera boni sint in naturali homine, significatur per "e terra Kitthim manifeste veniet illis, silent habitatores insulae, mercator Zidonis transiens mare, impleverunt te;" "terra Kitthim" significat falsa, "habitatores insulae" significant bona veri in naturali homine (ut supra), "mercator Zidonis" significat cognitiones ex Verbo, "transiens mare" significat quae in naturali homine, "qui impleverunt te," nempe naves Tharschisch, significat qui ditarunt te illis: vastatio veri et boni in naturali homine ulterius describitur per "Erubesc Zidon, nam dixit mare, munimentum maris, Non parturivi et non peperi, et non educavi juvenes, adolescere feci virgines;" per "Zidonem" significantur aequae ac per "Tyrum" cognitiones veri et boni in ecclesia; per "mare, munimentum maris" significatur naturalis homo totus; per "Non parturivi, non peperi," significatur non aliquid ecclesiae conceptum et generatum; per "juvenes" significantur affectiones veri, et per "virgines" affectiones boni; quod hoc factum sit quia cognitiones ex Verbo et scientifica confirmantia applicata sunt falsis et malis, significatur per "cum fama ab Aegypto, dolore corripientur sicut ad famam Tyri;" "Aegyptus" significat scientifica,

“Tyrus” cognitiones ex Verbo, hic illa vastata per falsa et mala quibus applicata; <sup>ut</sup> et quia lamentum est propterea, ideo dicitur “dolore corripiuntur:” quod sic perierit omne bonum in naturali et verum ibi, significatur per “Transite in Tharsisch, ejulate habitatores insulae;” “Tharsisch” significat bona et vera interiora in naturali, “habitatores insulae” bona et vera exteriora ibi (*ut quoque supra*), “ejulare” significat dolorem ob vastationem.

[d.] *Apud Jeremiam,*

“Accepi calicem e manu Jehovahe, et bibere feci omnes gentes ad quas me misit Jehovah; . . . omnes reges Tyri et omnes reges Zidonis, et reges insulae quae in transitu maris” (xxv. 17[. 22]):

recensentur ibi plures gentes quae hic non inde adferuntur, per quas omnes significantur bona et vera ecclesiae in genere et in specie quae vastata sunt; et per “reges Tyri et Zidonis” significantur cognitiones veri et boni e Verbo in naturali homine, nam omnes cognitiones veri et boni, quatenus cognitiones, sunt in naturali homine, quae fiunt vera et bona cum vivitur secundum illas, quia per vitam recipiuntur in spirituali homine; per “reges insulae quae in transitu maris” significantur cognitiones veri in ultimo naturalis hominis, quod vocatur naturale sensuale, quia per hoc est transitus in interiora naturalis hominis; “mare” significat naturalem hominem in communi (*videatur supra*, n. 275. 342): vastatio illorum intelligitur per “calicem Jehovahe quem bibere fecit gentes.” Apud eundem,

“Propter diem venientem ad vastandum omnes Philisthaeos, ad excidendum Tyro et <sup>[et]</sup>Zidoni omnem residuum auxiliantem, quia vastans Jehovah Philisthaeos, reliquias insulae Caphthor” (xlvi. 4):

per “Philisthaeos” intelliguntur qui in sola fide, seu in fide separata a charitate; quare etiam “praeputiati” vocabantur, per quod significatur quod non illis charitas (*videatur n. 2049. 3412, 3413, 8093, 8313*): per “[ad] excidendum Tyro et Zidoni omnem residuum auxiliantem” significatur quod illis non aliqua cognitio veri et boni; “residuus auxilians” significat non concordans amplius: simile quod per “residuum auxiliantem” etiam per “reliquias insulae Caphthor” significatur. Apud eundem,

“Transite in insulas Kitthaeorum et videte, in Arabiam mittite et attendite probe, et videte num factum sit sicut hoc, num mutaverit gens deos” (ii. 10, 11):

quod "transirent et mitterent in insulas Kitthaeorum et in Arabiam" non significat quod illuc mitterent, sed ad omnes qui naturaliter in veris et bonis secundum religiosum suum vivunt; "insulae Kitthaeorum" sunt ubi qui naturaliter vivunt in veris, et "Arabia" ubi qui naturaliter vivunt in bonis, nempe secundum religiosum suum; "Kitthaei" et "Arabia" illos ac illa significant, omnes enim qui non habent Verbum, aut aliquam revelationem e caelo, et vivunt secundum religiosum suum, naturaliter vivunt; nam spiritualiter vivere est unice secundum vera et bona e Verbo, et ex revelatione e caelo. Apud *Zephaniam*,

"Formidabilis Jehovah super illis, quia emaciabit omnes deos <sup>[1]</sup> terrae ut adorent Ipsum quisque e loco suo; omnes insulae gentium, etiam vos, Kuschii, confossi gladio meo erunt" (ii. 11, 12):

per haec in sensu interno significatur quod falsa mali dissipabuntur et quod vera et bona dabuntur illis qui quidem in falsis sunt, sed non in falsis mala: per "deos gentium" quos emaciabit, significantur falsa mali, per "deos" falsa, per "gentes" mala, et per "emaciare" significatur ex falsis amovere mala: per "insulae gentium" et per "Kuschios" significantur qui quidem in falsis sunt sed non in falsis mali, et abstracte falsa sed non falsa mali; et quia falsa non mali sunt in naturali homine, ideo per "insulae gentium" significatur naturalis homo quoad illa, seu quoad illa in naturali homine; haec falsa significantur per "confosso gladio meo." (De falsis mali et de falsis non mali videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 21.) Apud *Davidem*,

"Dominabitur a mari ad mare, et a fluvio usque ad fines terrae; coram Ipso incurvabunt se insulae, et hostes Ejus pulverem lambent" (Ps. lxxii. 8, 9):

haec de Domino; et per "dominari a mari ad mare, et a fluvio usque ad fines terrae," intelligitur dominium Ipsius super omnia caeli et ecclesiae; in mundo enim spirituali sunt maria termini, ac intermedia sunt terrae ubi habitations pro angelis et spiritibus; inde per "a mari ad mare" significantur omnia caeli; et quia omnia caeli, significantur etiam omnia ecclesiae; sunt enim bona amoris et inde vera quae faciunt caelum et quoque ecclesiam, ideo per "a mari ad mare" significantur etiam omnia ecclesiae; omnia caeli et ecclesiae significantur per "a fluvio ad fines terrae," sed per haec significantur omnia caeli et ecclesiae quoad

vera, at per "a mari ad mare" omnia caeli et ecclesiae quoad bona; nam maria in mundo spirituali sunt termini terrae orientalis et occidentalis ibi, et in terris ab oriente versus occidentem habitant qui in bono amoris sunt; "fluvius" autem significat primum terminum, ac "fines terrae" ultimos, a meridie ad septentrionem, ubi habitant qui in veris ex bono sunt; quos terminos etiam repraesentabant fluvii Jordanes et Euphrates respective ad terram Canaanem: loca quae circa ultimos terminos sunt, intelliguntur per "insulas," per quas ideo significantur vera in ultimis; quae tametsi non vera sunt usque ut vera acceptantur; vera enim genuina diminuuntur a medio versus fines, ex causa quia circa fines sunt qui in luce naturali, et non ita in luce spirituali: per "hostes" significantur mala, de quibus dicitur quod "pulverem lambent," hoc est, quod damnati sint. Apud eundem,

"Jehovah regnat, exultabit terra, gaudebunt insulae multae" (Ps. xcviij. 1):

per haec significatur quod ecclesia ubi Verbum et ecclesia ubi non Verbum, proinde qui in veris spiritualibus et in veris non spiritualibus, gaudebunt propter regnum Domini: per "terram" significatur ecclesia ubi Verbum, et per "insulas" ubi non Verbum, proinde qui remoti a veris spiritualibus sunt, nam vera Verbi sunt solum spiritualia; apud illos autem qui extra ecclesiam sunt, quia non habent vera ex Verbo, sunt solum vera naturalia; inde est quod "insulae" dicantur. Per "insulas" in Verbo non intelliguntur aliquae insulae maris, sed intelliguntur loca in mundo spirituali habitata ab illis qui in naturali scientia cognitionum aliquatenus concordantium cum cognitionibus veri et boni quae in Verbo, quae loca ibi quandoque apparent sicut insulae in mari; inde in sensu abstracto per "insulas" significantur vera naturalis hominis; denominatio illa est ex mari in quo insulae, nam "mare" significat communia veri, seu vera naturalis hominis in communi. Haec per "insulas" significantur in *Genesi*,

"Fili Javan erant Elischah et Tharschisch, Kitthim et Dodanim: ex his dispersae sunt insulae gentium in terris suis, quisque juxta linguam suam, juxta familias suas, in gentibus suis" (x. 4, 5):

et apud *Esaiam*,

"Veniet ad congregandum omnes gentes et linguas, ut veniant et videant gloriam meam : et ponam inter illos signum, et mittam ex illis evasores ad gentes Tharschisch, Pul et Lud trahentes arcum, Thubal et Javan, insulas longinquas, quae non audiverunt famam meam, nec viderunt gloriam meam, et annuntiabunt gloriam meam inter gentes" (lxvi. 18, 19; tum cap. xi. 10, 11).

[e.] Quoniam pleraque in Verbo etiam oppositum sensum habent, ita quoque "insulae ;" in quo sensu "insulae" significant falsa opposita veris quae in naturali homine. In hoc sensu dicuntur "insulae" in sequentibus his locis:— Apud *Esaiam*,

"Vastabo montes et colles, et omnem herbam eorum arefaciam ; et ponam fluvios in insulas, et stagna exsiccabo" (xlvi. 15, 16) ;

quae explicata videantur in praecedente articulo [n. 405<sup>h</sup>]. Apud *Ezechielem*,

"Mittam ignem in Magogum, et in habitatores insularum securos" (xxxix. 6) :

apud *Esaiam*,

"Iram inimicis suis, retributionem hostibus suis, insulis retributionem retaliabit" (lix. 18) :

apud eundem,

"Ecce gentes sicut gutta de situla, et sicut scoriae librae reputantur ; ecce insulas sicut minutissimum tollit" (xl. <sup>[1]</sup>15) :

"gentes" pro malis, et "insulae" pro falsis. Apud eundem,

"Tacet insulae, populi innovent vires, appropinquent, tunc loquantur, una ad judicium accedamus ;....viderunt insulae et timuerunt, fines terrae trepidarunt" (xli. 1, 5).

#### VERSUS 15-17.

**407.** "Et reges terrae, et magnates et divites, et chiliarchi et potentes, et omnis servus et omnis liber, absconderunt se [ipsos] in speluncis et in petris montium. Et dicebant montibus et petris, Cadite super nos, et abscondite nos a facie Sendentis super throno, et ab ira Agni. Quia venit dies magnus irae Ejus, et quis potest stare?"

15. "Et reges terrae, et magnates et divites, et chiliarchi et potentes," significat omnia bona et vera interna, et omnia bona et vera externa, per quae sapientia et intelligentia [n. 408]; "et omnis servus et omnis liber," significat hominem naturalem et hominem spiritualem [n. 409]; "absconderunt se ipsos in speluncis et in petris montium," significat illa perdita per mala vitae et per falsa inde [n. 410].
16. "Et dicebant montibus et petris, Cadite super nos," significat obsecrationem a malis et falsis inde [n. 411]; "et abscondite nos a facie Sendentis super throno, et ab ira Agni," significat ne dira patientur ab influxu Divini Boni uniti Divino Vero procedentis a Domino [n. 412].
17. "Quia venit dies magnus irae Ejus," significat ultimum iudicium super malos [n. 413]; "et quis potest stare ?" significat Quis vivet et sustinabit? [n. 414.]

**408.** [Vers. 15.] *“Et reges terrae, et magnates et divites, et chiliarchi et potentes.”*—Quod significant *omnia bona et vera interna et omnia bona et vera externa, per quae sapientia et intelligentia*, constat ex significatione “regum,” quod sint vera ex bono in omni complexu (de qua supra, n. 31); ex significatione “magnatum et divitum,” quod sint bona et vera interna (de qua sequitur); ex significatione “chiliarchorum et potentium,” quod sint bona et vera externa, “chiliarchi” bona illa et “potentes” vera illa (de qua etiam sequitur). Dicitur etiam *per quae sapientia et intelligentia*, quia ex bonis et veris internis, quae sunt bona et vera spiritualia, est sapientia, et ex bonis et veris externis, quae sunt bona et vera naturalia ex spiritualibus, est intelligentia. Sapientia distinguitur ab intelligentia in eo, quod sapientia sit ex luce caeli, et quod intelligentia sit ex luce mundi illustrata ex luce caeli; inde est quod de bonis et veris spiritualibus praedicetur sapientia, et de bonis et veris naturalibus intelligentia, nam bona et vera spiritualia sunt ex luce caeli, quia mens spiritualis seu mens interna est in luce caeli, et bona et vera naturalia sunt ex luce mundi, quia mens naturalis seu externa est in luce mundi; sed quantum haec mens recipit lucem caeli per spiritualem mentem, tantum in intelligentia est. Qui credit quod intelligentia sit ex sola luce mundi, quae vocatur lumen naturale, multum fallitur. Per intelligentiam intelligitur videre vera et bona ex se, vel civilia vel moralia vel spiritualia sint; at videre illa ex alio, hoc non est intelligentia sed scientia. Ast ut sciatur quomodo haec intelligenda sunt, videantur quae in articulo praecedente (n. 406<sup>[a]</sup>) dicta sunt, nempe quod binae mentes homini sint, una spiritualis seu interna, altera naturalis seu externa; et quod mens spiritualis seu interna aperiatur apud illos qui bona et vera Verbi applicant vitae, ac non aperiatur apud illos qui non bona et vera Verbi applicant vitae, sed solum mens naturalis seu externa; hi inde vocantur naturales homines, illi autem spirituales. Quibus addendum est quod quantum aperitur mens spiritualis seu interna tantum per illam a Domino influat lux spiritualis, quae est lux caeli, in mentem naturalem seu externam, et illustrat eam, et dat intelligentiam. Bona et vera quae faciunt spiritualem seu internam mentem, intelliguntur per “magnates et divites,” bona per “magnates,” et vera per “divites;” ac bona et vera quae faciunt

naturalem seu externam mentem, intelliguntur per "chiliarchos et potentes," bona illa per "chiliarchos" et vera illa per "potentes." Inde patet quod haec verba in sensu interno includant omnia quae apud hominem sunt, nam in sequentibus agitur de extinctione omnium. Omnia apud hominem se referunt ad bonum et verum, sicut etiam omnia in universo; omnis sapientia et intelligentia est homini ex illis et secundum illa. Qui sensum litterae modo spectat, non videre potest aliter quam quod reges ac primarii in regnis illorum intelligantur, et quod tot nominentur ut sensus elevetur; sed in Verbo nulla vocula est inanis, quoniam Divinum est in omnibus et singulis ibi; quare per illa intelligenda sunt Divina, quae caeli et ecclesiae sunt, ac communi voce vocantur caelestia et spiritualia, ex quibus Verbum est Divinum, caeleste et spirituale. Verbum etiam datum est ut per id sit conjunctio caeli cum ecclesia, seu angelorum caeli cum hominibus ecclesiae (*videatur in opere De Caelo et Inferno*, n. 303-310); et illa conjunctio non dari potest si non aliud per illa verba intelligeretur quam quod in sensu litterae exstat, nempe quod reges terrae, magnates, divites, chiliarchi et potentes, tum omnis servus et omnis liber, absconderint se in speluncis et in petris montium; haec etiam sunt naturalia: sed tunc conjunctio est cum per illa intelliguntur simul spiritualia; aliter enim non conjungi possunt angeli cum hominibus, nam angeli spirituales sunt quia in spirituali mundo, et inde cogitant spiritualiter et quoque loquuntur spiritualiter; at homines naturales sunt quia in naturali mundo, et inde cogitant naturaliter et loquuntur naturaliter. Haec dicta sunt ut sciatur quod per "reges terrae, magnates, divites, chiliarchos et potentes" significantur etiam spiritualia. Quod spiritualia per illos intelligantur, nempe per "magnates et divites" bona et vera interna, et per "chiliarchos et potentes" bona et vera externa, constare potest ex significatione eorum ubi nominantur in Verbo. Quod "magnates" in Verbo significant bona interna, quae sunt bona interni seu spiritualis hominis, est quia "magnum" et "magnitudo" in Verbo dicitur de bono, at "multum" et "multitudo" de vero (*videatur supra*, n. 336<sup>[a]</sup>, 337): quod bona interna per "magnates" significantur, est quia per quatuor illos, nempe "magnates," "divites," "chiliarchos," "potentes," significantur omnia

bona et vera quae apud hominem, ita bona et vera interni seu spiritualis hominis ut et externi seu naturalis hominis; per "magnates et divites" bona et vera interni seu spiritualis hominis, ac per "chiliarchos et potentes" bona et vera externi seu naturalis hominis; ideo etiam sequitur "omnis servus et omnis liber," et per "servum" significatur externum hominis quod vocatur naturalis homo, et per "liberum" internum hominis, quod vocatur spiritualis homo. Similia per "magnates" in Verbo etiam alibi significantur

(Nempe apud *Jeremiam*, cap. v. 5; apud *Nahum*, cap. iii. 10; et apud *Zonam*, [cap.] iii. 7).

Quod "divites" significant vera interna, quae sunt vera spiritualia, seu illos qui in illis veris sunt, constat ex illis quae supra (n. 118, 236) ostensa sunt; quod chiliarchi" significant bona externa, quae sunt bona naturalis hominis, etiam supra (n.<sup>[1]</sup> 336) ostensum est; quare supersedetur plura de illis adducere: quod autem "potentes" significant vera externa seu vera naturalis hominis, constat ex pluribus locis in Verbo, ubi "potentes et fortes," tum "potentia et fortitudo" nominantur; causa est, quia omnis potentia est veris ex bono, et quidem veris quae in naturali homine. Quod veris ex bono sit omnis potentia, est quia bonum non ex se agit sed per vera, bonum enim se format in vera, et se induit illis sicut anima corpore, et sic agit; quod agat per vera in naturali homine, est quia ibi sunt omnia interiora simul et in suo pleno. (Quod omnis potentia sit veris ex bono, seu bono per vera, videatur supra, n. 209, 333: et in opere *De Caelo et Inferno*, n. 231, 232, 539: et quod omnis potentia sit in ultimis, quia Divinum ibi est in suo pleno, supra, n. 346, et in *Arcanis Caelestibus*, n. 9836, 10044.) Ex his constare potest quod per "potentes" intelligantur vera externa, seu vera naturalis hominis.

**409[a]. "Et omnis servus et omnis liber."**—Quod significet *hominem naturalem et hominem spiritualem*, constat ex significatione "servi," quod sit homo naturalis (de qua sequitur); et ex significatione "liberi," quod sit homo spiritualis. Quod homo spiritualis intelligatur per "liberum," et homo naturalis per "servum," est quia homo spiritualis dicitur e caelo a Domino, et duci a Domino est liberum, ac homo naturalis ei obedit et inservit, praestat enim illa quae spiritualis homo vult et cogitat. In Verbo in pluribus locis dicitur "servus;" et qui non scit quod in illis per

“servum” intelligatur inserviens et efficiens illa quae spiritualis homo vult et cogitat, opinari potest quod per “servum” ibi intelligatur servus qui in servitute est, ita secundum communem notionem de servo; sed quod sit inserviens et efficiens qui intelligitur, patebit ex locis in Verbo, quae mox adducentur. Cum “servus” in hoc sensu in Verbo dicitur, tunc homo naturalis, qui per illum intelligitur, non aliter est servus quam sicut corpus est servus suae animae; et quia inserviens ac efficiens intelligitur per “servum,” ideo etiam “servus” dicitur non solum de naturali homine respective ad spiritualem, sed etiam de hominibus qui aliis operam praestant, deque angelis qui efficiunt mandata Dei, immo de Ipso Domino quoad Divinum Humanum Ipsius cum fuit in mundo; et quoque dicitur de veris ex bono, quia bonum per vera agit et efficit, ac quia vera praestant operam bono quod vult et quod amat, et sic porro. Praeterea “servus” dicitur de naturali homine ex obedientia et effectu, tametsi homo naturalis apud regeneratum aequa est liber et spiritualis, quoniam unum agunt sicut principale et instrumentale; sed usque naturalis homo respective ad spiritualem vocatur “servus,” ex causa, quae dicta est, quod naturalis inserviat spirituali efficiendo: at vero apud illos apud quos spiritualis homo occlusus est, et modo naturalis homo apertus, est totus homo servus in communi sensu, tametsi quoad apparentiam est sicut liber; inservit enim exterior naturalis homo malis et falsis quae interior vult et cogitat, sic enim ducitur ab inferno, et duci ab inferno est prorsus servum, et quoque talis homo fit prorsus servus et vile mancipium in inferno post mortem; post mortem enim jucunda vitae cuiusvis vertuntur in correspondentia, et jucunda mali in servitia et in tetra (videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 485-490); in hoc sensu etiam nominatur “servus” in Verbo. Sed hic praecipue ostendetur quod per “servum” ibi intelligatur inserviens et efficiens, et hoc in omni respectu.

[b.] Quod per “servum” intelligatur inserviens et efficiens, patet manifeste ex eo, quod Dominus quoad Divinum Humanum suum dicatur “Servus” et “Minister,” ut in sequentibus his locis:—Apud *Esaiam*,

“Ecce Servus meus in quem incumbo, Electus meus beneplacitum habet anima mea; dedi Spiritum meum super Illum[, judicium

gentibus proferet]. .... Quis caecus nisi Servus meus, aut surdus sicut Angelus meus quem mitto? quis caecus sicut consummatus, et caecus sicut Servus <sup>[i]</sup>Jehovae?" (xlvi. 1, 19:)

haec de Domino, de quo in toto illo capite agitur, et Dominus ibi quoad Divinum Humanum suum vocatur "Servus," quia inservivit Patri suo faciendo voluntatem Ipsius, ut pluries dicit; per quod intelligitur quod redegerit omnia in mundo spirituali in ordinem, et simul docuerit homines viam ad caelum. Est itaque Divinum Humanum quod intelligitur per "Servum meum in quem incumbo," et per "Electum meum in quo beneplacitum habet anima mea." "Servus" dicitur ex Divino Vero per quod effecit, et "Electus" ex Divino Bono. Quod Ipsi fuerit Divinum Verum, per quod effecit, intelligitur per "Dedi Spiritum meum super Illum, judicium gentibus proferet;" "Spiritus Jehovae" est Divinum Verum, et "judicium proferre gentibus" est instruere; quod dicatur "caecus" et "surdus," est quia Dominus est sicut non videat et percipiat peccata hominum; dicit enim homines leniter, nam flectit et non frangit, sic abducendo a malis et ducendo ad bonum; quare nec castigat et punit sicut qui videns est et percipiens; hoc intelligitur per "Quis caecus nisi Servus meus, aut surdus sicut Angelus meus?" "Caecus" dicitur et inde "servus" ex Divino Vero, et "surdus" et inde "Angelus" ex Divino Bono, nam "caecus" se refert ad intellectum et inde perceptionem, ac "surdus" ad perceptionem et inde voluntatem; ibi itaque quod sicut non videat tametsi Ipsi Divinum Verum e quo intelligit omnia, et non secundum quod percipit velit, tametsi Ipsi Divinum Bonum e quo omnia potest. Apud eundem,

"Ex labore animae sua videbit, saturabitur, per scientiam suam justificabit justus Servus meus multos, eo quod iniquitates eorum Ipse portaverit" (livi. 11);

haec quoque de Domino, de quo in toto capite manifeste agitur, et quidem de Divino Humano Ipsius: pugnae Ipsius cum infernis et subjugatio eorum significatur per "laborem animae Ipsius," et per quod "iniquitates eorum portaverit;" per "iniquitates eorum portare" non intelligitur quod in Se transtulerit eas, sed quod admiserit in Se mala quae ab infernis ut subjugaret illa; hoc itaque intelligitur per "portare iniquitates;" salvatio inde eorum qui in fide spirituali,

quae est charitatis, sunt, intelligitur per quod “per scientiam suam justificaverit justus Servus meus multos;” “scientia” significat Divinum Verum, et inde Divinam sapientiam et intelligentiam, et “multi” significant omnes qui recipiunt; nam “multum” in Verbo dicitur de veris, “magnum” autem de bono; inde “multi” sunt omnes qui in veris ex bono ab Ipso sunt: quod hos “justificaverit” dicitur, quia “justificare” significat salvare ex Divino Bono, ex quo etiam dicitur “justus;” quia illa ex Divino Humano suo peregit et effecit, dicitur “Servus Jehovahe:” inde patet quod Jehovah Divinum Humanum suum vocet “Servum suum” ex inserviendo et efficiendo. Apud eundem,

“Ecce prudenter aget Servus meus, extolleetur et exaltabitur et evehetur valde” (lii. 13):

etiam haec de Domino, cuius Divinum Humanum vocatur “Servus,” ex eadem causa de qua mox supra; glorificatio Humani Ipsius intelligitur per “extolleetur, exaltabitur et evehetur valde.” Apud eundem,

“Vos testes mei, . . . et Servus meus quem elegi, ut sciatis et credatis Mihi” (xlivi. 10):

per “Servum” etiam hic intelligitur Dominus quoad Divinum Humanum. Quod Ipse Dominus Se dicat “Ministrum” ex inserviendo patet apud *Evangelistas*,

“Quisquis voluerit inter vos magnus fieri, esse debet vester minister, et quisquis . . . voluerit esse primus, debet esse vester servus; sicut Filius hominis non venit ut Ipsi ministretur, sed ut ministret” (*Matth.* xx. 25-28; *Marc.* x. 42-44; *Luc.* xxii. 27);

hoc explicatum videatur in opere *De Caelo et Inferno* (n. 218): et apud *Lucam*,

“Beati servi quos veniens Dominus invenerit vigilantes; amen dico vobis quod cincturus sit Se, et accumbere facturus eos, Ipseque accedens ministraturus illis” (xii. 36, 37).

[c.] Quoniam per “Davidem” in Verbo intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, ac Divinum Verum inservit, ideo David, ubi etiam per illum intelligitur Dominus, passim dicitur “Servus;” ut apud *Ezechielem*,

“Ego Jehovah ero illis in Deum, et Servus meus David princeps in medio eorum” (xxxiv. 24):

apud eundem,

"Servus meus David erit Rex super illos, ut Pastor unus sit omnibus illis" (xxxvii. 24):

haec de Davide dicta sunt post illius tempora, qui nusquam resurrecturus erit princeps in medio illorum et rex super illos. Apud *Esaiam*,

"Protegam urbem hanc ad servandum eam propter Me et propter Davidem Servum meum" (xxxvii. 35):

apud *Davidem*,

"<sup>[1]</sup>Pepigi foedus Electo meo, juravi Davidi Servo meo, in aeternum usque firmabo semen tuum; . . . . inveni Davidem Servum meum, oleo sanctitatis meae unxi Eum" (Ps. lxxxix. 4, 5, 21 [B. A. 3, 4, 20]):

agitur in toto illo psalmo de Domino, qui per "Davidem" ibi intelligitur. Apud eundem,

"Elegit Davidem Servum suum, . . . . a post lactantes adduxit eum ad pascendum Jacobum populum suum, et Israelem hereditatem suam, qui pavit eos in integritate cordis sui, et in rectitudinibus manuum suarum duxit eos" (Ps. lxxviii. 70-72):

praeter alibi. Quod Dominus quoad Divinum Verum per "Davidem" in Verbo intelligatur, videatur supra (n. 205), et quoque quod in illis locis. Dominus etiam "Servus" dicitur in Verbo, ubi per "Israelem" intelligitur:—Ut apud *Esaiam*,

"Servus meus Tu, Israel, in quo gloriosus reddar; . . . . leve est ut sis Mihi Servus ad erigendum tribus Jacobi, et servatos Israelis ad reducendum, sed dedi Te in lucem gentibus, ut sis salus mea ad extremitatem terrae" (xlix. 3, 6).

(Quod Dominus in supremo sensu intelligatur per "Israelem," videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 4286; et quod "Lapis Israelis" sit Dominus quoad Divinum Verum, n. 6426, ibi.) Quoniam Dominus quoad Divinum Verum ex inserviendo in Verbo dicitur "Servus," ideo illi ibi "servi" dicuntur qui in Divino Vero a Domino sunt ac per id aliis inserviunt, sicut prophetae, in his locis:—Apud *Jeremiam*,

"Misit Jehovah ad vos omnes servos suos prophetas" (<sup>[2]</sup>xxv. 4):

apud *Amos*,

"Revelavit arcanum suum servis suis prophetis" (iii. 7):

apud *Danielem*,

"Dedit coram <sup>[3]</sup>nobis per manum servorum suorum prophetarum" (ix. 10):

inde quoque

Moses vocatur "Servus Jehovahe" (*Malach.* iii. 22 [B. A. iv. 4]); Tum Esaias (apud illum, cap. <sup>[4]</sup>xx. 3: cap. <sup>[5]</sup>i. 10);

per "prophetas" enim in Verbo significatur doctrina Divini Veri, ita Divinum Verum quoad doctrinam (videatur n. 2534, 7269). Inde quoque David se vocat "servum Jehovahe," ut in his apud illum,

"In statutis tuis delector, non obliviscor Verbi tui; [retribue servo tuo.] .... Servus tuus meditatur in statutis tuis. .... Bonum fecisti cum servo tuo, Jehovah, juxta verbum tuum. .... Fac cum servo tuo juxta misericordiam tuam, et statuta tua doce me. Servus tuus ego, erudi me, ut cognoscam testimonia tua. .... Facies tuas illuminas super servum tuum, et doce me statuta tua. .... Erravi sicut pecus periens; quaere servum tuum" (*Psalm. cxix.* [16,] 17, [<sup>11</sup>]23, 65, 124, 125, 135, 176);

apud eundem,

"Custodi animam meam quia sanctus ego, serva servum tuum....<sup>[2]</sup>quia confido in Te:....laetifica animam servi tui, quia ad Te, Domine, attollo animam meam;....da robur servo tuo, et serva filium ancillae tuae" (*Ps. lxxxvi.* 2, 4, 16;) (Praeter alibi, ut *Psalm. xxvii.* 9; *Ps. xxxi.* 17 [*B. A.* 16]; *Ps. xxxv.* 27; *Ps. cxvi.* 16: *Luc. i.* [<sup>11</sup>]69).

Quoniam Dominus quoad Divinum Verum in supra allatis locis per "Davidem" intelligitur, et quia inde per "Davidem" intelligitur Divinum Verum, simile quod per "prophetas," ideo per "servum" etiam in his locis in sensu spirituali intelligitur inserviens. Qui non scit sensum spiritualis Verbi, credere potest quod non solum David, sed etiam reliqui de quibus in Verbo, se dixerint "servos" ex causa quia omnes sunt servi Dei; at usque ubi in Verbo nominantur "servi," in spirituali sensu intelliguntur inservientes et efficientes. Ex qua causa etiam

Nebuchadnezar Rex Babelis vocatur "servus Jehovahe" (*Jerem.* xxv. 9; cap. xlili. 10).

At in specie per "servum" et "servos" in Verbo intelliguntur illi qui recipiunt Divinum Verum, ac qui docent illud, quoniam Divinum Verum inservit, et per id Divinum Bonum efficit. Inde est quod passim dicantur "servi" et simul "electi;" "servi" qui recipiunt Divinum Verum et docent, ac "electi" qui recipiunt Divinum Bonum et ducent:—Ut apud *Esaiam*,

"Producam ex Jacobo semen, et ex Iudeah heredem montium meorum, ut possideant eum electi mei, et servi mei habitent ibi" (*Ilx.* 9):

apud eundem,

"Tu Israel servus meus, et Jacobus quem elegi" (*xli.* 8):

apud eundem,

"Audi, Jacob serve mi, Israel quem elegi; . . . ne time, serve mi Jacob,  
et Jeschurun quem elegi" (<sup>¶</sup>xliv. 1, 2).

(Quod "electi" dicantur qui in vita charitatis sunt, videatur n. 3755 fin., 3900.)

[d.] Quia nunc "servi" in Verbo dicuntur ex inserviendo et efficiendo, proinde illi qui inserviunt et efficiunt, inde est quod naturalis homo dicatur "servus," is enim inservit spirituali efficiendo quod vult; et inde quoque spiritualis homo dicitur "liber," ut et "dominus." Hoc quoque intelligitur per "servum" et "dominum" apud *Lucam*,

"Nullus servus potest duobus dominis servire, aut enim unum odio habebit et alterum amabit, aut unum praeferet et alterum contemnet; non potestis Deo servire et mammonae" (xvi. 13):

hoc non intelligendum est de servis in mundo (quoniam illi possunt servire duobus dominis, et usque non odio habere et contemnere unum), sed de servis in spirituali sensu, qui sunt qui volunt amare Dominum et aequa semet, ac caelum et aequa mundum. Illi sunt sicut qui uno oculo volunt spectare sursum et altero deorsum, seu uno oculo ad caelum et altero ad infernum, et sic pendere inter utrumque; cum tamen praedominium erit amorum, unius pree altero; et ubi praedominium est, ibi odio habetur et contemnitur quod se opponit, et cum se opponit. Nam amor sui et mundi est oppositus amori in Dominum et amori erga proximum; inde est quod qui in amore caelesti sunt, potius velint mori, ac deprivari honoribus et facultatibus in mundo, quam ut per illa abstrahantur a Domino et a caelo, hoc enim considerant ut omne quia est aeternum, at illud ut nihil respettive quia finem cum vita in mundo habet: vicissim autem illi qui se et mundum super omnia amant, vilipendunt respective Dominum et caelum, immo etiam negant, et quando oppositum in illis vident odio habent; hoc manifeste apparet apud omnes tales in altera vita. Apud illos qui Dominum et caelum super omnia amant, est internus seu spiritualis homo apertus, et ei inservit externus seu naturalis homo; hic tunc est servus quia inserviens, et ille est dominus quia volens; at apud illos qui se et mundum super omnia amant, est internus seu spiritualis homo occlusus, et externus seu naturalis homo apertus; et quando hic apertus et ille occlusus est, tunc amat unum dominum, nempe se et mundum, ac odio habet alterum, nempe Dominum et caelum; idem quoque testari possum ab experientia,

omnes enim qui sibi et mundo vixerunt, et non, sicut oportet, Deo et caelo, in altera vita Dominum odio habent, et illos qui Ipsius sunt persequuntur, qualitercumque in mundo locuti sunt de caelo et quoque de Domino: ex quibus constare potest quod impossibile sit duobus dominis servire. Quod illa Domini verba spiritualiter intelligenda sint, patet ab Ipsius Domini verbis, nam dicit, "Non potestis Deo servire et mammonae." *Apud Matthaeum,*

"Non est discipulus supra magistrum, neque servus supra dominum; sufficiens est discipulo ut sit sicut magister suus, et servo sicut dominus suus" (*x. 24, 25*):

per hoc in universali sensu intelligitur quod homo non aequiparabit se Domino, et quod sufficiat ei quod omne suum ab Ipso habeat; et tunc est discipulus sicut magister, et servus sicut Dominus, nam tunc est Dominus in illo, ac facit eum velle bonum et cogitare verum; "discipulus" dicitur ex bono, et "servus" ex vero. Simile est in sensu singulari, nempe apud unumquemque hominem, qui ducitur a Domino: externus seu naturalis homo apud illum est "discipulus" et "servus," ac internus et spiritualis homo est "magister" et "dominus;" quando externus seu naturalis homo inservit interno seu spirituali, obediendo et efficiendo, tunc est is etiam "sicut magister" et "sicut dominus," unum enim agunt, sicut dicitur de causa principali et instrumentalí quod unam causam agant. Singularis hic sensus coincidit in eo cum universalí, quod, cum spiritualis et naturalis homo unum agunt, tunc Ipse Dominus agat; nam spiritualis homo nihil ex se agit, sed quod agit unice agat ex Domino: quantum enim spiritualis homo apertus est (hic enim aperitur in caelum), tantum non agit ex se sed a Domino; hic spiritualis homo est in proprio sensu spiritualis homo. *Apud Johannem,*

"Cognoscetis veritatem, veritas vos liberos facit: responderunt" *Judei.*  
 "Semen Abrahami sumus, et nemini servi fuimus unquam; quomodo Tu dicas quod liberi fietis? Respondit illis Jesus, Amen amen dico vobis, quod omnis faciens peccatum est servus peccati; servus non manet in domo in perpetuum, filius manet in perpetuum; si ergo Filius vos liberos facit, vere liberi eritis" (*viii. 32-36*):

per haec intelligitur quod liberum sit duci a Domino, et quod servum sit duci ab inferno: per "veritatem," quae liberum facit, intelligitur Divinum Verum quod a Domino;

qui enim id recipit doctrina et vita, is liber est. quia spiritualis fit, et ducitur a Domino; quare etiam dicitur quod "filius maneat in domo in perpetuum; si Filius vos liberos facit, vere liberi eritis," per "Filium" intelligitur Dominus, et quoque veritas (videatur supra, n. 63, 151, 166); et "manere in domo" est in caelo: quod duci ab inferno sit servum, doceatur per haec verba, "Omnis faciens peccatum servus est peccati;" "peccatum" est infernum quia ab inferno. Quod recipere Divinum Verum a Domino doctrina et vita sit liber esse, etiam Dominus docet apud *Johannem*,

"Vos amici mei estis si feceritis quaecumque mando vobis; non amplius vos dico servos, quia servus non scit quid ejus Dominus facit; vos potius dico amicos, quia omnia quae audivi a Patre meo nota feci vobis; non vos elegistis Me, sed Ego elegi vos, et posui vos ut vos abeatis et fructum feratis, et fructus vester maneat" (xv. 14-16):

per "amicos" hic intelliguntur liberi, quoniam "amici" ibi opponuntur "servis:" quod illi non servi sint sed amici seu liberi qui recipiunt Divinum Verum doctrina et vita a Domino, docetur per haec verba, "Si feceritis quaecunque mando vobis, non amplius vos dico servos sed amicos;" tum per haec, "Omnia quae audivi a Patre meo nota feci vobis, ut vos abeatis et fructum feratis;" "mandare" et "nota facere" est doctrinae, ac "fructum ferre" est vitae; quod haec a Domino, docetur ita, "Non vos elegistis Me, sed Ego elegi vos, et posui vos." Simile paene per servos Hebraeos, qui anno septimo et anno Jubilaei in libertatem missi sunt, repraesentatum est

(De quibus *Exod.* xxi. 2, 3; *Levit.* xxv. 39-41; *Deut.* xv. 12, seq.; *Jerem.* [ii]xxxiv. 9, seq.).

(Sed de his videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 8973-9005.) Ex his, quae hactenus allata sunt, constare potest quod "servi" in Verbo dicantur qui inserviunt et efficiunt, et quod inde naturalis homo per "servum" intelligatur, quia is inservit spirituali suo homini efficiendo quod is vult et cogitat; tum quod "liberi" dicantur qui ex amore veri et boni, ita qui a Domino a quo amor veri et boni, agunt. Praeterea per "servos" in Verbo etiam intelliguntur qui a semet et mundo, et inde a malis et falsis, ducuntur, consequenter qui a naturali homine et non simul a spirituali; sed de his servis, alibi, volente Domino, dicetur.

**410[a].** *"Absconderunt se ipsos in speluncis et in petris montium."*—Quod significet *illa desperdita per mala vitae et per falsa inde*, constat ex significatione "abscondere se," quod sit quod desperdita sint, nempe bona et vera interna et externa, seu quae in naturali et spirituali homine, quae significantur per "reges terrae," "magnates," "divites," "chiliarchos," "potentes" et per "omnem servum et omnem liberum," ut supra ostensum est; inde sequitur quod per quod "hi absconderint se" significetur quod illa desperdita sint; quae desperdita sunt etiam in abscondito sunt: ex significatione "speluncarum," quod sint mala vitae (de qua sequitur); et ex significatione "petrarum montium," quod sint falsa inde; "petrae" enim significant vera fidei, et in opposito sensu falsa fidei, hic falsa ex malis, nam "montes" significant mala ex amoribus sui et mundi scaturientia (ut mox supra, n. 405[g-i], ostensum est); sed de significatione "petrarum" in mox sequente articulo videbitur; hic nunc de "speluncis." Supra dictum est quod in mundo spirituali sint montes, colles, petrae, valles, terrae, sicut in tellure nostra, et quod super illis habitent angeli et spiritus: sed in mundo spirituali usque est alia facies illorum; super montibus ibi habitant qui in summa luce sunt, infra illos in eodem monte habitant qui in minore luce, et infra hos qui in adhuc minore, et in infimis habitant qui in tenebris et caligine respective ad lucem quae est superioribus; proinde caeli sunt in superiore parte montium, ac inferna sunt in infimis, ita stratim succedunt montium expansa. Causa est, ut inferiores regantur per superiores a Domino; influit enim Dominus immediate a Se in omnia mundi spiritualis, ac mediate per caelos superiores in inferiores, et per hos in inferna; haec ordinatio est ob illam causam, ut omnes teneantur in nexu per influxum: talis est dispositio coordinata et subordinata per totum mundum spiritualem. In inferna quae sub montibus et in petris sunt, patent aditus vel in imis lateribus vel per cavernas e vallibus; ac aditus in imis lateribus apparent sicut aditus in speluncas ubi ferae, prorsus caliginosi, qui aperiuntur quando immittuntur infernales spiritus, at occluduntur quando immissi sunt; aditus illi in Verbo vocantur "portae inferni:" in petris autem apparent aditus illi sicut fissurae in rupe, et in quibusdam locis sicut foramina variae aperturae. Caliginosum in portis illis seu

ostii appareat caliginosum bonis spiritibus et angelis, sed ut luminosum malis spiritibus; causa est quia non lux caeli ibi est, sed lumen fatuum, quod est lumen naturale absque spirituali: at luminosum illorum non est sicut luminosum in mundo interdiu, sed sicut nocturnum pro bubonibus, talpis, noctuis et vespertilionibus, quae in luce diei nihil vident, et inde illis lux diei caligo est, sed tenebrae noctis lumen; visus illorum talis est quia formatus ex falsis et malis, quae in se sunt tenebrae et caligo; quapropter etiam per "tenebras" in Verbo significantur falsa omnis generis, et per "caliginem" falsa mali. Ex his constare potest quid significatur per quod "absconderint se in speluncis," quod nempe in malis vitae, bonis apud illos deperditis. Quod mala vitae per "speluncas" significantur, est ex eadem causa ex qua "montes" significant bona vitae, nempe quia tales sunt qui ibi; nam sensus spiritualis modo spectat mala aut bona abstracte a locis et personis, qualia sunt in illis et apud illos, ut quoque supra aliquoties dictum est.

[b.] Ex his constare potest quid in Verbo significatur per "speluncas," "cavernas," "cryptas," "foramina," "fissuras et rimas petrarum et montium," in sequentibus locis:—*Apud Esaiam,*

"Intra in petram, et absconde te in pulvere, propter pavorem Jehovahe, et prae gloria magnificentiae Ipsius; . . . nam dies Jehovah Zebaoth super omnem magnificum et altum, et super omnem elatum et humilem, et super omnes cedros Libani altas et elatas, et super omnes quercus Baschanis, et super omnes montes altos, et super omnes colles elatos, et super omnem turrim excelsam, et super [omnem] murum munitum, et super omnes naves Tharschisch, et super omnes imagines desiderii, ut deprimatur superbia hominis, et humilietur altitudo virorum, et exaltetur Jehovah solus in die illo; et idola in fumum abibunt, et intrabunt in speluncas petrarum, et in fissuras pulveris, propter pavorem Jehovahe, et prae gloria magnificentiae Ipsius, quando surget ad terrendum terram: in die illo projiciet homo idola argenti et idola auri sui, quae fecerunt sibi ad incurvandum se talpis et vespertilionibus, ad intrandum in scissuras petrarum, et in fissuras rupium" (ii. 10-21):

haec omnia non intellecturus est quisquam nisi ex sensu interno, et nisi sciat qualis est facies rerum in mundo spirituali; nam quis absque sensu interno sciturus est quid sit quod "dies Jehovah erit super cedros Libani et quercus Baschanis, super montes et colles, super turrim et murum, super naves Tharschish et imagines desiderii?" et quid sit "incurvare se talpis et vespertilionibus?" Et quis nisi ex cognita facie rerum in mundo spirituali sciturus est quid sit

quod “intrarent in petram, et absconderent se in pulvere,” “intrarent in speluncas petrarum et in fissuras pulveris,” tum “in scissuras petrarum et fissuras rupium”? At ex sensu interno scitur quod per illa omnia describatur status illorum qui in amore sui et mundi sunt et inde in malis et falsis tempore ultimi judicii. Quare dicitur quod “dies Jehovae erit super omnem magnificum et altum, et super omnem elatum et humilem;” “dies Jehovae” est ultimum judicium, “omnis magnificus et altus” sunt qui in amore sui et mundi; et “omnis elatus et humilius” sunt qui in amore propriae intelligentiae. Hoc describitur amplius per quod “dies Jehovae erit super omnes cedros altas et elatas, et super omnes quercus Baschanis, super omnes montes altos et colles elatos, super omnem turrim excelsam et murum munitum, et super omnes naves Tharschisch et imagines desiderii:” per “cedros Libani” et per “quercus Baschanis” significatur fastus ex propria intelligentia, fastus interior per “cedros Libani” et exterior per “quercus Baschanis;” per “montes” et “colles” significantur amores sui et mundi, et inde scaturientia mala et falsa (*ut supra, n. 405[*g-i*] ostensum est*); per “turrim” et “murum” significantur falsa doctrinae confirmata; per “naves Tharschisch” et “imagines desiderii” significantur cognitiones et perceptiones falsi ex malo; cultus eorum ex malis et falsis significatur per “idola quae fecerunt sibi ad incurvandum se talpis et vespertilionibus,” cultus ex talibus quae sunt ex propria intelligentia significatur per “idola quae fecerunt sibi ad incurvandum se,” mala et falsa doctrinae ex quibus cultus significantur per “talpas et vespertiliones,” quia visus eorum est in tenebris et fugiunt lucem; judicium super illos describitur per quod “intrabunt in speluncas petrarum et in fissuras pulveris,” tum “in scissuras petrarum et in fissuras rupium,” ac per “intrare in speluncas petrarum et fissuras pulveris” significatur damnatio illorum qui in malis et falsis ex amoribus sui et mundi, et ex fastu propriae intelligentiae sunt, inferna enim eorum apparent ut speluncae in petris, ac aditus in illa ut scissurae petrarum et fissurae rupium; “petrae” et “rupes” etiam significant falsa fidei et doctrinae, ac “pulvis” significat damnatum. Apud *Feremiam*,

“Terror tuus decepit te, superbia cordis tui, habitans in foraminibus petrarum, tenens altitudinem collis; si exaltares sicut aquila nidum tuum, inde dejicerem te” (xlix. 16):

haec dicta sunt de Esavo et Edomo, et per "Esavum" hic significatur amor sui et inde malum perdens ecclesiam, et per "Edomum" fastus propriae intelligentiae et inde falsum perdens ecclesiam: quod amor sui et fastus ille intelligatur, patet ex eo, quod dicatur, "Superbia cordis tui decepit te; ... si exaltares sicut aquila nidum tuum, inde dejicerem te." Illi qui in falsis ex propria intelligentia sunt infra in petris habitant, et aditus ad illos apparent sicut foramina ibi, quae etiam mihi quoque visa sunt; intus tamen sunt cellae lacunatae et camerae, ubi sedent in phantasiis suis; sed antequam illuc injiciuntur, apparent illi supra montes et colles, evehunt enim se in altitudines per phantasias; et quia non in veris sunt, putant quod corpore ibi sint, cum tamen corpore sunt in cavernis petrarum: hoc itaque est quod intelligitur per "habitans in foraminibus petrarum, tenens altitudinem collis." Inde constat quale est Verbum, quod nempe multis in locis secundum facies et apparentias in mundo spirituali ignotas homini, sed notas spiritibus et angelis; ex quo patet quod Verbum etiam sit pro illis scriptum. Apud *Obadiam*,

"Superbia cordis tui decepit te, qui habitans in fissuris petrae, altitudine sedis tuae, qui dicit corde suo, Quis detrahet me in terram? Si exaltaveris te sicut aquila, et si inter stellas ponis nidum tuum, inde detraham te" (vers. 3[. 4]):

haec quoque de Edomo, per quem hic significatur fastus eruditionis quae est ex propria intelligentia, et inde falsum perdens ecclesiam. Quia paene similia hic dicuntur ut mox supra, etiam similia significantur: per "scissuras petrae" significantur falsa fidei et doctrinae, quoniam ibi habitant qui in illis; comparantur aquilae, quia per "aquilam," ex volatu in altis, significatur fastus propriae intelligentiae; ex eo etiam dicitur "nidus pro habitatione;" "ponere illum inter stellas" significat in altis ubi habitant qui in cognitionibus veri, nam per "stellas" significantur cognitiones veri. Apud *Hiobum*,

"In fissura vallium ad habitandum, in foraminibus terrae et petris" (xxx. 6):

etiam hic per "fissuras vallium," "foramina terrae," et "petras" significantur falsa mali, agitur enim ibi de falsis mali.

[*c.*] Apud *Esaiam*,

“Fiet in die illo, sibilabit Jehovah muscae quae in extremitate fluviorum Aegypti, et api quae in terra Aschuris, quae venient et quiescent omnes in fluviis desolationum et in fissuris petrarum, et in omnibus virgultis et in omnibus ductibus” (vii. 18, 19):

ita describitur ecclesia vastata per scientifica false applicata et per ratiocinia inde, per quae ipsae cognitiones veri ex Verbo pervertuntur. “Musca in extremitate fluviorum Aegypti” significat falsum in extremis naturalis hominis: extrema naturalis hominis sunt quae vocantur sensualia; est enim naturalis homo interior, medius et exterior; interior communicat cum spirituali homine per rationale, exterior autem cum mundo per sensus corporis, ac medius conjungit utrumque; exterior est qui vocatur sensualis quia a sensibus corporis pendet et sua haurit; falsa ibi et inde significantur per “muscas in extremitate fluviorum Aegypti.” Per “apem” autem “in terra Aschuris” significantur ratiocinia falsa inde; per “Aschurem” enim significatur rationale, et per “Aegyptum” scientificum naturalis hominis; et quia rationale omne suum haurit ex scientificis naturalis hominis, inde ratiocinia ejus significantur per “apes,” quia apes exsugunt et trahunt sua ex floribus, ita rationale ex scientificis naturalis hominis; hic autem per “apes” significantur ratiocinia falsa, quia rationale colligit sua ex scientificis false applicatis: quod illa assimilentur muscis et apibus, est etiam ex correspondentia, apparent enim in mundo spirituali varii generis volatilia, sed sunt apparentiae ex ideis cogitationum spirituum, et volatilia noxia inter illa sunt talis generis muscae et apes; “muscae in extremitate fluviorum Aegypti” trahunt correspondentiam ex enascentia eorum ex foctore fluviorum. Quod dicatur quod “venient et quiescent in fluviis desolationum et in fissuris petrarum” significat quod falsa scientificorum et inde ratiociniorum resideant ubi nulla vera sunt et ubi fides falsi; “fluvii desolationum” sunt ubi nulla vera, et “fissurae petrarum” ubi fides falsi: quod “in omnibus virgultis et in omnibus ductibus” significat quod per illa falsificate sint cognitiones et perceptiones veri; “virgulta” sunt cognitiones veri, et “ductus” sunt perceptiones, quae falsificantur ex falsis supra memoratis dum influunt. Quod haec arcana illis verbis insint, nemo nisi ex sensu interno, et simul ex mundo spirituali, videre et

scire potest. Apud eundem,

"Palatum erit desertum, multitudo urbis derelicta, clivus et specula erunt super speluncis in aeternum usque, gaudium onagrorum et pascuum gregum" (xxxii. 14):

per haec describitur ecclesiae vastatio totalis, ubi non amplius aliquod bonum vitae ac verum doctrinae; sed usque nemo scire potest quid illa involvunt, nisi qui scit statum rerum in mundo spirituali, et simul sensum internum. Devastatio totius ecclesiae intelligitur per "Palatum erit desertum, et multitudo urbis derelicta;" "palatum" significat totam ecclesiam quoad vera ex bono, ac "desertum" significat non bonum quia non verum; inde "palatum erit desertum" significat ecclesiam devastatam: "multitudo urbis" significat omnia vera doctrinae, "urbs" enim est doctrina, et "multitudo" dicitur de veris, quae "derelicta" dicuntur quando non sunt: quod "clivus et specula erunt super speluncis in aeternum usque" significat quod amplius nulla ecclesia apud illos erit, quia non nisi quam malum vitae et falsum doctrinae; "speluncae" significant illa ex causa quia tales habitant in speluncis, ut supra dictum est; et quia tales in mundo spirituali in profundis habitant, et supra teguntur a clivis et speculis, ita absconditi ab illis qui supra terris ibi commorantur; ideo non modo dicitur quod "clivus et specula erunt super speluncis," sed etiam quod "gaudium onagrorum et pascuum gregum;" in illo mundo etiam sunt inferna plura in profundis prorsus abscondita per terras, petras et colles supra, seu per clivos et speculas, ubi gramen sicut pascuum gregibus; unde fit quod ignota sint habitantibus super terra ibi: "gaudium onagrorum" etiam significat affectionem seu amorem falsorum, ac "pascuum gregum" nutritionem mali ex falsis, ac utrumque devastationem veri per falsa: ex his videri potest quodnam arcanum in his verbis latet. Apud *Jeremiām*,

"Num spelunca latronum facta est domus haec, super qua nominatur nomen meum?" (vii. 11:)

per "speluncam latronum" significatur malum vitae ex falsis doctrinae, et per "domum super qua nominatur nomen meum" significatur ecclesia ubi cultus ex bonis vitae per vera doctrinae; "domus" est ecclesia, "nomen Jeho-

vae" est omne per quod colitur, ita bonum et verum, hoc doctrinae et illud vitae: quod ecclesia ubi malum vitae ex falsis doctrinae dicatur "spelunca latronum," est quia "spelunca" significat illud, et "latrones" dicuntur qui furantur ex Verbo vera, ac illa pervertunt et applicant falsis et malis, et sic extinguunt illa. Ex his patet quid intellegitur per Domini verba apud *Evangelistas*,

"Scriptum est quod domus mea domus precum vocabitur, vos autem fecistis eam speluncam latronum" (*Matth.* xxi. 13; *Marc.* xi. 17; *Luc.* xix. 46):

per "domum" ibi in universali sensu significatur ecclesia; et quia in Templo Hierosolymae peragebatur cultus, ideo vocatur "domus precum." (Quod "Templum" significet ecclesiam, videatur n. 3720; quod "preces" significant cultum, supra, n. 325; quod "vocari" significet simile quod supra "nominare nomen meum super illa," in *Arcanis Caelestibus*, n. 3421.) *Apud Esaiam,*

"Ludet sugens super foramine viperae, et super speluncam basilisci ablactatus manum suam impellet" (xi. 8):

haec nec intelliguntur, nisi ex illis, quae in mundo spirituali apparent, sciatur quid "foramen viperae" et quid "spelunca basilisci:" supra dictum est quod aditus ad inferna appareant sicut foramina in petras, et sicut hiatus patentes ad speluncas quales sunt feris in silvis; illi qui inibi sunt, dum spectantur in luce caeli, apparent sicut monstra varii generis, et quoque sicut ferae; illi qui in infernis sunt ubi tales qui contra innocentiam dolose agunt, apparent sicut viperae, et illi qui contra bonum amoris sicut basilisci; et quia "sugens" seu infans lactens significat bonum innocentiae, ideo dicitur, "Ludet sugens super foramine viperae;" et quia "ablactatus" seu infans cessans lactare significat bonum amoris, ideo dicitur, "et super speluncam basilisci ablactatus manum suam impellet;" inde per illa significatur quod illis qui in bono innocentiae ac in bono amoris in Dominum sunt, prorsus nihil timoris sit a malis et falsis, quae ab inferno, quia tuti a Domino. (Quod per "infantes" in Verbo significetur bonum innocentiae, et quoque per "lactantes," videatur n. 430, 3183: quid "viperae," et quid serpentes alii venenati significant, n. 9013.) *Apud Jeremiam,*

"Sume cingulum quod emisti tibi, quod super lumbis tuis, et surge et abi ad Euphratem, et absconde illud in foramine petrae:" quod etiam fecit; et postea a fine dierum multorum abiit et recepit id ibi, "et ecce corruptum erat, et non proderat ad quicquam" (xiii. 4-7):

per haec repreaesentabatur qualis Ecclesia Judaica erat, quod nempe absque omni bono vitae et vero doctrinae: "cingulum" enim super lumbis Prophetae significabat conjunctionem Domini cum ecclesia per Verbum; per "Euphratem" significatur omne ecclesiae quoad bonum, ibi quoad malum; et per "petram" omne ecclesiae quoad verum, ibi quoad falsum, nam dicitur "foramen petrae:" quod "cingulum corruptum esset ut non prodesset ad quicquam" significabat quod prorsus non aliqua conjunctio ecclesiae cum Domino, proinde quod non ecclesia. Simile quod per "speluncam" in propheticis Verbi, etiam per illam in historicis Verbi, significatur; nam historicis Verbi aequa ac propheticis Verbi sensus internus inest:—Ut quod memoratur de Lothro, quod post combustionem Sodomae et Gomorrhæ

Habitaverit in spelunca montis cum duabus filiabus suis, quae inebriaverunt illum, et cubuerunt cum illo; unde nati sunt Moab et Ammon (*Genes. xix. 30-33*):

per haec repreaesentatum et significatum est simile quod per Moabum et Ammonem in Verbo, per "Moabum" enim significatur adulteratio boni ecclesiae, et per "Ammonem" falsificatio veri ecclesiae (videatur n. 2468, 8315); per "adulteria" enim et per "scortationes" significantur in genere adulterationes boni et falsificationes veri (videatur supra, n. 141, 161); et per varia genera adulteriorum et scortationum (quae recensentur *Levit. xviii. 6-30*), significantur varia genera adulterationum et falsificationum boni et veri; et inde est quod Lothus tunc dicatur commoratus in spelunca: tale etiam nefandum per "speluncam montis" ibi significatur. In *Libro Iudicum* dicitur

Quod filii Israelis fecerint malum in oculis Jehovah, et quod ideo dati sint in manum Midianis, et quod propter Midianem fecerint sibi speluncas in montibus et antra et munitiones (*vi. 1, 2*):

per "malum," quod filii Israelis fecerunt, intelligitur perversio boni et veri, ut constare potest ex sequentibus ibi, et quoque ex significatione "Midianis" (videatur n. 3242), propter quem fecerunt sibi speluncas in montibus et antra; a malo enim quod per "Midianem" significatur, erant filii Israelis occupati; nam "propter Midianem" significat propter illud malum. Similiter cum filii Israelis fugerunt propter Philisthaeos (*I Sam. xiii. 6*).

**411[a].** [Vers. 16.] “*Et dicebant montibus et petris, Cadite super nos.*”—Quod significet *obtentionem a malis et a falsis inde*, constat ex significatione “montium,” quod sint mala ex amoribus sui et mundi scaturientia (de qua supra, n. 405[*s-i*] ); et ex significatione “petrarum,” quod sint falsa ex malo (de qua *infra*); et ex significatione “cadere super nos,” quod sit ab illis obtegi. Etiam haec illustranda sunt ex talibus quae in mundo spirituali existunt quando ultimum judicium est, nam haec dicta sunt de ultimo judicio, ut patet ex sequente versu, ubi dicitur, “*Quia venit dies magnus irae Eius, et quis potest stare?*” per quem diem intelligitur tempus et status ultimi judicii. Status impiorum tunc est talis ut dejicient se e montibus et petris, super quibus habitationes suas fecerunt, in inferna profunde secundum atrocitatem malorum et falsorum apud illos; et hoc faciunt ipsi quia non sustinent Divinum Bonum ac Divinum Verum. Aperiuntur tunc caeli superiores, e quibus influit lux caeli, quae est Divinum Verum unitum Divino Bono: ex hac luce constringuntur simulata bona et vera quae apud illos; quibus constrictis aperiuntur mala et falsa eorum; et quia haec et illa non sustinere possunt lucem caeli, anguntur enim et cruciantur ex illa, ideo conjiciunt se a montibus et petris in inferna profunde secundum quale mali et falsi sui, quidam in hiatus et speluncas, quidam in foramina et petras, quae tunc stant coram illis aperta; et postquam illuc se conjecterunt, clauduntur aperturae. Hoc modo fit ejactio malorum spirituum ex montibus et collibus, quos occupaverunt (videatur supra, n. 391[a], 392[a], 394). Quando in speluncis et in petris sunt, tunc cessant angores et cruciatus quos ab influxu lucis caeli sustinuerunt, nam quies illis est in suis malis et inde falsis, quia haec illis jucunda fuerunt; jucunda enim vitae unumquemvis manent post mortem; jucunda vitae sunt jucunda amorum illorum, nam omne jucundum vitae est amoris: inde constare potest quid significatur per quod “*dicant montibus et petris ut cadant super illos;*” similiter quid significatur apud *Hoscheam*,

“*Dicent montibus, Operite nos; et collibus, Cadite super nos*” (x. 8);  
et apud *Lucam*,

“*Tunc incipient dicere montibus, Cadite super nos; et collibus, Occultate nos*” (xxiii. 30):

ibi etiam agitur de ultimo judicio. Lux caeli, quae est Divinum Verum unitum Divino Bono, a cuius influxu et praeSENTia anguntur et cruciantur mali qui se dejiciunt, intelligitur per verba mox sequentia in hoc versu, "Abscondite nos a facie Sdentis super throno et ab ira Agni:" "ira Agni" dicitur, quia cruciantur; verum cruciatus eorum non est inde, sed ex malis amorum et ex falsis fidei eorum. Haec quia formarunt omnia interiora mentis eorum, nam cujusvis mens formatur ex amore suo et inde fide usque ut sit instar ejus in forma, et quia interiora mentis illorum qui in malis et inde falsis sunt versa sunt in partem contrariam seu in plagam oppositam bonis et veris Divinis, ideo cum Divinum Verum influit, et conatur retroagere interiora quae mentis eorum, et per id adducere illos in caelum, hoc enim Divinum Verum procedens a Domino ubique facit ubi influit, et illi non volunt recedere a suorum amorum jucundis, inde illis angores et cruciatus, qui cessant cum veniunt in inferna ubi similia jucunda seu similes amores regnant.

[b.] Quoniam supra (n. 405) ostensum est quid "montes" et "colles" significant, ideo in nunc sequentibus ostendetur quid "petrae;" quod nempe significant verum ex bono spirituali ac verum et bonum fidei, at in opposito sensu falsum fidei. Quod "petrae" significant illa, est quoque ex apparentiis in mundo spirituali; apparent enim ibi petrae et rupes, sicut apparent montes et colles, ut supra ostensum est; et super petris ibi habitant qui in veris ex bono spirituali sunt et qui in vero et bono fidei. Sed differunt montes et colles a petris et rupibus ibi in eo, quod montes et colles sint ex humo, petrae autem et rupes ex saxo; humus enim correspondet bono amoris et inde significat illud, saxum autem correspondet vero fidei et inde significat illud. Et quia pleraque in Verbo etiam oppositum sensum habent, ita etiam "petrae," et in eo sensu significant falsum fidei, et hoc quoque ex correspondentia; nam qui in falsis fidei sunt, habitant intra petras in cavernis ibi. Quod "petra" significet verum ex bono, ac verum fidei, et in supremo sensu Dominum quoad illa, constat ex sequentibus locis:—Apud *Danielem*,

"[1]Videns fuisti usque dum excisus est Lapis, qui non per manus, et percussit statuam super pedes ejus, qui ferrum et argilla....; et

Lapis qui percussit statuam, factus est in Petram magnam, et implevit totam terram" (ii. 34, 35):

haec de statua Nebuchadnezari in somnio visa; quod per "Lapidem," qui "factus in Petram magnam," intelligatur Dominus, ex singulis ibi patet; sed quid praecedentia ibi significant, primum dicetur. Per "caput statuae," quod erat aurum, significatur Antiquissima Ecclesia, quae fuit ecclesia caelestis, seu ecclesia in qua regnabat bonum amoris in Dominum; hoc bonum in Verbo significatur per "aurum" et quoque per "caput:" per "pectus" et "brachia," quae erant argento, significatur Antiqua Ecclesia, quae successit Antiquissimae, quae ecclesia fuit ecclesia spiritualis, seu ecclesia in qua regnabat bonum charitatis erga proximum ac verum ex bono; hoc verum et illud bonum significatur per "argentum" et quoque per "pectus" et "brachia:" per "ventrem" et "femora," quae erant aes, significatur Ecclesia quae successit Ecclesiae Antiquae spirituali, et vocari potest spiritualis naturalis; in illa regnabat bonum fidei ac verum ex illo bono; id bonum in Verbo significatur per "aes," et quoque per "ventrem" et "femora:" per "crura" autem et "pedes," qui "ex parte erant ferrum ex parte argilla," significatur Ecclesia Israelitica et Judaica, quae erat ecclesia externa in qua non internum; cui ideo non verum et bonum, sed verum falsificatum quod in se est falsum, et bonum adulteratum quod in se est malum; quare de ea in illo capite dicitur,

"Quod vidisti ferrum mixtum cum argilla luti, commiscebunt se per semen hominis, sed non cohaerebunt unum cum altero, quemadmodum ferrum non commiscetur cum argilla" (vers. 43):

"ferrum" significat naturale verum, et "argilla luti" naturale bonum, similiter "pedes" et "crura;" sed ibi "argilla" significat bonum adulteratum, et "ferrum" verum quale est in externo sensu Verbi; "semen" enim "hominis" est Verbum ubi vera et bona, quorum adulterationes et falsificationes describuntur per "ferrum mixtum cum argilla, quae non cohaerent unum cum altero." (Quod quatuor ecclesiae fuerint, una post alteram, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 247, 248.) Per "Lapidem" qui percussit statuam intelligitur Divinum Verum a Domino; quod ille "factus sit in Petram magnam, et impleverit totam terram," significat quod Dominus per Divinum Verum dominaturus sit super caelum et eccl-

siam; "terra" ibi est ecclesia et quoque caelum: quare etiam dicitur quod regnum hoc "in aeternum stabit" (vers. 44); per "regnum" etiam significatur ecclesia et caelum, ibi enim est regnum Dei. Quod Divinum Verum per "Lapidem," et Dominus quoad Divinum Verum per "Petram" ibi intelligatur, constat ex significatione "Lapidis" in Verbo ubi de Domino

(*Ut Genes. xlix. 24; Psalm. cxviii. 22, 23; Esai. xxviii. 16; Matth. xxi. 42, 44; Mare. xii. 10, 11; Luc. xx. 17, 18.*)

Sive dicas Dominum sive Divinum Verum, idem est, quoniam omne Divinum Verum est ab Ipso, et inde Ipse in illo: ex eo est quod etiam Dominus dicatur "Verbum," nam Verbum est Divinum Verum. (Quod "lapis" in supremo sensu significet Dominum quoad Divinum Verum, et inde in sensu inferiori verum ex bono, videatur n. 643, 1298, 3720, 6426, 8609, 10376.)

[c.] Quod "Petra" significet Dominum quoad Divinum Verum, constat

Ex petra in Chorebo, ex qua aquae populo Israelitico datae sunt (*Exod. xvii. 5, 6*);

**et quod mandatum sit**

Ut Moses et Aharon loquerentur ad Petram, et sic sanctificarent Jehovah in oculis filiorum Israelis; sed quod Moses baculo percusserit illam duabus vicibus; quare denuntiatum est Mosi et Aharoni, quod non deducerent populum in terram Canaanem (*Num. xx. 8-13*):

quod "Petra illa" significaverit Dominum, notum est in ecclesia; sed non notum est quod ideo significaverit, quia "petra" in Verbo significat Divinum Verum procedens a Domino; quare etiam mandatum est Mosi et Aharoni ut loquerentur ad illam, et sic sanctificarent Jehovah in oculis filiorum Israelis: per "aquas" etiam quae effluerunt significatur Divinum Verum, et per "potare populum ex illis" significatur spiritualiter nutrire, quod fit instruendo et docendo. (Quod "aqua" significet vera, videatur supra, n. 71; et quod "bibere" et "potari" significet instrui et doceri, in *Arcanis Caelestibus*, n. 3069, 3772, 4017, 4018, 8562, 9412.) Simile itaque significatur per "petram" apud *Esaiam*,

"Non sient, in vastitatibus ducet eos, aquas e petra effluere faciet illis, dum findit petram, ut effluent aquae" (xlviii. 21):

**apud Davidem,**

"Diffidit petras in deserto, et bibere fecit abyssos magnas, et eduxit fluenta e petra: . . . et recordati sunt quod Deus Petra eorum, et Deus excelsus Redemptor eorum" (Ps. lxxviii. 15, 16, 20, 35):

*apud eundem,*

“Aperuit petram ut effluerent aquae; iverunt in siccitatibus, fluvius”  
(Ps. cv. 41):

*apud eundem,*

“A coram Domino parturis, terra, a coram Deo Jacobi, qui convertit  
petram in stagnum aquarum, silicem in fontem aquarum” (Ps. cxiv.  
[7,] 8):

quod “petra” in his locis significet Dominum quoad Di-  
vinum Verum, seu quod idem, Divinum Verum a Domino,  
patet a supradictis; tum etiam ex eo, quod in binis illis  
locis apud *Davidem*, agatur de redemptione et regenera-  
tione hominum ecclesiae, quod fit per Divinum Verum a  
Domino; de redemptione per haec, “Recordati sunt quod  
Deus Petra eorum et Deus excelsus Redemptor eorum;”  
de regeneratione per haec, “A coram Domino parturis,  
terra;” per “parturire,” cum dicitur de ecclesia, significatur  
reformari et regenerari. *Apud Esaiam,*

“Attendite ad Me sectantes justitiam, quaerentes Jehovahm; respicite ad  
Petram ex qua excisi estis, et ad effosionem foveae ex qua effossi  
estis” (li. 1):

per “Petram” intelligitur Dominus quoad Divinum Verum,  
et per “foveam” significatur Verbum, ut quoque alibi;  
“excidi ex Petra” et “effodi ex fovea,” significat regene-  
rari ex Divinis veris et Divinis bonis, ita per vera ex bono  
a Domino; nam “lapides qui exciduntur e Petra” signifi-  
cant vera ex Domino, et “humus qui effoditur ex fovea”  
significat bonum a Domino; quare dicitur “effosio foveae.”  
*Apud Mosen,*

“Date magnitudinem Deo nostro; Petra, cuius perfectum est opus, et  
omnes Ejus viae judicium. .... Equitare fecit eum super excelsis  
terrae, et cibat proventu agrorum, sugere facit eum mel e rupe, et  
oleum ex saxo petrae. .... Petram quae genuit te oblivioni dedisti,  
et oblitus es Dei Formatoris tui:.... nonne quia Petra eorum vendi-  
dit eos, et Jehovah occlusit eos? non enim sicut Petra nostra petra  
eorum, neque hostes nostri judices” (*Deut.* xxxii. [3,] 4, 13, 18,<sup>[1]</sup>30.  
31):

haec dicta sunt de Ecclesia Antiqua, quae fuit ecclesia  
quae in veris ex bono; quare describuntur vera ex bono  
per varia quae correspondent, ut per quod “equitare fecerit  
eum super excelsis terrae,” “cibaverit proventu agrorum,”  
“sugere fecerit mel e rupe et oleum e saxo petrae:” intel-  
ligentia spiritualium istius ecclesiae significatur per quod  
“equitare eum fecerit super excelsis terrae;” “equitare”

significat intelligere, "excelsa terrae" sunt spiritualia ecclesiae: nutritio spiritualis inde significatur per [quod] "cibavit eum proventu agrorum; " cibare " est nutrire, et "proventus agrorum" sunt omnia ecclesiae: quod eis bonum naturale et bonum spirituale per Divinum Verum a Domino, significatur per "quod sugere fecit eum mel e rupe, et oleum e saxo petrae;" "mel" est bonum naturale, "oleum" est bonum spirituale, "rupis" est Divinum Verum a Domino externum quod pro naturali homine, et "saxum petrae" est Divinum Verum a Domino internum quod pro spirituali homine: postea ibi agitur de Ecclesia Judaica, quae non in aliquo Divino Vero erat, de qua dicitur, "Petram, quae genuit te, oblivioni dedisti, et oblitus es Dei Formatoris," per quae significatur quod Dominum et inde Divinum Verum, per quod reformatur ecclesia, rejecerint; "Petra" est Dominus quoad Divinum Verum, et reformatio per id ab Ipso significatur per "qui genuit te" et per "Deum Formatorem:" quod prorsus deprivati vero et bono essent, significatur per quod "Petra eorum vendidit eos, et Jehovah occlusit eos;" "Petra" dicitur ex vero et "Jehovah" ex bono, "vendere" et "occludere" est deprivari: quod falsum illis ex malo fuerit, significatur per "non sicut Petra nostra petra eorum, neque hostes nostri judices;" "petra eorum" est falsum, "hostes nostri" sunt mala, "non judices" significat non vera et bona. Ex his constare potest quod "Petra" significet Dominum quoad Divinum Verum, et in opposito sensu falsum. In *Libro Secundo Samuelis*,

"Spiritus Jehovahe locutus est in me, et sermo Ejus super lingua mea; dixit Deus Israelis, [mihi] locuta est Petra Israelis, dominans in hominem justum, dominans timor Dei" (xxiii. 2, 3):

hic manifeste "Petra" pro Domino, nam per "Deum Israelis" in Verbo intelligitur Dominus; quare dicitur "Spiritus Jehovahe locutus est in me, et sermo Ejus super lingua mea;" tum, "Dixit Deus Israelis, mihi locuta est Petra Israelis;" "Spiritus Jehovahae" et "sermo Ejus" significat Divinum Verum, et Dominus vocatur "Deus Israelis" ex cultu, et "Petra Israelis" ex Divino Vero ex quo cultus; quia est Dominus qui intelligitur, ideo dicitur quod "Petra Israelis" locuta sit: dominium Ipsius super illos qui in bono sunt et qui in vero significatur per "dominans super

hominem justum, dominans super eum cui timor Dei;" "justum" dicitur de bono, ac "timor Dei" de vero; agitur enim in eo psalmo Davidis de Domino: ex quo etiam patet quod Dominus intelligatur per "Deum Israelis" et per "Petram Israelis." Apud *Davidem*,

"Utinam populus meus obediat Mihi, Israel in viis meis ambulaverit;  
....<sup>[1]</sup>cibarem eos adipe tritici, et e Petra melle saturarem eos"  
(Ps. lxxxii. 14, 17 [B. A. 13, 16]);

per "Petram" etiam hic intelligitur Dominus quoad Divinum Verum (videatur supra, n. 374[c], ubi explicata sunt). Apud eundem,

"Quis Deus praeter Jehovah, aut quae Petra nisi Deus <sup>[2]</sup>noster?.... Vivus Jehovah, et benedicta Petra mea, et exaltabitur Deus salutis meae" (Ps. xviii. 3, 32, 47 [B. A. 2, 31, 46]; 2 Sam. xxii. 2, 3, [32,] 47);

quod dicatur, "Quis Deus praeter Jehovah, et quae Petra nisi Deus <sup>[2]</sup>noster?" est quia ubi de Divino Bono agitur Dominus dicatur "Jehovah," et ubi de Divino Vero "Deus," et quoque "Petra," ut hic; pariter postea, "Vivus Jehovah et benedicta Petra mea:" "exaltabitur Deus salutis meae" significat quod colendus per vera ex bono, unde salus; "exaltari," cum de Deo, dicitur de cultu ex bono per vera. Apud eundem,

"Sint in beneplacitum sermones oris mei, et meditatio cordis mei coram Te; Jehovah Petra mea, et Redemptor mi" (Ps. xix. 15 [B. A. 14]):

per "Jehovam Petram" significatur simile quod per "Jehovam Deum," nempe Dominus quoad Divinum Bonum et Divinum Verum, et "Redemptor" ex regeneratione quae fit per Divinum Verum; "sermones oris" significant intellectum veri, ac "meditatio cordis" perceptionem boni. Apud eundem,

"Dico Deo Petrae meae, Quare oblitus es mei?" (Ps. <sup>[3]</sup>xlvi. 10 [B. A. 9]):

per "Deum Petram" intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, ibi quoad tutamen. Apud eundem,

"Ad Te, Jehovah, clamo; Petra mea, ne sileas a me, ne forte sileas a me" (Ps. xxviii. 1):

hic quoque "Jehovah" et "Petra" dicitur, quia per "Jehovam" intelligitur Dominus quoad Divinum Bonum, et per

“Petram” Dominus quoad Divinum Verum ; et quia hoc et illud intelligitur, ideo etiam bis dicitur, “Ne sileas a me, ne forte sileas a me,” unum enim se refert ad Divinum Bonum, alterum ad Divinum Verum, nam in Verbo est conjugium caeleste in singulis ejus, quod est conjugium boni et veri.  
*Apud Habakuk,*

“Jehovah ad judicium posuisti eum, et Petra ad corripiendum stabili-  
 visti eum” (i. 12) ;

*apud Esaiam,*

“Confidite in Jehovah in aeternum, quia in Jah Jehovah Petra aeter-  
 nitatis” (xxvi. 4) ;

*apud eundem,*

“Cantus erit vobis sicut noctis sanctificandi festum, et gaudium cordis  
 sicut incidentis cum fistula ad veniendum in montem Jehovahae, ad  
 Petram Israelis” (xxx. 29) ;

*apud eundem,*

“Num Deus est praeter Me? nec Petra, non novi” (xliv. 8) ;

*apud Davidem,*

“Jubilabimus Petrae salutis nostrae, veniemus ante facies Ejus in con-  
 fessione” (Ps. xcvi. 1, 2) ;

*in Libro Primo Samuelis,*

“Non Sanctus sicut Jehovah, . . . et non Petra sicut Deus noster” (ii. 2) ;

*apud Davidem,*

“Rectus Jehovah Petra mea” (Ps. xcii. 16 [B. A. 15]) ;

*apud eundem,*

“Ille vocabit Me, Pater meus Tu ; Deus meus, Petra salutis meae : etiam  
 Ego Primogenitum dabo Eum altum regibus terrae” (Ps. lxxxix. 27, 28 [B. A. 26, 27]) :

*in his locis per “Petram” intelligitur Divinum Verum a  
 Domino, et Ipse Dominus ; praeter etiam in aliis locis :—  
 Ut apud Evangelistas,*

“Omnis qui audit verba mea et facit ea, comparabo eum viro prudenti,  
 qui aedificat domum suam super petra ; et descendit imber, et vene-  
 runt flumina, ac flarunt venti, et irruerunt in domum illam, tamen  
 non cecidit, fundata enim erat super petra” (Matth. vii. 24, 25 ;  
 Luc. vi. 48) :

per “domum fundatam super petra” intelligitur ecclesia  
 et homo ecclesiae, qui doctrinam et viam suam fundavit  
 super Divino Vero quod est a Domino, ita super illis quae  
 in Verbo sunt, proinde qui in veris ex bono a Domino est ;

dicitur *qui in veris ex bono*, quoniam Divinum Verum non recipitur ab alio quam qui in bono est. In bono esse est in bono vitae, quod est charitas; quare dicitur, "qui audit verba mea et facit illa;" "facere verba" Domini est bonum vitae, verum enim, cum homo facit illud, fit bonum; nam intrat voluntatem et amorem, et quod fit voluntatis et amoris, hoc bonum vocatur. Tentationes, in quibus talis homo ecclesiae non succumbit sed vincit, significantur per "Descendit imber, venerunt flumina, flarunt venti, et irruerunt in domum, et tamen non cecidit, quia fundata erat super petra;" in Verbo enim per "inundationes aquarum" et "imbres" significantur tentationes, et quoque per "procellas venti:" comparatio quidem est, sed sciatur quod omnes comparationes in Verbo aequae sint ex correspondentiis prout res non comparative dictae (videatur supra, n. 69; et in *Arcanis Caelestibus*, n. 3579, 8989).

[d.] Ex his nunc manifeste patet quod per "Petram" in Verbo significetur Dominus quoad Divinum Verum, seu Divinum Verum a Domino. Exinde constare potest quid significatur per Domini verba ad Petrum, apud *Matthaeum*,

Jesus dixit ad discipulos, "Vos vero quem Me dicitis esse? Respondit Simon Petrus, Tu es Christus Ille Filius Dei Viventis. Respondens Jesus dixit illi, Beatus es, Simon fili Jonae, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in caelis: Ego tibi dico, Tu es Petrus, et super hac Petra aedificabo ecclesiam meam, et portae inferni non praevalebunt illi, et dabo tibi claves regni caelorum, ut quicquid ligaveris in terra erit ligatum in caelis, et quicquid solveris in terra, erit solutum in caelis" (xvi. 15-19):

per "Petrum" hic non intelligitur Petrus, sed intelligitur Divinum Verum a Domino (sicut in supra allatis locis); omnes enim discipuli Domini simul repreäsentabant ecclesiam, et unusquisque eorum aliquid ecclesiae; Petrus verum ecclesiae, Jacobus bonum ejus, et Johannes bonum actu seu opera; reliqui discipuli repreäsentabant vera et bona quae derivantur ex illis; prorsus sicut duodecim tribus Israelis: quod ita sit, videbitur in sequentibus, ubi de Tribubus et de Discipulis agetur. Inde est, quod illi tres discipuli præ reliquis in Verbo nominentur. Quod Dominus illa verba ad Petrum dixerit, est quia ille tunc confessus est, dicendo, "Tu es Christus Filius Dei Viventis," quod in sensu spirituali significat quod sit Divinum Verum; "Christus" id significat, et quoque "Filius Dei;" (quod "Christus," videatur in

*Arcanis Caelestibus*, n. 3004, 3005, 3009; quod etiam "Filius Dei," supra, n. 63, 151, 166;) ex qua confessione Petrus repreaesentabat Divinum Verum a Domino in ecclesia, quapropter etiam vocatur "Petra," ac dicitur "Tu es Petra, super hac Petra aedificabo ecclesiam meam;" per quod ideo significatur, quod super Divino Vero quod a Domino, seu quod idem, super veris ex bono, nam super his aedificatur ecclesia. Ut Petrus id in ecclesia repreaesentaret, dictus est "Petra" a Domino, ut patet apud *Johannem*,

"Inspiciens illum Jesus dixit illi, Tu es Simon Jonae filius; tu vocaberis Kephah, quod si interpreteris, est Petra" (i. 43 [B. A. 42]):

*kephah* significat petram in lingua Syriaca, quare etiam Petrus in illo textu ubivis vocatur "Kephah;" et quoque *kephah* est petra in lingua Hebraea

(Ut patet apud *Jeremiam*, cap. iv. 29; et apud *Hiobum*, cap. xxx. 6, ubi "petrae" in plurali dicuntur);

at Petrus non nominatur *Petra* in lingua Graeca et Latina, quia personae nomen ei indebatur. Quod Dominus dixerit "Simon Jonae filius," et dein quod vocabitur "Petra," est quia "Simon Jonae filius" significat verum ex bono seu fidem ex charitate; et quia verum ex bono seu fides ex charitate non datur nisi apud illos qui in Divino Vero ex Domino sunt, et nunc Petrus confessus est, ideo vocatur "Petra;" non ipse quoad personam, sed Divinum illud Verum, quod erat confessionis, apud illum a Domino; quod id a Domino, intelligitur per verba Domini, quod "caro et sanguis non revelaverit tibi, sed Pater meus qui est in caelis;" per "Patrem in caelis" intelligitur Divinum in Domino, quoniam Pater erat in Ipso, et Ipse in Patre, atque erant unum (*Joh. xiv. 7-11*; cap. x. 30, 38). Quod "Simeon" significet verum voluntate, videbitur in sequente capite; et quod "columba," quae per "Jonam" significatur, significet bonum spirituale, videatur in *Arcanis Caelestibus* (n. 1870, 1826, 1827); inde per "Simon filius Jonae" significatur verum boni seu verum ex bono. Quia inferna nihil valent contra Divinum Verum procedens a Domino, nec contra aliquem hominem in quo Divinum Verum a Domino est, ideo dicit Dominus, quod "portae inferni non praevalebunt illi." Quod etiam Dominus dixerit, "Dabo tibi claves regni caelorum, et quicquid ligaveris in terra erit ligatum in caelis, et quicquid

solveris in terra erit solutum in caelis," significat quod omnia possint qui in veris ex bono a Domino sunt ; prorsus secundum haec verba,

"*Omnia quaecunque orantes petitis, credite quod accepturi sitis, tum fiet vobis*" (*Marc.* xi. 24; *Matth.* vii. 8; *Luc.* xi. 9);

quae quomodo intelligenda sunt, videatur supra (n. 405[f]), quod nempe si ex fide charitatis petant, quod non a se petant sed a Domino ; quicquid enim aliquis petit a Domino et non a semet, accipit. Quod illa verba, nempe "Quicquid ligaveris in terra erit ligatum in caelis, et quicquid solveris in terra erit solutum in caelis," id quod nunc dictum est <sup>[1]</sup>significant, patet a Domini verbis ad discipulos, et ad omnes qui in veris ex bono sunt a Domino, apud *Matthaeum*,

"Amen dico vobis, quaecunque ligaveritis super terra, erunt ligata in caelo, et quaecunque solveritis super terra, erunt soluta in caelis" (xviii. 18) :

haec verba ad omnes dicta sunt, ita non ad solum Petrum ; quod etiam Dominus in hoc capite mox declarat per haec,

"Dico vobis quod si duo ex vobis consenserint in nomine meo super terra de omni re, quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo qui in caelis est : ubi enim sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum" ([xviii.] vers. 19, 20) :

per "nomen Domini" intelligitur omne per quod colitur ; et quia colitur per verum ex bono quod ab Ipso, inde id per "nomen Ipsius" intelligitur ; (quod id per "nomen Domini" intelligatur, videatur supra, n. 102, 135;) simile itaque significatur per quod "fiet illis omnis res in caelis quam petierint super terra," quod significatur per quod "quicquid ligaveritis et solveritis super terra erit ligatum et solutum in caelis," nam verba priora explicantur per haec a Domino. Qui sensum spiritualem Verbi novit, is quoque scire potest cur dicitur "si duo consenserint," et dein "ubi sunt duo aut tres;" nempe quia "duo" praedicantur de bono, ac "tres" de vero, ita "duo" et "tres" de omnibus qui in veris ex bono sunt. (Quod Divino Vero quod a Domino sit omnis potentia in caelis et in terris, videatur supra, n. 209, 333; et in opere *De Caelo et Inferno*, n. 230, 231, 539; et in *Arcans Caelestibus*, n. 3091, 3563, 6344, <sup>[2]</sup>6423, 6948, 8200, 8304, 9643, 10019, 10182. Quod "duo" dicantur de bono, est quia significant conjunctionem per amorem, n. 1686, 5194, 8423; quod "tres" dicantur de veris, est quia significant omnia vera in complexu, similiter ac "duodecim," n. 577, 2089, 2129, 2130, 3272, 3858, 3913; quare cum "duo" et "tres" in mundo spirituali dicuntur, non intelliguntur duo et tres, sed

omnes qui in veris ex bono sunt. Quod "Petrus" significet verum ex bono quod a Domino, videatur in opusculo *De Ultimo Judicio*, n. 57.)

[e.] Haec tenus ostensum est quid "petra" significat in hoc sensu; sequitur nunc ut ostendatur quid "petra" significat in opposito sensu. In opposito sensu significat "petra" falsum infernale cui confiditur; ut in sequentibus his locis:—

*Apud Esaiam,*

"Excidens in altitudine sepulchrum <sup>[1]</sup>suum, incidens in petra habitaculum sibi" (xxii. 16):

agitur in eo capite de "Valle visionis" per quam significatur falsum doctrinae confirmatum per sensum litterae Verbi; amor falsi significatur per "sepulchrum in altitudine," ac fides falsi per "habitaculum in petra;" quod ipsi illa sibi faciant, significatur per "excidere et incidere sibi."

*Apud eundem,*

"In die illo rejicient vir idola argenti sui et idola auri sui quae faciunt vobis manus vestrae....; tunc cadet Aschur gladio non viri, et gladius non hominis comedet eum....: etiam petra ejus p[re]formidine transibit, et consternabuntur a vexillo principes ejus" (xxxii. 7-9):

agitur ibi de judicio super illos qui ex propria intelligentia in Divinis credunt se sapere, qui sunt qui in amore sui et mundi sunt, et eruditio[n]is famam propter se ambient; hi quia non vera possunt videre, arripiunt falsa et pro veris venditant: falsa faventia principiis eorum et amoribus eorum significantur per "idola argenti" et per "idola auri;" quod ex propria intelligentia, significatur per "quae fecerunt vobis manus vestrae;" quod perituri per suamet falsa, significatur per "tunc cadet Aschur gladio non viri, et gladius non hominis comedet eum;" "Aschur" est rationale perversum, et inde illi qui in falsis sunt ex propria intelligentia; "cadere et comedi gladio" est perire: hoc quoque repraesentatum est per regem Aschuris quod a filiis suis occisus fuerit (*Esai.* <sup>[2]</sup>xxxvii. 38); "filii" ejus ibi significant suamet falsa per quae periit; "petra ejus" quae p[re]formidine transibit significat omne falsum in genere cui confisi sunt, ac "principes" qui consternabuntur a vexillo significant primaria falsa; "a vexillo" dicitur, quia non per aliquam pugnam cum veris dissipantur, sed solum per signum pugnae quod est vexillum. Tales etiam mihi visi sunt dejecti e petris, super quibus erant, per vexillum circumactum. *Apud Jeremiam,*

"Prae voce equitis et sagittariorum fugiens tota urbs; intrarunt nubes et in petras ascenderunt; tota urbs deserta, neque habitans in ea vir" (iv. 29):

per haec describitur desolatio ecclesiae quoad vera: desolatio omnis veri doctrinae per falsa ratiocinia et inde falsa doctrinalia significatur per "prae voce equitis et sagittariorum fugit tota urbs;" "vox equitis" significat falsa ratiocinia, "vox sagittariorum" falsa doctrinalia, "fugit tota urbs" significat desolationem omnis veri doctrinae ("urbs" est doctrina): quod non agnoscatur aliquod verum sed mere falsum, significatur per "Intrarunt nubes et in petras ascenderunt;" "intrare nubes" significat in non agnitionem veri, et "ascendere petras" significat in mere falsum. Visae etiam mihi sunt petrae, quae constabant ex congestis lapidibus, et non ex aliquibus campis ubi vireta ut alibi super petris; super illis erant spiritus qui, dum homines in mundo vixerunt, in fide separata a charitate fuerunt, quae sola fides vocatur, et se in illa tam doctrina quam vita confirmarunt: hoc intelligitur per "ariditatem petrae," apud *Ezechielem*,

"Super ariditatem petrae [!] posuit illum, non effudit eum super terram, ut tegeret eum pulvis" (xxiv. 7);

et apud eundem,

"Ascendere faciam contra te gentes multas, . . . quae evertent muros Tyri, et destruent turres ejus; et detrahamb pulverem ejus ab illa, et dabo eam ariditatem petrae" (xxvi. [3.] 4, 14):

per "pulverem" in binis illis locis intelligitur humus, per quam significatur bonum ecclesiae; quando non humus est super petris, sed petrae aridae sunt seu constantes ex meris congestis lapidibus, ut supra dictum est, indicium est quod non aliquod bonum sit, et ubi non bonum ibi mere falsum est; hoc itaque per "ariditatem petrae" significatur, ac per quod "[non effuderit eum super terram, ut] tegeret eum pulvis," et per "Detrahamb pulverem ejus ab illa." Ex his etiam patet quid significatur per Domini verba apud *Evangelistas*,

"Alia" semina "ecciderunt super petrosa, ubi non habuerunt humum multam; unde cito exorta sunt, propterea quod non habuerint profunditatem terrae; . . . et exaruerunt" (*Matth.* xiii. 5, 6; *Marc.* iv. 5, 6; *Luc.* viii. 6):

sed haec explicata videantur supra (n. 401[g]). Plerique ex

illis in mundo spirituali, qui lumen ex Luna ibi habent, super petris habitant: illi qui spirituales naturales sunt, habitant super petris, quae superficie tenus tectae sunt humo; unde ibi sunt campi, vireta et arboreta, sed non qualia sunt super montibus et collibus, super quibus habitant qui lucem ex Sole caeli recipiunt: qui autem non spirituales naturales sunt, sed mere naturales, illi non sunt hodie super petris, sed in petris in cavernis ibi; et qui in falsis ex malo sunt habitant inter congesta saxa ibi; omnia illa sunt correspondentiae. Apud *Jeremiam*,

"Ecce Ego contra te, mons.... perdens universam terram; et extendam manum meam contra te, et devolvam te de petris, et dem te in montem combustionis" (li. 25):

haec de Babele, cuius damnatio per falsa significatur per "Devolvam te de petris;" et damnatio per mala significatur per "Dem te in montem combustionis." (Sed haec amplius explicata videantur supra, n. 405[g].) Apud eundem,

"Relinquite urbes, et habitate in petra habitatores Moabi, et estote sicut columba nidificat in transitibus oris foveae" (xlviii. 28):

haec de Moabo, per quem significatur adulteratio boni et veri, et inde illi qui bonum et verum Verbi pervertunt: "Relinquite urbes" significat vera doctrinae; "habitare in petra" significat in falsis et eorum doctrina; "estote sicut columba quae nidificat in transitibus oris foveae" significat intuitionem veri ab extra et non ab intra, "fovea" enim significat Verbum ubi sunt vera, "nidificare in transitibus ejus" est extra illud et non intra; "nidificare" significat idem cum "habitare," nempe vitam agere, sed de ave dicitur "nidificare," et de homine "habitare:" quid sit spectare Verbum ab extra et non ab intra, videatur in *Arcanis Caelestibus* (n. 10549-10551), quod nempe non ex doctrina videre illud, sed solum ex littera; unde vagantur quaquaversum, quo trahit animus, cogitatio et affectio; nihil certum illis, unde adulterationes perpetuae, quae per "Moabum" significantur: tales sunt qui student Verbo propter gloriam et honorem; illi quia se spectant in singulis dum student Verbo, extra Verbum sunt; at qui verum et bonum inde amant, intra Verbum sunt, nam a Domino et non a se illud spectant: inde patet quid significat, "Relinquite urbes, et habitate in petra, habitatores

Moabi, et estote sicut columba quae nidificat in transitibus oris foveae." Apud eundem,

"Nonne Verbum meum sicut ignis, . . . et sicut malleus dispergit petram?" (xxiii. 29:)

Verbum dicitur "sicut ignis et sicut malleus," quia "ignis" significat bonum amoris, et "malleus" verum fidei; "malleus" enim simile significat ac ferrum, et "ferrum" significat verum in ultimis et verum fidei: dicitur utrumque, nempe "ignis" et "malleus," proinde bonum et verum, ob conjugium boni et veri in singulis Verbi: per "petram" quam dispergit significatur falsum in omni complexu, et doctrina falsi; sed dispersio seu destructio ejus fit cum homo, apud quem illa sunt, judicatur. Apud *Nahum*,

"Coram indignatione Ipsius quis consistet? aut quis stabit in excandescencia irae Ipsius? Excandescencia Ipsius effunditur sicut ignis, et petrae evertentur coram Ipso" (i. 6):

quod "indignatio," "excandescencia" et "ira" Jehovae significet ultimum judicium et statum damnationis illorum qui in malis et inde falsis sunt, videbitur in sequentibus articulis; damnatio malorum significatur per "excandescenciam Ipsius quae sicut ignis effunditur," et damnatio falsorum ex malis per "iram Ipsius," et quod "petrae evertentur coram Ipso;" "ignis" enim significat mala amorum sui et mundi, ac "petrae" significant falsa inde, ac "everti" significat perire. Etiam petrae, super quibus sunt illi qui in principiis falsi et inde in omnis generis falsis sunt, ad visum evertuntur et sic illi qui super iis dejiciuntur in infernum; sed hoc fit in mundo spirituali ubi omnes habitant secundum quale interiorum suorum quibus externa correspondent.

[f.] Apud *Esaiam*,

"Qui incalustis in diis sub omni arbore viridi, qui maestatis natos in fluiis sub scopolis petrarum" (lvii. 5):

quid sit "incalescere in diis sub omni arbore viridi," et "maestare natos in fluiis sub scopolis petrarum," nemo scit nisi ex sensu interno: in eo sensu, per "incalescere in diis sub omni arbore viridi" significatur colere Deum ex omni falso quod obvenit; "incalescere in diis" est ardens cultus, "omnis arbor viridis" est omne falsum quod obvenit; "arbor" enim significat cognitiones et perceptio-

nes, hic cognitiones et perceptiones falsi: et per "mactare natos in fluiis sub scopulis petrarum" significatur exstinguere vera per falsa ex propria intelligentia; "nati" sunt vera, "fluvii" sunt propria intelligentia, "scopuli petrarum" sunt falsa, "sub scopulis illarum" significat ex sensuali in quo lumen ultimum naturale est; qui enim in hoc solo lumine sunt, stant sub abruptis petris, et non aliquid verum vident, ac si dicitur non percipiunt: in tali statione illi etiam mihi visi sunt in mundo spirituali: inde patet quod per "mactare natos" non intelligatur illos mactare, sed vera exstinguere. Similiter apud *Davidem*,

"Beatus qui apprehendet et disperget infantes tuos ad petram" (Ps. cxxxvii. 9):

per "infantes" hic nec intelliguntur infantes, sed falsa nascentia; agitur enim de Babele, per quam significantur falsa mali destruentia vera boni ecclesiae: destruccióne illorum significatur per "dispergere illos ad petram;" "petra" est falsum mali regnans, et "dispergere" est destruere. Qui solum in sensu litterae Verbi manet, et non ulterius cogitat, facile potest induci ad credendum quod beatus dicatur qui tale cum infantibus hostium suorum facit; cum tamen id enorme facinus est: at "beatus" dicitur qui dispergit falsa mali nascentia in ecclesia, quae falsa per "infantes Babelis" hic significantur. Apud *Jeremiam*,

"Quis audivit sic hoc? rem foedam fecit virgo Israelis. Num deseret e petra agros meos nix Libani? num abripientur aquae alienae frigidæ defluentes? Obliti sunt Mei populus meus, vanitati sufferverunt" (xviii. 13-15):

per "virginem Israelis" intelligitur hic et alibi ecclesia spiritualis, hanc enim repraesentaverunt Israelitae; "res foeda" quam fecerunt, est quod bona ecclesiae verterint in mala, et vera ecclesiae in falsa, et ex his et illis coluerint Jehovam: mala ex quibus cultus, significantur per "Obliti sunt Mei populus meus;" nam qui obliscitur Dei, in malis est: et falsa ex quibus cultus, significantur per "Vanitati suffiverunt;" "vanitas" est falsum, et "suffire" est cultus: "Num deseret e petra agros meos nix Libani?" significat annon vera ecclesiae illis sunt ex Verbo; "petra" hic significat Verbum quia Divinum Verum (ut supra); "nix Libani" significat vera ecclesiae inde; "nix" hic simile significat cum aqua, nempe vera, sed "nix" significat vera

frigida, quia de tali ecclesia agitur; “Libanus” est ecclesia e qua, et “agri” sunt omnia bona et vera ecclesiae: per “aquas alienas frigidas defluentes” significantur falsa in quibus non bonum; “aqueae alienae” sunt falsa, ac “frigidum” est in quo non bonum, omnis enim calor veris est ex bono amoris. Apud eundem,

“Ecce Ego contra te, habitatrix vallis, petra planitiei, dicentes, Quis descendet contra nos? et quis veniet in habitationes nostras?” (xxi. 13:)

per “habitaticem vallis et petram planitiei” significantur qui in ultimis Verbi sunt, nec se ab interiori illustrari patiuntur; et qui tales sunt non vident vera sed pro illis falsa; nam omnis lux veri, quia est e caelo a Domino, ab interiori venit ac descendit; illi per “habitaticem vallis” et per “petram planitiei” intelliguntur; “vallis et planities” sunt ultima Verbi in quibus sunt, ac “habitatrix” et “petra” significant falsa, “habitatrix” falsum vitae, et “petra” falsum doctrinae: fides falsi et mali, in qua firmiter haerent, credendo illa esse vera et bona, significatur per quod dicant, “Quis descendet contra nos? et quis veniet in habitationes nostras?” Apud *Esaiam*,

“Intra in petram, et absconde te in pulvere propter pavorem Jehovahe” (ii. 10):

“intrare in petram” est in falsum, et “abscondere se in pulvere” est in malo; agitur ibi de ultimo judicio, quando illi qui in falsis mali et in malis falsi sunt se conjiciunt in inferna, quae sunt in petris et sub terris in mundo spirituali. (Sed haec amplius diducta et explicata videantur in articulo praecedente.) Apud *Hiobum*,

“Mons cadens diffliuit, et petra transfertur e loco” (xiv. 18):

per “montem” significatur amor mali, et per “petram” fides falsi, ac per “diffluere” et “transferriri e loco” significatur perire. Apud *Davidem*,

“Dejiciantur per loca petrae judices eorum” (Ps. cxli. [1]6):

per “judices” significantur illi qui in falsis sunt, et in sensu abstracto falsa cogitationis et doctrinae; simile per “judices” in Verbo significatur quod per judicia, ac “judicia” significant vera ex quibus judicia, et in opposito sensu falsa: quia illi qui in falsis sunt, in mundo spirituali habi-

tant in petris ideo dicitur, "Dejiciantur per loca petrae," per quod significatur ut immittantur in sua falsa et secundum falsa sua in infernis habitent. Apud *Hiobum*,

"In fissura vallium ad habitandum, foraminibus terrae et petris" (xxx. 6):

haec de illis qui in infernis sunt quia in malis et inde falsis; inferna illorum qui in malis quoad vitam sunt, sub vallibus et in speluncis ibi sunt; et qui in falsis inde, in petris sunt: inde patet quid significatur per "in fissura vallium ad habitandum, foraminibus terrae et petris." (Sed de cavernis et speluncis in quibus habitant qui in infernis sunt, et de fissuris et foraminibus per quae aditus in illa, videatur in mox praecedente articulo, n. 410<sup>[a]</sup>.) Haec allata sunt ut sciatur quod per "petram" in opposito sensu significetur falsum in genere; quae significatio "petrae" est ex correspondentia, ut constare potest ex apparentiis et aspectabilibus in mundo spirituali, ubi omnes habitant secundum correspondentias interiorum quae mentis et vitae eorum. Quare illi qui in sapientia et intelligentia sunt quia in amore in Dominum et in charitate erga proximum, et inde in affectione veri spirituali, habitant super montibus et collibus ex humo, ubi paradisi, horti, roseta et vireta; at qui in fide doctrinalium suae ecclesiae sunt et in aliqua charitate, illi habitant super petris, ubi campi, super quibus aliqua arbusta et aliquae arbores, ac graminosa; qui autem in sola fide, ut dicitur, quoad doctrinam et quoad vitam fuerunt, et inde in falsis fidei et malis vitae, illi habitant intra petras, in cavernis et cellis ibi. Haec significatio "petrae" est ex dicta correspondentia. At significatio "petrae" a duritie ejus, est in his locis:—Apud *Ieremiam*,

"Obfimarunt facies suas p[re]a petra" (v. 3);

apud *Ezechielem*,

"Sicut adamantem firmam p[re]a petra dedi frontem tuam; ne timeto" (iii. 9);

apud *Hiobum*,

"Stylo ferreo et plumbo, in sempiternum in petra incidentur" (xix. 24);

apud *Esaiam*,

"Ungulae equorum sicut petra reputantur" (v. 28):

quod durities exprimatur per "petram" est quoque ex correspondentia petrae cum vero ex bono; nam vero

ex bono est omnis potentia, ut supra dictum est; at cum verum agit contra falsum ex malo, tunc hebetatur bonum, et verum remanens agit duriter, secundum illa supra apud Ezechiem, "Sicut adamantem firmam p[re]petra dedi frontem tuam:" et quoque verum absque bono est durum, at usque fragile. Sed haec quae de "petris" adducta sunt, amplius elucidabuntur per illa quae de significatione "lapidum" in sequentibus dicentur.

**412[a].** *"Et abscondite nos a facie Sedentis super throno, et ab ira Agni."*—Quod significet ne dira patientur ab influxu Divini Boni uniti Divino Vero procedentis a Domino, constat ex significatione "Abscondite nos," cum dicitur ab illis apud quos desperita sunt bona et vera ecclesiae per mala vitae et falsa inde, quod sit ne dira patientur (de qua sequitur); ex significatione "a facie Sedentis super throno," quod sit Dominus quoad Divinum Bonum in caelo: quod "facies," cum de Domino, sit Divinus Amor ex quo Divinum Bonum in caelo, constabit ex locis in Verbo quae mox adducentur; et quod "Sedens super throno" sit Dominus quoad Divinum Bonum in caelo, videatur supra (n. 297, 343): et ex significatione "irae Agni," quod sit conjectio in infernum per influxum Divini Veri procedentis a Domino; quod "ira Jehovah" aut Domini id significet, constare potest ex locis in Verbo in articulo sequente adducendis: praeterea quod per "Sedentem super throno et per Agnum," solus Dominus intelligatur, per "Sedentem super throno" Dominus quoad Divinum Bonum, et per "Agnum" Dominus quoad Divinum Verum, videatur supra (n. 297, 343). Quod dicatur "ira Agni," non est quod Dominus, qui per "Sedentem super throno" et per "Agnum" intelligitur, irascatur; est enim ipsum Divinum Bonum, et hoc non potest irasci, ira enim non cadit in ipsum Bonum; sed ita dicitur in Verbi sensu litterae, ob causas de quibus alibi; hic modo ostendetur quod "facies Jehovah" seu Domini significet Divinum Amorem, et inde Divinum Bonum in caelo et in ecclesia; et in opposito sensu per "ponere faciem contra aliquem," et per abscondere et occultare faciem," intelligatur simile quod per "excandescitiam" et "iram;" tum quod per "faciem," cum de homine, intelligentur interiora quae mentis et affectionis ejus sunt, in utroque sensu. Quod "facies," cum de Jehovah seu Domino,

significet Divinum Amorem, et inde Divinum Bonum, constat ex sequentibus his locis:—Apud *Davidem*,

“Illumina facies tuas super servum tuum, serva me propter benignitatem tuam” (Ps. xxxi. 17 [B. A. 16]):

“illuminare facies” significat illustrare Divino Vero ex Divino Amore; quod hoc significetur per “illuminare facies” est quia Divinum Verum, quod procedit a Domino ut Sole in caelo angelico, dat omnem lucem ibi, et quoque illustrat mentes angelorum, ac implet illos sapientia: quare “facies Domini” in proprio sensu est Sol caeli angelici, nam Dominus appetet angelis interiorum caelorum ut Sol, et hoc ex Divino Ipsius Amore; nam Amor in caelis, dum sistitur ante oculos, appetet ut ignis, Divinus autem Amor ut Sol. Ex illo Sole procedit et calor et lux; ac calor ille est Divinum Bonum, et lux illa est Divinum Verum. Ex his constare potest quod per “illuminare facies tuas super servum tuum” significetur illustrare Divino Vero ex Divino Bono; quare etiam additur, “Serva me propter benignitatem tuam;” benignitas est Divini Boni. (Sed de Sole in Caelo Angelico, et de Calore et Luce inde, videatur in opere *De Caelo et Inferno*; De Sole ibi, n. 116—125; et De Calore et Luce inde, n. 126—140.) Apud eundem,

“Multi dicunt, Quis ostendet nobis bonum? Tolle super nos lucem facierum tuarum, Jehovah” (Ps. iv. 7 [B. A. 6]);

**apud eundem,**

“Jehovah, in luce facierum tuarum ambulabunt” (Ps. lxxxix. 16 [B. A. 15]);

**apud eundem,**

“Deus, reduc nos, et lucere fac facies tuas, ut servemur” (Ps. lxxx. 4, 8, 20 [B. A. 3, 7, 19]);

**et apud eundem,**

“Deus misereatur nostri, et benedicat nobis, illuminet facies suas nobis” (Ps. lxvii. 2 [B. A. 1]):

per “lucem facierum Jehovahe” seu Domini intelligitur Divinum Verum ex Divino Amore (*ut supra*), et inde intelligentia et sapientia; nam ex Divino Vero seu ex Divina luce in caelis est omnis intelligentia et sapientia tam angelis quam hominibus; inde per “illuminare facies nobis,” per “tollere super nos lucem facierum tuarum,” et per “facere lucere facies tuas,” in illis locis, significatur illus-

trare in Divino Vero, ac donare intelligentia et sapientia. Simile significatur in Benedictione filiorum Israelis, apud *Mosen*,

"Benedic tibi Jehovah, et custodiat te, illuminet Jehovah facies suas super te et misereatur tui; tollat Jehovah facies suas super te, et det tibi pacem" (*Num.* [1]vi. 24-26):

per "illuminare facies et misereri" significatur illustrare Divino Vero et donare intelligentia et sapientia; ac per "tollere facies et dare pacem" significatur implere Divino Bono et donare amore. Utrumque erit ut homo sapiat; omnes enim, quotcunque sunt in mundo spirituali, illuminantur a luce quae a Domino ut Sole; sed usque illi soli intelligentes et sapientes fiunt qui simul in amore sunt, quoniam bonum quod est amoris recipit verum; coniunguntur enim quia concordant et amant se mutuo: quare illi soli vident Solem in caelo qui in amore sunt; reliqui modo lucem. "Misereri," quod dicitur de illuminatione facierum, in Verbo etiam praedicatur de vero; et "pax," quae dicitur de elevatione facierum, praedicatur de bono.

[*b.*] Quoniam Divinus Domini Amor appetet ut Sol in caelo, et inde est lux ibi, ideo

Dominus cum transformatus est coram Petro, Jacobo et Johanne, "splenduit facies Ipsius sicut Sol, et vestimenta Ipsius facta sunt.. sicut lux" (*Matth.* xvii. 2):

*et quoque cum visus est Johanni,*

"Fulsit facies Ipsius sicut Sol in potentia sua" (*Apoc.* i. 16):

per "vestimenta quae facta sunt sicut lux" significatur Divinum Verum; nam "vestimenta" in Verbo significant verum, et hoc ex causa quia omnes angeli vestiuntur a Domino secundum receptionem Divini Veri; sunt quoque vestes eorum ex luce caeli, inde splendentes et candidae, et lux caeli est, ut dictum, Divinum Verum: inde constat, unde est quod vestimenta Domini, cum transformatus, "facta sint sicut lux." (Sed de his videantur plura in opere *De Caelo et Inferno*, n. 177-182; ac supra, n. 64, 195, 271, 395.) Apud *Matthaeum*,

Jesus dixit de puerō quem statuit in medio discipulorum, "Videte ne contemnatis ullum ex pusillis his; dico vobis quod angeli eorum in caelis semper videant faciem Patris mei qui in caelis est" (xviii. 10):

dicitur quod "angeli eorum videant," quia apud unumquem-

que hominem sunt spiritus et angeli, ac tales spiritus et angeli qualis homo est: apud infantes pueros sunt angeli ex intimo caelo; hi vident Dominum ut Solem, sunt enim in amore in Ipsum et in innocentia; hoc intelligitur in sensu proximo per quod "angeli eorum videant faciem Patris" sui; per "faciem Patris" intelligitur Divinus Amor qui fuit in Domino, proinde Ipsum Divinum quod Jehovah, nam Pater fuit in Ipso, et Ipse in Patre, ac erant unum, ut Ipse docet: at eadem illa verba in puro sensu spirituali significant quod Dominus quoad Divinum suum Bonum sit in bono innocentiae: hoc enim per "infantem puerum" in sensu spirituali significatur, et per "faciem Patris" Divinum Bonum Domini. De servis Domini, per quos intelliguntur qui in Divinis veris sunt ex eo quod in bono amoris et charitatis sunt, simile dicitur in *Apocalypsi*,

"Thronus Dei et Agni in" Nova Hierosolyma "erit, et servi Ipsiū ministrabunt Ipsi, et videbunt [1]faciem Ipsiū" (xxii. 3, 4);

sed de his videatur explicatio in sequentibus. Apud *Ezaiam*,

"In omni angustia eorum Ipsi angustia, et Angelus facierum Ipsiū liberavit eos, ob amorem suum et clementiam suam Hic redemit eos, et assumpsit eos, et portavit omnibus diebus aeternitatis" (lxiii. 9):

agitur ibi de Domino, qui "Angelus facierum Jehovahe" vocatur ex Divino Vero quod ex Divino Amore Ipsiū; per "angelum" enim in Verbo significatur Divinum Verum, unde etiam angeli dicuntur "dii" (videatur supra, n. 130, 200, 302): et per "facies Jehovahe" intelligitur Divinus Amor qui in Domino; inde etiam dicitur, "Ob amorem suum et clementiam suam Hic redemit illos, et assumpsit illos, et portavit omnibus diebus aeternitatis;" haec Divini Amoris sunt. Erat Dominus quoad Humanum suum Divinum Verum, ex quo pugnavit cum infernis, et per quod subjugavit illa; inde est quod Hic appelletur "Angelus," quod est quoad Divinum Humanum suum. Agitur in eo capite manifeste de Domino, ac de pugnis Ipsiū cum infernis et de subjugatione eorum. Apud *Davidem*,

"Occultas [2]eos in abdito facierum tuarum prae elationibus viri, abscondis eos in tentorio tuo a lite linguarum" (Ps. xxxi. 21 [B. A. 20]):

"occultare eos in abdito facierum tuarum" est in Divino

Bono non apparente coram aliis ; et "abscondere in tentorio tuo" est in Divino Vero : "elationes viri" et "lis linguarum" sunt mala falsi et falsa mali ; "elationes" enim dicuntur de malis quia sunt amoris sui, et "vir" significat verum et falsum ; "lis linguarum" est falsum mali. (Quid malum falsi et falsum mali, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 21.) Apud eundem,

"Posuisti iniquitates nostras coram Te, occultum nostrum in lucem faciem tuarum" (Ps. xc. 8) :

"lux facierum tuarum" est Lux caeli a Domino ut Sole ibi ; haec lux quia est ipsum Divinum Verum, ex quo omnis intelligentia et sapientia, ideo quocunque in hanc lucem venit manifestatur quale est ut in claro die ; inde est, cum mali in hanc lucem veniunt, quod apparent prorsus quales sunt, deformes et monstrosi secundum occulta mala apud illos : ex his patet quid intelligitur per "Posuisti iniquitates nostras coram Te, et occultum nostrum in lucem facierum tuarum." Apud *Jeremiam*,

"Clamato verba haec septentrionem versus, et dicio, Revertere, aversa Israel, . . . . non faciam cadere facies meas super vos, quoniam misericors Ego" (iii. 12) :

per "facies meas" etiam hic significatur Divinus Amor et omne bonum quod est amoris ; et per "non facere cadere facies" significatur non demittere et cessare, nam cum facies cadit tunc cessatur ab intuendo ; inde patet quid significatur per "Non faciam cadere facies meas super vos :" quare etiam dicitur, "quoniam misericors Ego ;" "misericordia" est Divinus Amor erga miseros : per "Clamato ad septentrionem" significatur ad illos qui in falsis et inde malis sunt ; quare etiam dicitur, "Revertere, aversa Israel :" quod "septentrio" illos significet, est quia illi qui in falsis et inde malis sunt, in septentrionali plaga in mundo spirituali habitant. (De falsis et inde malis, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 21.) Quod panes super mensa in Tabernaculo dicti fuerint "panes facierum," ac ipsa mensa "mensa facierum" (*Exod.* <sup>[1]</sup>*xxv. 30* ; *Num. iv. 7*), erat quia per "panes" ibi aequo ac per "facies Jehovahae" significatum est Divinum Bonum Divini Amoris (videatur *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 212, 213, 218).

[c.] Quoniam per "facies Jehovahae" seu Domini significatur Divinum Bonum unitum Divino Vero exiens et pro-

cedens ex Divino Amore Ipsius, ideo quoque per "facies Jehovahae" significantur interiora ecclesiae, Verbi et cultus, nam in interioribus illorum est illud; exteriora ecclesiae, Verbi et cultus sunt modo effectus et opera inde. Interiora ecclesiae, Verbi et cultus significantur per "videre," "quaerere" et "deprecari facies Jehovahae:"—Apud *Esaiam*,

"Quid mihi multitudo sacrificiorum?....quando veneritis ad videndum facies" Jehovahae (i. 11, 12);

apud *Sacharium*,

"Ibunt habitatores unius ad alteram, dicendo, Eamus eundo ad deprecandum facies Jehovahae, et ad quaerendum Jehovaham Zebaoth:....sic venient populi multi et gentes numerosae ad quaerendum Jehovaham Zebaoth in Hierosolyma, et ad deprecandum facies Jehovahae" (viii. 21, 22);

apud *Davidem*,

"Tibi dixit cor meum, Quaerite facies meas; facies tuas Jehovah quaero" (Ps. xxvii. 8);

apud eundem,

"Jubilabimus Petrae salutis nostrae, veniemus ante facies Ipsius in confessione" (Ps. xcv. 1, 2);

apud *Malachiam*,

"Deprecamini facies Dei, ut misereatur nostri" (i. 9);

apud *Davidem*,

"Sicut anima mea Deum, Deum vivum; quando venero ut videar faciebus Dei?....Exspecta Deum, nam adhuc confitebor Ipsi salutes facies Ipsius" (Ps. xlvi. 3, 6 [B. A. 2, 5]):

in his locis per "facies Jehovahae" ac "Dei" seu Domini intelliguntur interiora ecclesiae, Verbi et cultus, quia in illis est Divinum Bonum ac Divinum Verum, ita Ipse Dominus; et in externis est ex illis, et non in externis nempe ecclesiae, Verbi et cultus absque illis. Quia omnes qui Hierosolymam ibant ad festa, secum afferre debebant talia quae cultus erant, et omnis cultus est ex interioribus quae sunt cordis et fidei, et haec per "munera," quae offerrentur Domino, significantur, ideo mandatum est, ut unusquisque aliquod munus offeret; quod intelligitur per quod

"Non videbuntur facies meae vacue" (*Exod. xxiii. 15*).

Interiora ecclesiae, Verbi et cultus etiam significantur per haec apud *Mosen*,

Locutus est Jehovah ad Mosen, "Facies meae ibunt, donec quietem dederi tibi;" tunc dixit Moses, "Si non facies tuae eunt, ne ascendere facias nos ex hinc" (*Exod. xxxiii. 14, 15*):

hoc dictum est ad Mosen, quia apud gentem illam Verbum conscribendum erat, et quoque in historicis Verbi de gente illa; quia apud illam ecclesia instituenda erat, quae foret Ecclesia Repraesentativa, consistens in externis quae correspondebant internis; propter haec dicitur quod "facies meae ibunt" (de quibus plura videantur in *Arcanis Caelestibus*, n. 10567, 10568, ubi illa explicata sunt). Sed quia gens illa solum in externis Verbi, ecclesiae et cultus erat, et prorsus non in internis, ideo Mosi non datum est videre faciem Domini, sed solum tergum, secundum haec apud *Mosen*,

"Dixit" Moses, "Ostende mihi quaeso gloriam tuam; cui dixit, Ego præterire faciam omne bonum meum coram te, et praedicabo nomen Jehovah coram te;....non poteris videre facies meas, quia non videbit Me homo et vivet:....ponam te in foramine petrae, et ob tegam manum meam super te usque dum præterivero, et cum removero manum meam videbis posteriora mea, at facies meae non videbuntur" (*Exod. xxxiii. 18-23*):

hic repreaesentabat Moses gentem illam, qualis est quoad intellectum Verbi, et inde quoad ecclesiam et cultum, quod nempe solum in externis absque internis. Externa repreaesentabantur et significabantur per "posteriora" Jehovah quae visa Mosi, ac interna per anteriora et per "faciem." Quod interna quae insunt externis Verbi, ecclesiae et cultus, non visa sint nec videri potuerint genti illi, repreaesentabatur et significabatur per quod "Moses positus fuerit in foramine petrac," et per "obtectionem manus usque dum præteriverit Jehovah." (Sed haec amplius explicata sunt in *Arcanis Caelestibus*, n. 10573-10584.)

[d.] Praeterea "facies Jehovah" seu Domini, quia sunt interna Verbi, ecclesiae et cultus, sunt praecipue externa in quibus interna, quoniam interna se spectari faciunt in externis, sicut interna hominis in facie et vultibus ejus: sed gens Judaica talis erat ut modo externa spectaverit, et prorsus non interna; et externa spectare et non simul interna, seu externa absque internis, est sicut spectare simulachrum hominis quod absque vita; at externa spectare et simul interna seu externa ab internis, est sicut spectare hominem vivum: hoc itaque est in proprio sensu "videre faciem Jehovah," seu "deprecari facies Ipsius," in locis supra adductis. Quoniam interna Verbi, ecclesiae

et cultus apparent in externis, seu sistunt se videri in externis, comparative sicut interna hominis in facie, patet quid significatur in sensu interno per "videre Jehovah" seu Dominum "facie ad faciem" in sequentibus his locis:—  
Apud Mosen,

"Vidi Deum facie ad faciem, et salva tamen est anima mea" (*Gen. xxxii. 31 [B. A. 30]*):

haec dixit Jacobus postquam luctatus est cum Deo, qui illi apparuit ut Angelus. In *Libro Iudicum*,

"Guideon dixit, . . . Vidi Angelum Jehovahe facie ad faciem; et dixit illi Jehovah, Pax tibi, noli timere, non morieris" (*vi. 22, 23*):  
Pariter Manoachus et uxor ejus (*Judic. xiii. [21,] 22, 23*).

**Et de populo Israelitico,**

"Facie ad faciem locutus est Jehovah vobiscum e monte e medio ignis" (*Deutr. v. 4*): de qua re amplius ita dicitur, "Videre fecit [nos] Jehovah . . . gloriam suam, et magnitudinem suam, et vocem Ipsius audivimus e medio ignis: hoc die vidimus quod loquatur Deus ad hominem, et vivus maneat" (*Deutr. v. 21 [B. A. 24]*).

**Et de Mose,**

"Locutus est Jehovah ad Mosen facie ad faciem, sicut loquitur vir ad socium suum" (*Exod. xxxiii. 11; Deutr. xxxiv. 10*).

At sciendum est quod non ullus homo, ne quidem ullus angelus, possit videre faciem Domini, quoniam est Divinus Amor; ac nemo sustinet Divinum Amorem, qualis est in se: foret enim videre faciem Domini sicut immittere oculum in ipsum ignem solis; inde enim momento periret. Talis quoque est Divinus Amor Domini in se spectatus; quapropter Dominus illis in caelis interioribus appetet ut Sol, et Sol ille circumdatus est circulis radiosis multis, qui circuli sunt involucra unum post alterum, ut Divinus Amor temperatus et moderatus procedat ad angelos in caelo, et sic angeli sustineant illum: quapropter Dominus ut Sol appetet solum angelis superiorum caelorum, at angelis inferiorum caelorum modo appetet ut Lux; et reliquis ut Luna. At usque appetet Dominus in caelo angelis, sed tunc sub forma angelica, implet enim angelum suo visu et sic sua praesentia e longinquio, et hoc in variis locis, at ubivis accommodate ad bonum amoris et fidei apud illos ubi appetet: ita visus est Dominus Guideoni, ac Manoacho et uxori ejus, tum Mosi, et populo Israelitico; hoc itaque est quod intelli-

gitur per “videre Jehovahm facie ad faciem,” et per “videre Jehovahm et non mori.” Quod ipsa facies, quoad interiora quae sunt Divini Amoris Ipsius, non visa sit, patet manifeste ex eo, quod Mosi dictum sit

Quod nemo possit videre faciem Jehovahe et vivere (*Exod.* xxxiii. 20);

et usque tamen dicitur, quod “viderint Jehovahm facie ad faciem;” ex quo manifeste patet quod “videre facies Jehovahae,” in locis supra adductis, significet videre Ipsum in interioribus Verbi, ecclesiae et cultus, quod tamen est videre Ipsum in externis ab internis. Quod gens Judaica fuerit in externis Verbi, ecclesiae et cultus absque internis, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae* (n. 248: quid externum absque interno, et quid externum in quo internum, n. 47, ibi). Quod gens Judaica talis fuerit, etiam repraesentatum et significatum est per

Quod obvelaverint faciem Domini, caederint illam, et exspuerint in illam (*Matth.* xxvi. 67; *Marc.* xiv. 65; *Luc.* xxii. 64);

nam omnia quae in Verbo memorantur de Passione Domini, repraesentant et significant arcana caeli et ecclesiae, ac in specie quales Judaei fuerunt quoad Verbum, ecclesiam et cultum. (Quod ita sit, videatur supra, n. 64. 83. 195[*c*].)

[*e.*] Ex illis quae haec tenus explicata sunt, sciri potest quid significat “facies Jehovahae” seu Domini, quod nempe Divinum Amorem ac omne Bonum in caelo et ecclesia inde; ex hoc etiam sciri potest quid significatur per “abscondere” seu “occultare facies,” ubi de Jehovah seu Domino, quod sit relinquere hominem in suo proprio, et inde in malis et falsis quae ex proprio ejus scaturiunt; nam homo in se spectatus non est nisi quam malum et inde falsum, et ab illis detinetur a Domino ut in bono sit, quod fit per elevationem a proprio; inde constare potest quod per “abscondere” et “occultare facies,” cum de Domino, significetur relinquere in malis et falsis; ut in sequentibus his locis:—*Apud Jeremiam,*

“Propter eorum omnem malitiam occultavi facies meas ab urbe hac” (xxxiii. 5):

*apud Esaiam,*

“Peccata vestra absconderunt facies” Dei “a vobis, ut non audiverit” (lix. 2):

apud *Ezechielem*,

“Avertam facies meas ab illis, ut profanent arcanum meum, et veniant in illud violenti, et profanent illud” (vii. 22);

apud eundem,

“Cognoscent gentes quod propter iniuriam suam in captivitatem abi-  
verint” filii “Israelis, . . . et ideo absconderim facies meas ab illis”  
(xxxix. 23);

in *Threnis*,

“Facies Jehovahe divisit illos, non addet respicere illos” (iv. 16);

apud *Micham*,

Jehovah “occultabit facies suas ab illis . . . , quemadmodum mala red-  
diderunt opera sua” (iii. 4);

apud *Davidem*,

“Abscondisti facies tuas, perturbatus sum” (Ps. xxx. 8 [B. A. 7]);

apud eundem,

“Quare facies tuas abscondis, oblivisceris miseriae nostrae et oppressi-  
onis nostrae?” (Ps. xliv. 25 [B. A. 24]);

apud eundem,

“Abscondis facies tuas, conturbantur; colligis spiritum eorum, exspi-  
rant, et ad pulverem suum revertuntur” (Ps. civ. 29);

apud *Mosen*,

“Excandescet ira mea contra” populum “in die illo, et deseram eos,  
et occultabo facies meas ab illis, . . . occultando occultabo facies  
meas in die illo propter omne malum quod fecerunt” (*Deut*. xxxi.  
17, 18);

apud eundem,

“Occultabo facies meas ab illis, . . . generatio persionum illi” (*Deut*.  
xxxii. 20);

apud *Esaiam*,

“Exspectabo Jehovahm, tametsi abscondit facies suas a domo Jacobi”  
(viii. 17);

apud *Davidem*,

“Quousque, Jehovah, oblivisceris mei..? quousque occultabis facies tuas  
a me?” (Ps. xiii. 2 [B. A. 1]);

apud eundem,

“Ne abscondas facies tuas a me, ne rejicias in ira servum tuum” (Ps.  
xxvii. 8, 9);

apud eundem,

“Ne abscondas facies .. a servo tuo, quia angustum mihi, festina, responde  
mihi” (Ps. lxix. <sup>[1]</sup>18 [B. A. 17]);

*apud eundem,*

“Quare, Jehovah, deseris animam meam? abscondis facies tuas a me?”  
(Ps. lxxxviii. 15 [*B. A.* 14]);

*apud eundem,*

“Ne abscondas facies tuas a me, in die quo angustia mihi” (Ps. cii. 3  
[*B. A.* 2]);

*apud eundem,*

“Responde mihi Jehovah, . . . ne abscondas facies tuas a me, et similis  
fiam descendantibus in foveam” (Ps. cxlii. 7);

*apud Ezechielem,*

Cum collegero filios Israelis super terram suam, “tunc non abscondam  
amplius facies meas ab iis, quia effundam spiritum meum super  
filios Israelis” (xxxix. 28, 29);

*apud Davidem,*

“Non sprevit neque aversatus est miseriam” Israelis, “neque abscon-  
dit facies suas ab eo, sed quando clamavit ad Ipsum, exaudivit”  
(Ps. xxii. 25 [*B. A.* 24]).

Dicitur in his locis quod Jehovah, hoc est, Dominus, occul-  
tet et abscondat facies suas propter iniquitates et peccata,  
ac rogatur ne occultet et abscondat; cum tamen nusquam  
occultat et abscondit, nempe Divinum suum Bonum ac  
Divinum suum Verum: est enim Dominus ipse Divinus  
Amor et ipsa Misericordia, ac vult omnium salutem; quare  
est praesens apud omnes et singulos, etiam apud illos qui  
in iniquitatibus et peccatis sunt; per quam praesentiam  
dat illis liberum recipiendi Ipsum, hoc est, verum et bonum  
ab Ipso; quare si ex libero volunt, etiam recipiunt. Causa  
quod ex libero, est ut bona et vera maneant apud homi-  
nem, ac sint apud illum sicut ipsius; quod enim homo ex  
libero facit, hoc ex affectione facit, nam omne liberum est  
affectionis; affectio etiam est voluntas ejus; quare quod  
recipitur in libero seu ex affectione hominis, hoc intrat  
voluntatem ejus, et permanet. Quod tunc permaneat, est  
quia voluntas est ipse homo; nam in illa residet primario  
vita ejus, at in cogitatione seu in intellectu secundario.  
Haec itaque est causa quod homo recipere debeat Divinum  
Bonum et Divinum Verum, cum quibus Dominus semper  
est praesens. Hoc quoque intelligitur per

“Ecce sto ad ostium et pulso; si quis audiverit vocem meam, et aperu-  
erit ostium, intrabo ad illum et cenabo cum illo” (*Apoc.* iii. 20).

Verum cum homo ex libero eligit malum, tunc occludit sibi ostium, et sic non admittit bonum et verum quod a Domino; quare Dominus tunc apparet ut absens. Ex hac apparentia est quod dicatur quod Jehovah occultet et abscondat facies suas, tametsi non occultat et abscondit. Praeterea homo tunc quoad spiritum suum avertit se a Domino; unde etiam non percipit bonum nec videt verum quod a Domino: inde etiam apparet sicut Dominus non videat illum, cum tamen videt omnia et singula ejus. Ex hac apparentia etiam est, quod dicatur occultare et abscondere facies suas, immo quod dicatur ponere et dare facies suas contra eos, tum quod cervice et non faciebus respiciat illos, ut in sequentibus locis:—Apud *Jeremiam*,

“Posui facies meas contra urbem hanc in malum et non in bonum” (xxi. 10);

*apud eundem,*

“Pono facies meas contra vos in malum, ad exscindendum totam Iehu-dam” (xliv. 11);

*apud Ezéchielém,*

“Dabo facies meas contra virum illum, et devastabo illum, . . . et exscin-dam eum e medio populi mei” (xiv. 7, 8);

*apud eundem,*

“Dabo facies meas contra illos; ex igne exeant, et ignis comedet eos, . . . cum posuero facies meas contra illos” (xv. 7);

*apud Mosen,*

“Qui comederit ullum sanguinem, dabo facies meas contra animam hanc, et exscindam eam” (*Levit.* xvii. 10);

*apud Jeremiam,*

“Sicut ventus orientalis dispergam eos coram hoste, cervice et non facie respiciam eos” (xviii. 17).

Quod homo sit qui facies suas ponit et dat contra Domi-num, et quod avertat se a Domino, unde ei malum, con-stat etiam ex Verbo:—Ut apud *Jeremiam*,

“Obverterunt Mihi cervicem et non facies” (xxxii. 33);

*apud eundem,*

“Obfirmarunt facies suas p[re]a petra, renuerunt reverti” (v. 3);

*apud eundem,*

“Abiverunt in consiliis suis, in obfirmatione cordis sui mali, factique sunt retrorsum, et non antrorsum” (vii. 24);

et apud *Esaiam*,

“Peccata vestra absconderunt facies” Dei “a vobis” (lix. 2).

Quod mali avertant faciem suam a Domino, hoc non fit quoad faciem corporis, sed quoad faciem spiritus eorum. Homo potest vertere faciem suam quounque libet, quoniam in statu libero est ad se convertendum vel ad caelum vel ad infernum; et quoque facies hominis docta est mentiri ut appareat coram mundo: quando autem homo fit spiritus, quod fit statim post mortem, tunc qui in malis vixerat, prorsus avertit faciem a Domino (ut constare ex illis quae in opere *De Caelo et Inferno*, n. 17, 123, 142, 144, 145, 151, 153, 251, 272, <sup>[1]</sup>511, 552, 561, dicta et ostensa sunt): hoc itaque intelligitur per quod “obverterint Mihi cervicem et non faciem,” et per quod “facti sint retrorsum et non antrorsum.” Quoniam tunc illis malum poenae ac infernum, ideo putatur ab illis qui se averterunt quod hoc a Domino, et quod aspiciat illos facie dura, ac dejiciat in infernum, et puniat, plane sicut homo qui in ira est; cum tamen Dominus nusquam aliquem respicit nisi ex amore et misericordia. Ex apparentia illa etiam haec in Verbo dicuntur:—Apud *Esaiam*,

“<sup>[2]</sup>Quando facies <sup>[3]</sup>formidabilia...non exspectamus;...coram Te montes diffluent” (lxiv. 2 [B. A. 3]);

apud *Davidem*,

“Combusta igne, succisa, ab increpatione facierum tuarum perierunt” (Ps. lxxx. 17 [B. A. 16]);

apud eundem,

“Facies Jehovah contra facientes malum, ad excindendum e terra memoriā eorum” (Ps. xxxiv. 17 [B. A. 16]);

apud *Mosen*,

“Ecce mitto Angelum coram te;...caveto tibi a faciebus Ejus,...quia non sustinet praevaricationem vestram” (*Exod.* xxiii. 20, 21);

apud *Ezechielem*,

“Ducam vos in desertum popolorum, et judicabor vobiscum facie ad faciem” (xx. 35);

apud *Mosen*,

“Cum proficiscebatur arca, dixit Moses, Surge Jehovah, dispergantur inimici tui, et fugiant osores tui coram faciebus tuis” (*Vnum.* <sup>[4]</sup>x. 35);

in *Apocalypsi*,

“Vidi thronum altum et magnificum, et Sedentem super eo, a cuius facie fugit terra et caelum” (xx. II).

[f.] Haec nunc dicta sunt de significatione "faciei," ubi de Jehovah seu Domino. At "facies," ubi de homine, significat animum et affectionem ejus, proinde interiora quae mentis ejus; et hoc quia animus et affectiones, seu interiora quae mentis hominis sunt, se videnda sistunt in facie; unde est quod facies dicatur "index animi;" est quoque facies effigies interiorum hominis, repraesentat enim illa, ac vultus ejus correspondent illis. Quod per "facies," ubi de homine, significantur affectiones varii generis, constare potest a sequentibus his locis:—Apud *Esaiam*,

Dicunt, "Recedite a via, declinare facite a semita, cessare facite a faciebus nostris Sanctum Israelis" (xxx. 11):

"cessare facite a faciebus nostris Sanctum Israelis" significat a cogitatione et affectione Dominum, ita omne quod est ecclesiae; "Sanctus Israelis" est Dominus: recedere a vero et bono ecclesiae, quod a Domino, et in quo est Dominus, significatur per "Recedite a via, declinare facite a semita;" "via" et "semita" sunt verum et bonum ecclesiae. In *Threnis*,

"Facies sacerdotum non acceptarunt, et senum non miserti sunt" (iv. 16);

et alibi,

"Principes manu eorum suspensi sunt, facies senum non honoratae sunt" (*Thren.* v. 12):

"facies sacerdotum non acceptare" significat nihil aestimare bona ecclesiae, quae sunt amoris et fidei; "sacerdotes" enim repreaesentabant Dominum quoad Divinum Bonum, et inde significabant bonum ecclesiae, ac "facies" omnia ejus, quae se referunt ad amorem et fidem: "facies senum non honorare" significat nihil facere omnia sapientiae; "senes" significant sapientiam, et "facies" omnia ejus quia interiora: "principes manu eorum suspensi" significat quod rejecta sit omnis intelligentia; "principes" sunt primaria vera ex quibus intelligentia. Apud *Mosen*,

Dixit Jacob de Esavo, "Expiabo facies ejus munere eunte ante me, et postea videobo facies ejus; forte acceptabit facies meas" (*Gen.* xxxii. 20[., 21] [*B. A.* 19, 20]):

"expiare facies ejus" significat captare animum ejus; "postea videre facies ejus" significat cognoscere quali animo est;

“*forte acceptabit facies meas*” significat forte benigno animo me recipiet; “*acceptare facies*” est ex affectione velle alicui bene. Apud eundem,

“Non inclinabis judicium, non agnosces facies, nec munus accipies” (*Deut. xvi. 19*):

“*non agnoscere facies*” significat [non] propenso animo esse erga superiores, divites ac amicos, plus quam erga viliores, pauperes et inimicos; quia justum et rectum absque ullo respectu ad personam spectabitur. Apud *Malachiam*,

“Dedi vos contemptos et viles omni populo, eo quod vos non custodi-  
entes vias meas, et accipitis facies in lege” (*ii. 9*):

“*accipere facies in lege*” simile hic significat quod supra “agnoscere facies in judicio,” nempe propenso animo esse et favere superioribus, divitibus et amicis, prae vilioribus, pauperibus et inimicis. Apud *Esaiam*,

“Quid vobis? Conteritis populum, et facies pauperum commolitis” (*iii. 15*):

“*commolare facies pauperum*” significat destruere affectiones cognoscendi vera apud illos qui in ignorantia veri sunt et usque desiderant instrui; “*commolare*” significat destruere, “*facies*” significant affectiones cognoscendi vera, et “*pauperes*” illos qui in ignorantia veri sunt et desiderant instrui, hi enim sunt qui spiritualiter pauperes sunt. Apud *Davidem*,

“*Filia Tyri afferet munus, facies tuas deprecabuntur divites populi, . . . tota gloria filia Regis intus, de implexis auri vestis ejus*” (*Ps. xlvi. 13, 14 [B. A. 12, 13]*):

per “*filiam Regis*” significatur ibi affectio veri spiritualis; “*filia Tyri*” significat affectionem cognitionum veri et boni; his ditari significatur per quod “*munus afferet*:” per “*divites populi*” significantur intelligentes, et abstracte intelligentia veri et boni; his donari significatur per “*deprecari facies ejus*,” omnia enim intelligentiae habitant in affectione veri spirituali, quae itaque per “*facies*” ejus significatur. (Reliqua videantur explicata supra, n. 195[δ].) Apud eundem,

“*Adhuc [t]confitebor illi, salutes facierum mearum, Deus meus*” (*Ps. xlvi. 12 [B. A. 11]; Ps. xlvi. 5*):

“*salutes facierum mearum*” significant omnia quae intus,

ita quae sunt mentis et affectionum, proinde quae amoris et fidei, quae quia salvant vocantur "salutes." Affectiones malae, quae sunt cupiditates, etiam exprimuntur per facies, quia in faciebus apparent; nam facies est forma externa seu naturalis interiorum quae animi et mentis: etiam in mundo spirituali unum faciunt, non enim ibi licet mentiri alias facies quam quae sunt affectionum, ita quae correspondent interioribus quae mentis illorum. Inde est quod angeli caeli sint facie illustri et venusta, at spiritus infernales sint facie atra et deformi. Quod haec quoque per "facies" intelligentur, patet a sequentibus his locis:—Apud *Esaiam*,

"Tormina et dolores apprehendunt, sicut pariens parturiunt, vir erga socium suum obstupescunt, facies flamarum facies illorum" (xiii. 8):

agitur ibi de ultimo judicio, quando mali immittuntur in interiora sua; interiora illorum qui in amore sui et mundi sunt, et inde in odiis et vindictis, intelliguntur per quod "facies flamarum facies illorum;" tales etiam illi apparent: cruciatus illorum ex influxu Divini Boni et Divini Veri significantur per "tormina et dolores apprehendunt, sicut pariens parturiunt;" cruciatus illorum assimilantur "torminibus et doloribus parturientium," ex simili causa qua *Genes.* iii. 16, nam mala et falsa tunc conjunguntur; hoc dum fit, cum influit Divinum Bonum et Verum, "dolores apprehendunt." Apud *Ezechielem*,

"Dic silvae meridiei, . . . Non extinguetur flamma flammæ gravis; unde comburentur in ea omnes facies, a meridie usque ad septentrionem" (xxi. 3 [B. A. xx. 47]):

per "silvam meridiei" intelligitur falsum intra ecclesiam, proinde illi qui in falsis sunt ibi; ecclesia significatur per "meridiem," quia in luce veri potest esse ex Verbo, et falsum ex malo significatur per "silvam:" ecclesiae vastatio et destractio per amorem falsi ex malo, significatur per "flammarum flammæ gravis, unde comburentur omnes facies:" "omnes facies" sunt omnia interiora hominum ecclesiae quoad affectiones veri et boni, et inde cogitationes: "a meridie usque ad septentrionem" significat omnia ecclesiae a primis ad ultima, seu interiora et exteriora; "meridies" sunt interiora seu prima ecclesiae, et "septentrio" sunt exteriora seu ultima ecclesiae; causa quod illa per "meri-

diem et septentrionem" significantur, est quia in mundo spirituali in plaga meridionali sunt qui in luce veri **ex** Domino sunt, et sub illis in infernis ibi qui in lumine naturali per quod se confirmaverunt in falsis; et in plaga septentrionali sunt illi qui in obscuro veri a Domino sunt, et sub illis in infernis ibi qui in falsis, sed non in aliquo lumine naturali per quod confirmaverunt sua falsa. *Apud Joelem,*

"Coram illo trepidant populi, omnes facies contraxerunt atrorem" (ii. 6):

agitur ibi de malis et falsis vastantibus ecclesiam, ac de judicio super eos qui in illis; illi qui in falsis sunt, significantur per "populos qui trepidant;" interiora eorum quae in falsis mali significantur per "facies quae contraxerunt atrorem;" "facies" sunt interiora, et "atror" est falsum mali; etiam infernales qui in falsis ex malo sunt, apparent atri in luce caeli. *Apud Danielem,*

"In extremitate regni eorum, cum ad summum pervenerunt praevaricatores, exsurget rex durus faciebus" (viii. 23):

haec dicta sunt de quatuor cornibus hirci, per quae intelliguntur ibi "quatuor regna;" sed per "regna" ibi non intelliguntur regna, sed status ecclesiae; nam per "hircum caprarum" intelligitur fides separata a charitate, quae sola fides vocatur: "extremitas regni eorum" significat finem ecclesiae, quando non fides quia non charitas: "cum ad summum pervenerunt praevaricatores" significat quando non amplius verum et bonum sed falsum et malum; simile per illa verba significatur quod per "cum consummata et completa est iniquitas," de qua supra (n. 397): "rex durus faciebus" significat non verum sed falsum in interioribus eorum, "rex" enim significat verum et in opposito sensu falsum, "facies" significant interiora, et "durus faciebus" significat illa absque bono; ubi enim non bonum ibi verum est durum; nam verum ex bono molle est, quia vivum; et id verum usque est falsum in interioribus seu in cogitatione eorum, quoniam de illo non cogitant spiritualiter sed materialiter, quia ex corporeis et mundanis et inde ex fallaciis sensuum. *Apud Ezechielem,*

"Filii duri faciebus, et obfirmati corde" (ii. 4):

per "filios duros faciebus" significantur illi qui in veris absque

bono sunt, et abstracte vera absque bono, quae in se falsa sunt (ut supra dictum est); et per "obfirmatos corde" significantur illi qui non admittunt bonum, proinde qui in malo sunt, nam malum intrat ubi bonum non potest; "cor" etiam in Verbo significat bonum amoris, ac "cor obfirmatum" significat simile quod "cor lapideum," nempe ubi non admittitur bonum amoris; at "cor carneum" ubi admittitur.

*Apud Esaiam,*

"Lingua eorum et opera eorum contra Jehovam, ad rebellandum oculis gloriae Ipsiū; obfirmatio facierum..respondet contra eos" (iii. [8,] 9):

per "linguam" et per "opera eorum," quae contra Jehovam, significatur cogitatio et affectio; per "linguam" cogitatio, quia lingua eloquitur quod homo cogitat, et per "opera" affectio, quia homo facit quod est affectionis ejus: haec "contra Jehovam sunt, et rebellant oculis gloriae Ipsiū," quando contra Divinum Bonum et contra Divinum Verum sunt; per "Jehovam" enim in Verbo intelligitur Dominus quoad Divinum Bonum procedens ex Divino Amore Ipsiū, et per "gloriam Ipsiū" intelligitur Divinum Verum; contra hoc esse significatur per "rebellare oculis gloriae Ipsiū;" "obfirmatio facierum," quae respondet contra eos, significat renuentiam ac non admissionem Divini Veri et Divini Boni in cogitationes et affectiones, quae sunt interiora eorum.

*Apud Ezechielem,*

"Ecce dedi facies tuas obfirmatas contra facies eorum, et frontem tuam obfirmatam contra frontem eorum" (iii. 8):

haec ad Prophetam dicta sunt, per quem significatur doctrina veri et boni pugnans contra falsa et mala; quare per "facies obfirmatas contra facies illorum" significatur rejectio falsorum per vera, et per "frontem obfirmatam contra frontem eorum" significatur rejectio mali per bonum; "facies" enim significant affectiones veri et affectiones falsi, et "frons" significat affectionem boni et affectionem mali: affectio veri et boni obfirmatur et durescit extrinsecus ex zelo quando ei pugna est contra falsum et malum, alioqui non repellit illa; non autem intrinsecus: inde constare potest quomodo illa verba intelligenda sunt. Quoniam per "facies" significantur interiora hominis, seu quae sunt cogitationis et affectionis ejus, inde etiam in lingua Hebraea "interius" simili voce denominatur qua "facies."

[g.] Quoniam in explicationibus varia dicta sunt de "faciebus," quae forte absque ulteriore expositione aegre possunt intelligi, ideo velim adjungere quae de "faciebus" in *Arcanis Caelestibus* dicta et ostensa sunt: nempe, Quod facies ad correspondentiam interiorum hominis formata sit, n. 4791-4805, 5695: de correspondentia faciei et vultuum cum affectionibus mentis, n. 1568, 2988, 2989, 3631, 4796, 4797, 4800, 5165, 5168, 9305: quod inde interiora ex facie eluceant, n. 3527, 4066, 4796. Quod facies unum faciat apud angelos in caelo, et apud homines sinceros in mundo, n. 4796, 4797, 4799, 5695, 8250. Quod omnium facies in altera vita tales fiant qualia eorum interiora sunt, 4798, 5695. Experientiae de mutationibus faciei secundum interiora ibi, n. 4796, 6604. De influxu interiorum mentis, seu intellectus et voluntatis in faciem et ejus musculos, n. 3631, 4800. Quod facies non unum agant cum interioribus apud assentatores, simulatores, hypocritas et dolosos, n. 4799, 8250: quod facies apud illos docta sit mentiri sinceri, honesta et pia, n. 4326. Quomodo influxus e cerebris in faciem successus temporis mutatus sit, et cum illo ipsa facies quoad correspondentiam cum interioribus, n. 4326, 8250. Quod naturale hominis sit sicut facies interior menti spirituali et ejus visui, n. 5156, 5168. Praeterea videantur quae de faciebus dicta et ostensa sunt in opere *De Caelo et Inferno*, n. 46-48, 142-144, 457-459, 553.

**413[a].** [Vers. 17.] *"Quia venit dies magnus irae Ejus."*— Quod significet *ultimum judicium super malos*, constabit ex locis sequentibus e Verbo. Ultimum judicium quod significatur per "diem magnum" est super malos, et quoque super bonos; judicium super malos vocatur "dies indignationis," "excandesciae," "irae" et "vindictae;" at judicium super bonos vocatur "tempus adventus Domini," "annus beneplaciti," "annus redemptorum," "annus salutis." Unusquisque tam malus quam bonus judicatur statim post mortem cum intrat mundum spiritualem, ubi acturus est vitam in aeternum, nam tunc statim designatur homo vel ad caelum vel ad infernum; qui ad caelum is alligatur societati cuidam caelesti, in quam postea venturus est; et qui ad infernum, is alligatur societati infernali, in quam postea venturus est: at usque intercedit tempus antequam illuc veniunt, ex causa praecipue ut praeparentur, boni ut eis abstergantur mala quae eis adhaerent ex corpore in mundo, et mali ut adimantur eis bona quae extrinsecus adhaerent illis ex magistris et religione; secundum Domini verba apud *Matthaeum*,

"Quicunque habet dabitur ei ut abundantius habeat; quicunque non habet, etiam quod habet auferetur ab eo" (xiii. 12; cap. xxv. 29):

haec mora etiam fit ob illam causam, ut affectiones, quae multi generis sunt, componantur et redigantur ad amorem regnantem, ut homo spiritus sit totus suus amor. At usque multi ex illis, tam mali quam boni, reservati sunt ad ultimum judicium; sed solum illi mali qui moralem vitam in externis ex habitu in mundo agere potuerunt, et illi boni

qui falsis ex ignorantia et ex religione imbuti sunt; reliqui autem post exactum tempus ab illis separati sunt, boni in caelum elevati, ac mali in infernum conjecti, et hoc ante ultimum judicium. Quod ultimum judicium dicatur "dies magnus irae Dei," est quia apparet malis, qui dejiciuntur in infernum, sicut Deus ex ira et excandescens hoc faciat; quia tunc illis exitium quod desuper venit et quoque ab oriente, ubi est Dominus ut Sol, et quia tunc in terroribus, doloribus et quoque cruciatibus sunt: sed usque prorsus nulla est ira Domino, est enim ipse Amor et Misericordia et ipsum Bonum; ac purus Amor et ipsum Bonum non potest irasci, est enim id contra essentiam ejus. Sed apparentia illa est inde: quando ultimus status, qui est quando mala in terris et simul tunc in mundo spirituali tantum aucta sunt ut dominium pendeat a parte illorum, et per id pereat aequilibrium inter caelum et infernum, quo pereunte, caeli, ubi angeli, incipiunt laborare, tunc Dominus e Sole intendit virtutem suam, hoc est, amorem suum ad tutandum angelos, et ad restituendum statum qui laborat et incipit labefactari; ex qua virtute et potentia, Divinum Verum unitum Divino Bono, quod in sua essentia est Divinus Amor, penetrat per caelos ad inferiora, ubi se consociaverunt mali; et quia illi non sustinent influxum et praesentiam tales Divini Amoris, incipiunt tremiscere, angi et cruciari; per id enim dissipantur bona et vera quae loquela et actionibus solum in externis mentiri edocti sunt, et aperiuntur interna, quae non sunt nisi quam mala et falsa; et haec quia e diametro opposita sunt bonis et veris, quae ab interiori influunt, et tamen mala et falsa fecerunt vitam eorum, inde illis tremor, angor et cruciatus, tales ut non amplius consistere possint; unde aufugiant et se conjiciunt in inferna, quae sub montibus et petris, ubi in malis et in falsis mali sui esse possunt: hoc in specie significatur per verba supra explicata, "Dicebant montibus et petris, Cadite super nos, et abscondite nos a facie Sedentis super throno, et ab ira Agni." Ex his constare potest unde est quod dicatur "ira Agni," et unde est quod ultimum judicium dicatur "dies magnus irae Ipsiū," tametsi est Divinus Amor, cuius operatio in se spectata est ut salventur omnes; nam est voluntas salvandi, ita prorsus non ira, sed amor. Simile etiam fit quando malus spiritus qui mentiri potest lucis angelum,

ascendit in caelum ; quo cum venit, quia non sustinet Divinum Bonum ac Divinum Verum quod ibi, incipit angi et cruciari ; usque adeo ut se summo nisu dejiciat deorsum, nec quiescat prius quam in inferno correspondente suo malo.

[*b.*] Ex hac apparentia est, tum ex ea quod puniantur dum faciunt mala, quod in Verbo toties tribuatur Jehovahe, hoc est, Domino, indignatio, ira, excandescenia, immo furor et vindicta : sed omnia illa loca afferre ubi illa tribuuntur Jehovahe, hoc est, Domino, propter copiam hic supersedetur ; solum aliqua afferentur ubi ultimum judicium vocatur "dies indignationis," "irae," "excandesceniae" et "vindictae" Jehovahe et Dei ; ut in sequentibus :—Apud *Esaiam*,

"Ecce dies Jehovahe venit crudelis, et indignationis et excandesceniae irae, ad ponendum terram in vastitatem, et peccatores ejus perdat ex ea. .... Caelum commovebo, concutietur terra e loco suo in indignatione Jehovah [Zebaoth], et in die excandesceniae irae Ipsi⁹" (xiii. 9, 13) :

per "diem crudelem et excandesceniae irae Jehovahe" intelligitur ultimum judicium ; et quia malum est quod excandescit et falsum quod irascitur, ideo dicitur "dies excandesceniae irae :" per "terram" quae ponetur in vastitatem et quae concutietur e loco suo, intelligitur terra quae in mundo spirituali, nam ibi aequae terrae sunt ut in nostra tellure ; et illae terrae, cum perstat ultimum judicium, "ponuntur in vastitatem," et "concutiuntur e loco suo," nam tunc montes et colles evertuntur, et valles desidunt in paludes, ac facies omnium ibi mutatur : at usque per "terram" in spirituali sensu intelligitur ecclesia utrobivis, nam in mundo spirituali facies terrae similis est statui ecclesiae apud illos qui super terra ibi habitant ; quapropter cum perit ecclesia etiam perit terra, nam unum faciunt ; et tunc loco prioris terrae nova existit. Sed hae mutationes ignotae sunt nobis in nostris terris ; quae tamen propalanda sunt, ut sciatur quid intelligitur per quod "terra ponetur in vastitatem" et "concutietur e loco suo." Apud *Zephaniam*,

"Quum nondum venit super vos excandescenia irae Jehovahe, dum nondum venit super vos dies irae Jehovahe : .... forte abscondemini in die irae Jehovahe" (ii. 2, 3) :

etiam hic per "excandesceniam irae" et per "diem irae Jehovahe" intelligitur ultimum judicium. In *Threnis*,

"Non recordatur scabelli pedum suorum in die irae suae" (ii. 1):

per "scabellum pedum Jehovae" intelligitur cultus Domini in mundo naturali, ex causa quia universum caelum una cum ecclesia in mundo coram Domino est instar unius Hominis (videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 78-86); intimum caelum facit caput, reliqui pectus et crura, et ecclesia in terris facit pedes; inde quoque est quod "pedes" significant naturale: etiam caeli insistunt ecclesiae quae apud humanum genus sicut homo suis pedibus (ut constare potest ex illis quae in eodem opere, n. 87-102, ac 291-302, ostensa sunt). Quia ultimum judicium venit quando non amplius fides quia non charitas, ita quando finis ecclesiae est, patet quid intelligitur per "Non recordatur scabelli pedum suorum in die irae suae." Et alibi,

"Non in die irae Jehovae evasor et residuus; quos educavi et nutriti, hostis meus consumpsit" (*Thren.* ii. 22):

"dies irae Jehovae" est ultimum judicium; quod tunc non bonum amoris et verum fidei amplius in ecclesia, sed malum et falsum, significatur per "Non evasor et residuus; quos educavi et enutriyi, hostis meus consumpsit;" "non evasor et residuus" significat non bonum et verum; "quos educavi et nutriti" sunt illi qui ab ecclesia, quibus omnis cibus spiritualis, seu cognitio boni et veri ex Verbo est; "hostis" qui eos consumpsit est malum et falsum. In *Apocalypsi*,

"Venit ira tua, tempus mortuos judicandi, et dandi mercedem servis tuis . . . et timentibus nomen tuum, . . . et perdendi perdentes terram" (xi. 18):

ex his patet quod per "iram" seu "diem irae" intelligatur ultimum judicium, nam dicitur "Venit ira tua, tempus mortuos judicandi." Apud *Esaiam*,

"Dies vindictae in corde meo, et annus redemptorum meorum venit; . . . conculcavi populos in ira mea, et ineibriavi eos in excandescencia mea" (lxiii. 4, 6):

agitur ibi de pugnis Domini quibus subjugavit inferna, ita de ultimo judicio quod ab Ipso factum est cum fuit in mundo; nam per pugnas, quae fuerunt tentationes in Se admissae, subjugavit illa, ac ultimum judicium fecit: hoc judicium est quod intelligitur per "diem irae et excandescenciae Jehovae" in Verbo Veteris Testamenti: sed ultimum judicium quod hodie a Domino peractum est, in-

telligitur per "diem irae" Ipsius in *Apocalypsi*: (quod ultimum judicium factum sit a Domino cum fuit in mundo, videatur in opere *De Ultimo Judicio*, n. 46:) subjugatio infernorum significatur ibi per "Conculcavi eos in ira mea, et inebriavi eos in excandescientia mea:" "annus redemptorum" significat judicium super bonos qui salvati sunt. Apud eundem,

"Spiritus Domini Jehovih super me, . . . ad proclaimandum annum beneficiti Jehovae, et diem vindictae Deo nostro, ad consolandum omnes lugentes" (lxii. [i,] 2):

apud eundem,

"Dies vindictae Jehovae, annus retributionum pro lite Zionis" (xxxiv. 8):

per "diem vindictae Jehovae," similiter ac per "diem irae et excandescientiae" Ipsius, significatur ultimum judicium; tribuitur enim Jehovae seu Domino vindicta ex simili causa ex qua ira et excandescientia, nempe ex apparentia quod illi qui negarunt Divinum, et hostili corde et animo fuerunt contra bona et vera ecclesiae, proinde contra Dominum a quo illa, qui omnes sunt qui male vivunt, in infernum dejectantur; quod quia fit cum illis sicut cum hostibus, tributur Domino vindicta sicut ira (de qua re supra): "annus retributionum" significat simile quod "dies vindictae;" sed dicitur de falsis, at "dies vindictae" de malis: "lis Zionis" significat rejectionem veri et boni ecclesiae ("Zion" est ecclesia). Praeterea tempus ultimi judicii aliis in locis vocatur "dies Jehovah," "dies visitationis," "dies occisionis," et "dies adventus:"

"Dies adventus Domini," apud *Malachiam* (cap. iii. 2), et apud *Matthaeum* (cap. xxiv. 3, 27, 37, 39).

**414. "Et quis potest stare?"**—Quod significet *Quis sustinabit et vivet?* constat ex significatione "stare," cum coram Domino, quod sit sustinere et vivere; hic non posse sustinere et vivere. Nam, ut supra dictum est, mali ex influxu et inde praesentia Domini, hoc est, Divini Boni ac Divini Veri fortiter et potenter exeuntis et procedentis ab Ipso, non modo in tremores ex formidine, sed etiam in cruciatus ex interiori conflictu veniunt: quare nisi inde fugiant et se dejicient, non possunt vivere; obvenit enim ex tremore et cruciatu sicut mors: praesentia enim Divini mortificat malos sicut vivificat bonos. Ex hoc statu eorum tunc dicitur, "Quis potest stare?" Ut quoque apud *Malachiam*,

"Quis sustinet diem adventus Ipsi⁹, et quis stabit cum apparuerit?"  
(iii. 2;)

apud *Nahum*,

"Coram indignatione Ipsi⁹ quis consistet? et quis stabit in excandescencia irae Ipsi⁹?" (i. 6;)

et apud *Zoelem*,

"Magnus est dies Jehovae et terribilis valde, et quis sustinebit eum?"  
(ii. 11.)

Praeterea vox "stare," sicut "ambulare" et "sedere," in Verbo significat esse et vivere; et "stare" simile quod "consistere" et "subsistere":—Ut apud *Lucam*,

"Respondens" angelus Sachariae, "[dixit] Ego sum Gabriel stans coram Deo" (i. 19);

et apud eundem,

"Vigilate omni tempore, ut digni habeamini....ad standum coram Filio hominis" (xxi. 36);

et alibi. Et quia "stare" quoque significat esse, etiam dicitur de Jehovah:—Apud *Esaiam*,

"Jehovah stitit Se ad litigandum, et stans ad judicandum...." (iii. 13);

et apud *Davidem*,

"Deus stetit in caetu Dei, in medio deorum judicabit" (Ps. lxxxii. 1).

Sed unde hoc quod "stare" significet esse, alibi dicetur.

## CAPUT VII.

POST haec vidi quatuor angelos stantes super quatuor angulis terrae, retinentes quatuor ventos terrae, ut non flaret ventus super terram, neque super mare, neque super ullam arborem.

2. Et vidi alium angelum ascendentem ab ortu solis, habentem sigillum Dei vivi; et clamavit voce magna quatuor angelis, quibus datum eis damno afficere terram et mare.

3. Dicens, Ne damno afficiatis terram neque mare, neque arbores, usque dum signaverimus servos Dei nostri super frontibus eorum.

4. Et audivi numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu [filiorum] Israelis.

5. Ex tribu Jehudae duodecim millia signati; ex tribu Reubenis duodecim millia signati; ex tribu Gadis duodecim millia signati.

6. Ex tribu Ascheris duodecim millia signati; ex tribu Naphthali duodecim millia signati; ex tribu Menassis duodecim millia signati:

7. Ex tribu Simeonis duodecim millia signati; ex tribu Levi duodecim millia signati; ex tribu Isascharis duodecim millia signati.

8. Ex tribu Sebulonis duodecim millia signati; ex tribu Josephi duodecim millia signati; ex tribu Benjaminis duodecim millia signati.

9. Post haec vidi, et ecce turba multa, quam numerare nemo poterat, ex omni gente et tribubus et populis et linguis, stantes coram throno et coram Agno, induiti stolis albis, et palmae in manibus eorum.

10. Et clamantes voce magna, dicentes, Salus Deo nostro sedenti super throno et Agno.

11. Et omnes angeli stabant circum thronum, et seniores et quatuor animalia, et ceciderunt coram throno super facies suas et adoraverunt Deum.

12. Dicentes, Amen, benedictio et gloria et sapientia et gratiarum actio et honor et potentia et robur Deo nostro in saecula saeculorum; amen.

13. Et respondit unus ex senioribus, dicens mihi, Hi induiti stolis albis quinam sunt, et unde venerunt?

14. Et dixi illi, Domine, tu nosti: et dixit mihi, Hi sunt qui veniunt ex tribulatione magna, et laverunt stolas suas et dealbaverunt stolas suas in sanguine Agni.

15. Propter hoc sunt coram throno Dei, et serviunt Ipsi die et nocte in templo Ipsi, et Sedens super throno habitabit super illis.

16. Non esurient amplius nec sitient amplius, neque cadet super illos sol neque ullus aestus.

17. Quoniam Agnus, qui in medio throni, pascet eos, et deducet eos ad vivos fontes aquarum; et abs terget Deus omnem lachrymam ab oculis illorum.

### *EXPLICATIO.*

#### VERSUS I.

**415.** "Et post haec vidi quatuor angelos stantes super quatuor angulis terrae, retinentes quatuor ventos terrae, ut non flaret ventus super terram, neque super mare, neque super omnem arborem."

I. "*Et post haec vidi,*" significat novam perceptionem de statu caeli ante ultimum iudicium [n. 416]; "*quatuor angelos stantes super quatuor angulis terrae,*" significat Divinum a Domino procedens in universo

*mundo spirituali* [n. 417]; “*retinentes quatuor ventos terrae*,” significat remissionem influxus ejus [n. 418]; “*ut non flaret ventus*,” significat ne laederentur boni, et ne malis ante diem rejiciantur [n. 419]; “*super terram, neque super mare, neque super omnem arborem*,” significat ubris in mundo spirituali usque ad ultima ejus apud quos aliqua percipio [n. 420].

**416.** [Vers. 1.] “*Et post haec vidi.*”—Quod significet novam perceptionem de statu caeli ante ultimum judicium, constat ex sequentibus in hoc capite, in quibus agitur de separatione bonorum a malis; nam antequam ultimum judicium supervenit, separantur boni a malis, a Domino, et abducuntur; et quia ea quae visa sunt involvunt illa, ideo hic per “post haec vidi” omnia illa significantur.

**417[a].** “*Quatuor angelos stantes super quatuor angulis terrae.*”—Quod significet Divinum a Domino procedens in universo mundo spirituali, constat ex significatione “angelorum,” quod sint Divinum a Domino procedens (de qua supra, n. I 30[a], 200, 302): et ex significatione “quatuor angulorum terrae,” quod sit universus mundus spiritualis; per “quatuor angelos” enim significatur mundus spiritualis, ex causa quia ibi aequa sunt terrae sicut in nostra tellure; sunt enim ibi aequa montes, colles, petrae, planities, valles et plura, ut supra aliquoties dictum est; et quia de ultimo judicio super omnes in mundo spirituali in *Apocalypsi* agitur, et hic de separatione bonorum a malis ibi, inde est quod per “terram” ille mundus intelligatur. Quod per “terram” significetur ecclesia, ut saepius prius dictum est, est quia facies terrae in mundo spirituali est prorsus sicut facies ecclesiae apud spiritus et angelos ibi; facies pulcherrima ubi angeli superiorum caelorum habitant, et quoque pulchra ubi angeli inferiorum caelorum, et impulchra ubi spiritus mali; ubi enim angeli habitant, sunt paradisi, horti, floreta, palatia, et omnia in caelesti forma et harmonia, ex qua amoenitates [<sup>[a]</sup>ineffabiles] effluunt, et animos intime oblectant; at apud malos spiritus sunt paludinosa, saxosa et sterilia omnia, et habitant in tuguriis quae aspectu vilia sunt, praeter in cavernis et speluncis. Haec dicta sunt ut sciatur quod per “terram” in proximo sensu intelligatur mundus spiritualis; nec alia terra potuit apparere Johanni, quia visa illi est cum fuit in spiritu; quando etiam homo est in spiritu, tunc nihil quod in nostra tellure est videt, sed quod in mundo spirituali; inde est,

quod etiam viderit quatuor angelos, et hos stantes super quatuor angulis terrae istius. Quod visi sint "quatuor angeli," est quia per illos stantes in "quatuor angulis" significatur Divinum a Domino procedens in universo mundo spirituali; universum enim illum mundum faciunt quatuor plagae, nempe orientalis, occidentalis, meridionalis et septentrionalis, ita enim divisus est ille mundus; in orientali plaga habitant qui in bono amoris in Dominum sunt, similiter in occidentali, sed illi in bono amoris claro quia in interiori, hi in bono amoris obscuro quia in exteriori; in plaga meridionali habitant qui in luce veri clara sunt, in septentrionali qui in luce veri obscura: (sed de his plagiis videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 141-153, ubi de illis actum est:) et quia omnia se referunt ad bonum amoris et ad verum ex illo bono, seu in genere ad bonum et verum, ideo per quatuor illas plagas etiam intelliguntur omnia caeli et ecclesiae. Illae plagae etiam in Verbo intelliguntur per "quatuor ventos," hic etiam per "quatuor angulos." Inde patet quod angeli non visi sint stare in quatuor angulis terrae, sed in quatuor plagiis. Quod plagae etiam dicantur "quatuor anguli," est quia per "angulos" significantur extrema, et "extrema" significant omnia, quia includunt illa. Quod "anguli" significant plagas, constat ex locis in Verbo ubi plagae describuntur per "angulos;" ut in his sequentibus:—

*Apud Mosen,*

"Pro Habitaculo facies viginti asseres pro angulo meridiei versus austrum, . . . lateri Habitaculi secundo versus angulum septentrionis viginti asseres," et sic porro (*Exod. xxvi. 18, 20; cap. xxvii. 9,<sup>[1]</sup> 11; cap. [2]xxxvi. 21, 23, 25*):

"pro angulo meridiei" est pro plaga meridionali, et "versus angulum septentrionis" est versus plagam septentrionalem, nam erant viginti asseres utrobivis. Similiter apud *Ezechiel*,

"Juxta terminum Danis ab angulo orientis usque ad angulum occidentis, Ascher unus; et inde juxta terminum Ascheris ab angulo orientis et usque ad angulum versus occidentem . . . , et sic porro (*xlviii. 1-8*);

*apud eundem,*

Hae mensurae; angulus septentrionis quingentae et quatuor millia; et angulus meridiei totidem, et ab angulo orientis totidem, angulus occidentis totidem, juxta terminum ad angulum orientis versus occidentem, et sic porro (*xlviii. [16,] 17, 23-25, [26,] 27, 28, 33, 34; et quoque cap. xlvi. 17-20*);

apud *Mosen*,

Metiemini extra urbem angulum versus ortum duo millia ulnarum, et angulum meridiei totidem, et angulum occidentis totidem, et angulum septentrionis totidem (*Num.* xxxv. 5);

et praeterea apud *Fosuam*

(*Cap.* xv. 5; *cap.* xviii. 12, 14, 15, 20):

hic per "angulum orientis," "meridiei," "occidentis" et "septentrionis" intelligitur latus ad plagam orientalem, meridionalem, occidentalem et septentrionalem. Ex quibus patet quod per "quatuor angelos stantes super quatuor angulis terrae" non intelligatur super quatuor angulis ejus, sed in quatuor plagiis ejus: similiter alibi in *Apocalypsi*,

Satanas "exhibit ad seducendum gentes quae in quatuor angulis terrae" (*xx.* 8).

Quod "quatuor anguli" dicantur, et non quatuor plagae, est quia etiam per "angulos" significantur omnia, quoniam sunt extrema; extrema enim comprehendunt omnia quae a centro ad ultimas peripherias sunt, nam sunt ultimi termini. Inde erat quod super quatuor angulis altaris penerentur quatuor cornua, et super illis funderetur sanguis, et sic totum altare expiaretur

(Ut patet in *Exodo*, *cap.* xxvii. 2; *cap.* xxix. 12; *cap.* xxx. 2, 3, 10; *cap.* xxxviii. 2; *Levit.* [iv.] 7, 18, 25, 30, 34; *cap.* xvi. 18, 19; *Ezech.*<sup>[1]</sup> xl. 22; *cap.* xlivi. 20).

Quod per "angulos" significantur omnia, quia extrema, ex causa de qua supra, quia extrema includunt et comprehendunt omnia, constat manifeste ex quibusdam statutis apud filios Israelis; ut

Quod non circumducerent seu raderent angulum capitinis sui (*Levit.* xix. 27);

Quod non raderent angulum barbae suae (*Levit.* xix. 27; *cap.* xxi. 5); Et quod non <sup>[2]</sup> consummarent angulum agri sui cum menterent (*Levit.* xix. 9; *cap.* xxiii. 22).

Cur haec statuta illis data sunt, non sciri potest nisi sciatur quid significat "crinis capitinis," quid "barba," quid "ager," et simul quid "angulus." Per "crinem capitinis" et "barbae" significatur ultimum vitae hominis, quod sensuale corporis vocatur; et per "agrum" significatur ecclesia, ac per "messem" verum doctrinae: quare repreäsentabatur per illa quod extrema conservarentur, quia significant omnia;

nisi enim extrema sunt, etiam media non conservantur sed diffluunt; sicut comparative nisi cutes forent circum hominem, diffluenter interiora: similiter in omni re, ita quoque in illis quae significantur per "crinem capitinis," per "barbam" et per "messem agri:" (quod per "crinem capitinis" significetur extrellum vitae hominis, quod vocatur sensuale corporeum, videatur supra, n. 66; et quod per "barbam" similiter, in *Arcanis Caelestibus*, n. 9960: quod "extrema" seu "ultima" significant omnia in complexu, ita totum, n. 10044, 10329, 10335;) et quia "ager" significabat ecclesiam, ac "messis" vera ejus, inde per "non consummare angulum agri tui cum metis" significatur conservatio omnium quae significantur per "messes agri."

[b.] Quod "anguli" significant omnia, quia extrema, etiam constare potest a sequentibus his locis:—Apud *Mosen*,

"In extremos angulos ejiciam eos, cessare faciam ab homine memoriam eorum" (*Deut. xxxii. 26*):

"ejicere in extremos angulos" significat deprivari omni bono et vero; quare etiam dicitur "Cessare faciam ab homine memoriam eorum," per quod significatur ut non amplius eis sit aliquid vitae spiritualis; quod fit cum homo solum in ultimis vitae est, quod vocatur sensuale corporeum, in quo solo sunt plerique qui non aliquid vitae spiritualis adepti sunt; fiunt enim tunc non absimiles bestiis, hae enim nec in alia vita sunt; cum differentia quod homo quia natus homo possit loqui et ratiocinari; sed hoc facit ex fallaciis sensuum, seu extremorum naturae mundi et corporis: hoc intelligitur hic per "ejici in extremos angulos." Apud *Jeremiam*,

"Erunt camelii.. in praedam, et multitudo pecorum.. in spolium, et dispergam eos in omnem ventum, in abscissos anguli, et ab omnibus transitibus ejus adducam exitium" (*xlix. 32*):

haec dicta sunt de devastatione Arabiae et Chazoris a rege Babelis; ac per "Arabiā" et "Chazorem" significantur cognitiones boni et veri, et per "regem Babelis" malum et falsum vastans; vastatio omnium scientificorum confirmantium et cognitionum boni et veri, significatur per quod "erunt camelii eorum in praedam, et multitudo pecorum in spolium;" "camelii" sunt scientifica confirmantia, et "pecora" sunt cognitiones boni et veri: vastatio quoad omnia boni et veri, usque ut non sit reliquum, significatur

per "Dispergam eos in omnem ventum, in abscisos anguli;" "abscissi anguli" sunt extrema ubi non bonum et verum amplius; quod tunc mala et falsa undequaque irruptura sint, significatur per "Ab omnibus transitibus ejus adducam exitium;" in mundo enim spirituali, ubi mali sunt, ibi undequaque patent viae ab infernis, perque illas irrumpunt mala et falsa inde, et per easdem vias eunt omnes qui in similibus malis et falsis sunt, et se illis consociant. Haec dicta sunt ut sciatur quid intelligitur per "Ab omnibus transitibus adducam exitium:" per "esse in praedam" et "in spolium," tum per "dispergere et adducere exitium," significatur devastatio. Apud <sup>¶</sup>eundem,

"Ecce dies venientes, . . . quibus visitabo super omnem circumcisum in praeputio, Aegyptum et Jehudam et Edomum, et filios Ammonis et Moabum, et omnes abscisos anguli habitantes in deserto; nam omnes gentes praeputiatae, et omnis domus Israelis praeputiati corde" (ix. [24.] 25 [B. A. 25, 26]):

per "abscisos anguli" hic significantur qui in ecclesiae ultimis separatis ab interioribus sunt; interiora sunt spiritualia; ita qui solum in sensualibus, quae ultima naturalis hominis sunt: (de illis qui mere sensuales sunt, quinam et quales sunt, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 50:) quod hi per "abscisos anguli" significantur, est quia per "angulos" significantur plagae mundi spiritualis, et per plagas illas significantur omnia bona et vera caeli et ecclesiae, ut in praemissis dictum est. Habitationes spirituum et angelorum eo ordine ibi succedunt, quod in medio sint qui in summa sapientia et intelligentia, et e medio usque ad ultimas peripherias in minore et minore; et decrescentiae illae sunt prorsus secundum distantias e medio; in ultimis sunt qui non in aliqua, et extra illos sunt qui in malis et inde falsis: hi sunt qui intelliguntur per "abscisos anguli;" et quia ibi deserta sunt, dicitur de illis, "habitantes in deserto." (De decrescentiis illis in mundo spirituali, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 43, 50, 189.) Idem significantur per "gentes praeputiatas," et per "domum Israelis praeputiatis corde;" per "praeputiatos" significantur qui absque amore et charitate sunt, ita qui absque bono, et inde in amoribus sui et mundi: et qui in his amoribus sunt, illi in ultimis naturalis hominis sunt prorsus separatis a spiritualibus; quare sunt "abscissi anguli habitantes in deserto." Per "Aegyptum," "Jehudam," "Edomum," "filios Ammonis" et "Moabum," intelliguntur omnes qui separa-

verunt a se bona et vera ecclesiae per amores illos; unde extra illa sunt, ita "abscissi anguli."

Simile significatur per "abscissos anguli" apud *Jeremiam* (cap. xxv. 23).

*Apud Mosen,*

"Orietur Stella ex Jacobo, et surget Sceptrum ex Israele, quod conteret angulos Moabi" (*Num.*, xxiv. 17):

per "angulos Moabi" intelliguntur omnia quae per "Moabum" significantur; per "Moabum" significantur illi qui in ultimis Verbi, ecclesiae, et cultus sunt; et in opposito sensu, qui adulterant ea per id quod se vertant ad se, ac spectent sui honorem in singulis eorum; quare "anguli Moabi" sunt adulterationes Verbi et inde ecclesiae et cultus, quales sunt apud illos qui tales sunt.

Similia per "angulum Moabi" significantur apud *Jeremiam* (cap. xlviij. 45).

*Apud Zephaniam,*

"Dies buccinae et clangoris super urbes munitas, et super angulos altos" (i. 16):

"dies buccinae et clangoris" significat pugnam spiritualem, quae est contra falsa et mala; "urbes munitae" significant doctrinalia falsa quae confirmaverunt; et "anguli alti" significant illa faventia amoribus suis: inde patet quid significatur per "diem buccinae et clangoris super urbes munitas et super angulos altos." Apud eundem,

"Exscindam gentes, devastabuntur anguli eorum, desolabo plateas eorum ut non transiens; et devastabo urbes eorum ut non....habitans" (iii. 6):

destructio bonorum omnium ecclesiae, significatur per "Exscindam gentes," et per "Devastabuntur anguli eorum;" "gentes" sunt bona ecclesiae, "anguli" sunt omnia ejus quia extrema (ut supra): destructio veritatum doctrinae, significatur per "Desolabo plateas eorum," et per "Devastabuntur urbes eorum;" "plateae" sunt veritates, et "urbes" sunt doctrinalia: destructio totalis usque dum ut non sit aliquod verum et aliquod bonum, significatur [per] "ut non sit transiens et non habitans," nam "transire" in Verbo dicitur de veris, et "habitare" de bonis. In *Libro Iudicum*,

"Exiverunt omnes filii Israelis, et congregatus est coetus sicut vir unus a Dane usque ad Beerschebam,....et constiterunt anguli omnis populi, omnes tribus Israelis, in congregatione populi Dei" (xx. 1[. 2]):

quod "constiterint anguli omnis populi in congregatione populi Dei" significet omnes undequaque seu ab omni plaga, patet manifeste ex eo, quod dicatur quod "exiverint omnes filii et omnes tribus Israelis," et quod "congregatus sit coetus a Dane ad Beerschebam;" in sensu autem spirituali per "angulos omnis populi" significantur omnia vera et bona ecclesiae; similiter etiam per "omnes tribus Israelis, a Dane usque ad Beerschebam" significantur illa ab ultimis ad prima; et per "congregationem populi Dei" significatur consultatio de rebus ecclesiae: in historicis enim Verbi ubivis est sensus spiritualis aequa ac in propheticis ejus; quare in sensu historico per "angulos" significantur plagae quales sunt in mundo spirituali, at in sensu spirituali significantur omnia vera ac bona ecclesiae, ex causa de qua supra. Ex his constare potest quid significatur per "lapidem anguli" in his locis:—Apud *Esaiam*,

"Fundabit in Zione lapidem, lapidem probationis, anguli pretii fundationis fundatae" (xxviii. 16);

apud *Jeremiam*,

"Non sument de te lapidem pro angulo, aut lapidem fundamentorum" (li. [1]26);

apud *Sachariam*,

Ex Jehudah "angularis, ex illo clavus, ex illo arcus belli" (x. 4);

apud *Davidem*,

"Lapis quem rejecerunt .., factus est in caput anguli" (Ps. cxviii. [2]22; Matth. xxi. 42; Marc. [3]xii. 10, 11; Luc. xx. 17, 18):

"lapis anguli" significat omne Divinum Verum super quo fundatur caelum et ecclesia, ita omne fundamentum; et quia fundamentum est ultimum cui incumbit domus seu templum, ideo significant omnia. Quia per "lapidem anguli" significantur omnia super quibus fundatur ecclesia, ideo dicitur, "Fundabit in Zione lapidem, lapidem ... anguli pretii fundationis fundatae," et dicitur "lapis pro angulo," et "lapis fundamentorum;" et quia per "lapidem anguli" significatur omne Divinum Verum super quo fundatur ecclesia, ideo quoque significatur Dominus quoad Divinum Humanum, quia omne Divinum Verum ab Illo procedit. "Aedificantes" seu "architecti" qui rejecerunt illum lapidem, ut legitur apud *Evangelistas*, sunt illi qui ab ecclesia; ibi ab Ecclesia Judaica, quae rejicit Dominum, et cum Ipso omne Divinum

Verum: apud illos enim fuerunt non nisi quam traditiones vanae ex sensu litterae Verbi, in quibus ipsa vera Verbi falsificata et bona adulterata fuerunt. (Quod "ultima" significant omnia, et unde hoc, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 634, 5897, 6239, 6451, 6465, 119216, 9824, 9828, 9836, 9905, 10044, 10099, 10329, 10335, 10548.)

**418[a]. "Retinentes quatuor ventos terrae."**—Quod significet remissionem *influxus ejus*, constat ex significatione "quatuor ventorum terrae," quod sit omne Divinum in caelo (de qua sequitur); et ex significatione "retinere illos," quod sit remittere influxum ejus: sed quid intelligitur per remissionem *influxus Divini* in caelo, nemo scire potest nisi cui revelatum est, et consequenter nec sciri potest quid significatur per "retentionem quatuor ventorum terrae." Absque revelatione, quis non opinatur est quod per "ventos" ibi intelligentur venti qui ab angelis retenti? quoniam etiam sequitur, "ne flaret ventus super terram neque super mare, neque super omnem arborem:" verum per "ventos terrae" hic ut alibi in Verbo significatur omne Divinum quod a Domino in caelo, in specie Divinum Verum; et hoc quia influit a Domino ut Sole in universum caelum et inde in universam terram, ideo per "retinere illos" significatur remittere influxum. Sed ut haec clarius intelligentur, dicitur etiam quomodo se res habet cum influxu illo. Dominus est Sol caeli angelici; ex Ipso ut Sole procedit omnis lux et omnis calor ibi; lux quae procedit, est in sua essentia Divinum Verum, quia est lux spiritualis; ac calor qui procedit est in sua essentia Divinum Bonum, quia est calor spiritualis: haec effluunt a Domino ut Sole in omnes caelos accommodate ad receptionem ab angelis ibi; quare nunc remissius nunc intensius. Quando remissius, tunc separantur boni a malis; quando autem intensius, tunc rejiciuntur mali. Quapropter cum ultimum judicium instat, tunc Dominus primum remissee influit, ob causam ut separantur boni a malis. Quoniam in hoc capite de separatione illa agitur, ideo praemittitur de "retentione quatuor ventorum terrae," per quam significatur remissio *influxus Divini Boni ac Divini Veri* a Domino: quod de separatione bonorum a malis, patet a sequentibus hujus capitinis, nam dicitur, "ne damno afficiatis terram, neque mare, neque omnem arborem, usque dum signaverimus servos Dei super frontibus eorum" (vers. 3); ac postea usque ad finem capitinis agitur de "signatis," hoc est, de bonis separatis a malis. Sed de hac separatione

plura in sequentibus dicentur; pariter de conjectione malorum in inferna, quae postea fit. Quod "quatuor venti" significant omne Divinum procedens, est quia per "ventos caeli" significantur plagae caeli; totum enim caelum distinctum est in quatuor plagas, nempe orientalem, occidentalem, meridionalem et septentrionalem: in binas plagas, orientalem et occidentalem, influit Dominus cum Divino Bono fortius quam cum Divino Vero; et in binas plagas, meridionalem et septentrionalem, cum Divino Vero fortius quam cum Divino<sup>[1]</sup>Bono; unde hi plus in sapientia et intelligentia sunt, illi autem plus in amore et charitate: et quia universum caelum distinctum est in quatuor plagas, et plagae illae intelliguntur per "quatuor ventos," ideo per "quatuor ventos" significatur omne Divinum procedens. Quod dicantur "quatuor venti terrae," est quia per "terram" intelligitur omnis terra in mundo spirituali, at in sensu spirituali per "terram" significatur caelum et ecclesia (de qua re videatur praecedens articulus).

[*b.*] Ex his constare potest quid intelligitur per "quatuor ventos" alibi in Verbo:—Ut apud *Ezechielem*,

"Dixit" Dominus Jehovih ad me, "Propheta super spiritu, propheta.... et dic ad spiritum, Sic dixit Dominus Jehovih; a quatuor ventis veni, spiritus, et inspira in occisos hos ut vivant; et cum prophetavi,.... venit spiritus, et revixerunt" (xxxvii. 9, 10):

haec de "ossibus aridis" visis prophetae, per quae intelliguntur filii Israelis (ut patet a vers. 11, ibi); ac per visionem illam describitur reformatio et instauratio novae ecclesiae ex illis qui non prius in aliqua vita spirituali fuerunt. "Ossa arida" sunt illi quibus non aliquid vitac spiritualis est; vita spiritualis quae illis a Domino data, ex qua apud illos ecclesia, describitur per illa verba; per "spiritum," super quo prophetaret, et ex quo revixerunt, significatur vita spiritualis, quae est vita secundum vera Verbi; "a quatuor ventis veni, spiritus," significat ex Divino Domini in caelo; "quatuor venti" sunt quatuor plagae in caelo, et quatuor plagae sunt omne Divinum ibi (ut supra dictum est). In sensu litterac per "spiritum" ibi intelligitur spiritus respirationis, qui est ventus; quare dicitur "ut veniret et inspiraret in occisos hos," et per "spiritum respirationis" significatur aequa vita spiritualis, ut ex sequentibus patebit: per "occisos" significatur simile quod per "ossa arida," nempe illi quibus non

aliquid vitae spiritualis est. Apud *Sachariam*,

Visi sunt "quatuor currus exeuntes inter duos montes aeris," ad quos erant equi; et dixit angelus, "Hi sunt quatuor venti caelorum, exeuntes a stando juxta Dominum totius terrae" (vi. 1, 5):

agitur ibi de ecclesia propaganda apud illos qui nondum in aliqua luce veri ecclesiae fuerunt, quia non Verbum habuerunt: (quid significant "quatuor currus" et "quatuor equi," et quid plura de illis, videatur supra, n. 355<sup>[b]</sup>, et quid "montes aeris," etiam supra, n. [405<sup>[a]</sup>], 364<sup>[b]</sup>, ubi explicata sunt:) per "quatuor ventos" ibi significatur omne Divinum procedens, seu Divinum Bonum ac Divinum Verum, ex quibus ecclesia; quare dicitur, "venti caelorum exeuntes a stando juxta Dominum totius terrae;" "exire a stando juxta Ipsum" significat procedere; quod "currus" et "equi" dicantur illi venti, est quia "currus" significant doctrinalia boni et veri, et "equi" intellectum eorum, et hic et illa procedunt ex Divino Domini. Apud *Evangelistas*,

Filius hominis "mittet angelos suos cum tubae voce magna, et congregabunt electos Ipsius a quatuor ventis, ab extremo caelorum ad extrellum illorum" (*Matth.* xxiv. 31; *Marc.* xiii. 27):

ibi praedicuntur a Domino omnes status successivi ecclesiae usque ad finem ejus quando ultimum judicium; ac per "angelos cum tubae voce magna" significatur evangelizatio de Domino; et per "congregare electos a quatuor ventis ab extremo caelorum ad extrellum illorum" significatur instauratio ecclesiae novae; "electi" sunt qui in bono amoris et fidei, "quatuor venti" sunt omnes status boni et veri, "extremum caelorum ad extrellum illorum," sunt interna et externa ecclesiae. (Sed haec videantur clarius explicata in *Arcanis Caelestibus*, n. 4060.) Apud *Danielem*,

"Hircus caprarum magnum se fecit valde; sed cum invaluisset, fractum est cornu magnum, et ascenderunt aspectu quatuor loco ejus juxta quatuor ventos caelorum" (viii. 8):

quid intelligitur per "hircum caprarum" et per "arietem" in eo capite, videatur supra (n. 316<sup>[c]</sup>), quod nempe per "hircum caprarum" significetur fides separata a charitate, proinde illi qui putant se salvati per quod sciant doctrinalia et vera Verbi, et non cogitant de aliqua vita secundum illa; per "cornua" significantur vera, et in opposito sensu falsa, hic falsa; per "cornu magnum" falsum dominans, quod est quod per solum scire et inde credere sit

salvatio; quod “cornu magnum fractum sit, et ascenderint quatuor loco ejus juxta quatuor ventos caelorum,” significat quod ex uno principio, quod est sola fides, exsurgent multa falsa conjuncta malis, “<sup>10</sup>cornu magnum” significat falsum dominans, quod est quod sola fides salvet, “fractum” significat divisum in plura falsa nascentia inde, “quatuor loco ejus” significant conjunctionem eorum cum malis; “juxta quatuor ventos caelorum” significat quoad omnia et singula falsi et mali; “quatuor” enim “venti caelorum” significant omne bonum et verum caeli et ecclesiae, et conjunctionem eorum; in opposito autem sensu omne malum et falsum ac conjunctionem eorum: quod “quatuor venti caelorum” etiam significant omne malum et falsum, est quia in quatuor plagis in mundo spirituali non solum habitant qui in bono amoris et in veris inde sunt, sed etiam qui in malis et falsis inde; inferna enim in iisdem plagis sunt, sed profunde sub caelis ibi, pleraque in cavernis, speluncis et cryptis (de qua re videatur supra, n. 410[a]). In eodem hoc sensu “venti caelorum” dicuntur apud *Jeremiam*,

“Adducam super Elamum quatuor ventos ex quatuor finibus caelorum, et dispergam eos in omnes ventos hos, ut non sit gens quo non veniat de dispulsis Elami” (xlix. 36):

per “Elamum” ibi significantur qui in cognitionibus quae fidei vocantur, et non simul in aliqua charitate sunt; per “quatuor ventos ex quatuor finibus caelorum” significantur falsa conjuncta malis, et per “dispergere illum in omnes ventos hos” significatur in falsa mali omnis generis; “ut non sit gens quo non veniat ab expulsis Elami” significat ut non sit malum cui non possit falsum adaptari (“gens” est malum); solae enim cognitiones absque vita charitatis pariunt falsa mali innumera. Apud *Danielem*,

“Videns fui in visione mea cum nox esset, et ecce quatuor venti caelorum irruerant in mare magnum, et quatuor bestiae magnae ascenderunt e mari” (vii. 2, 3):

per “quatuor ventos” etiam hic significantur falsa conjuncta malis; per “mare magnum,” infernum unde illa sunt; et per “quatuor bestias” significantur omnis generis mala; sed de his plura in sequentibus.

Simile per “quatuor ventos” significatur apud *Danielem* (cap. xi. 4); et quoque apud *Sachariam* (cap. ii. 10, 11 [B. A. 6, 7]).

Quod per "quatuor ventos" significantur quatuor plagae, manifeste patet

Apud *Ezechiem* (cap. xlvi. 16-19), ubi agitur de mensura domus secundum quatuor ventos, hoc est, plagas;

ex eadem etiam voce in lingua Hebraea nominatur ibi plaga ex qua ventus, et ex qua spiritus. Sed de "ventis" plura videantur in nunc sequente articulo.

**419[a]. "Ut non flaret ventus."**—Quod significet ne laederentur boni, et [ne] mali ante diem rejicerentur, constat ex significatione "venti," quod sit Divinum procedens, quod est Divinum Bonum unitum Divino Vero; quare quod "non ventus flaret" significat quod remisse et leniter influeret: quod "ne flaret ventus super terram" significet ne laederentur boni, ac ne mali ante diem rejicerentur, est quia separationes bonorum a malis et rejections malorum in spirituali mundo fiunt per varios gradus remissionis et intensionis Divini procedentis a Domino ut Sole: quando hoc remisse influit, tunc separantur boni a malis; et cum intense, tunc rejiciuntur mali: causae sunt, cum Divinum a Domino remisse influit, tunc est tranquillum et serenum ubivis, in quo apparent omnes quales sunt quoad statum sui boni; tunc enim in luce sistuntur omnes; quare tunc qui in bono sunt ex origine spirituali separantur ab illis qui in bono sunt solum ex origine naturali, inspicit enim Dominus illos qui in spirituali bono sunt, et eos adducit, et sic separat. Qui in bono sunt ex origine spirituali, sunt illi de quibus in sequentibus dicitur quod "signati super frontibus," sunt enim spirituales et angeli caeli; at qui solum in bono sunt ex origine naturali, illi non boni sunt, quia non spirituales; bonum enim apprens apud illos est malum, quia spectat se et mundum pro fine; nam bonum in externa forma agunt propter sui gloriam, honorem et acrum, et non propter bonum proximi; proinde bonum faciunt modo ut spectentur ab hominibus: hi qui mere naturales, sunt qui "non signati," et qui postea rejiciuntur. Cum autem Divinum a Domino intense influit, tunc bona quae apud malos dissipantur, quoniam in se non bona sunt sed mala, et mala non sustinent influxum Divini: inde fit quod externa apud illos claudantur; quibus clausis interiora aperiuntur, in quibus non nisi quam mala et inde falsa sunt; unde illis dolores, angores et cruciatus, propter quos

se dejiciunt in inferna, ubi similia mala et falsa sunt. Quando influxus Divini intenditur, quod fit cum rejiciendi sunt mali, tunc inferius in mundo spirituali existit ventus fortiter flans, sicut tempestas et procella; hic ventus est qui in Verbo vocatur "ventus orientalis," de quo etiam in sequentibus: inde quoque dejectio malorum in Verbo describitur per ventos vehementes et impetuoso, per tempestates et procellas. Per "ventum Jehovae" significatur simile quod per "spiritum Jehovae," nam intelligitur ventus respirationis, qui etiam vocatur spiritus. Inde est quod in lingua Hebraea et in multis aliis linguis "spiritus" denominatur ex eadem voce ex qua "ventus:" ex hac causa est, quod maxima pars hominum de spiritu et de spiritibus non aliam ideam ceperint quam sicut de vento, qualis est ventus respirationis; inde opinones in orbe etiam eruditio, quod spiritus et angeli sint sicut venti, in quibus solum est vitale cogitationis; haec etiam causa est quod pauci ex illis se persuaderi patientur quod spiritus et angeli sint homines, corpore, faciebus et sensoriis praediti sicut homines in tellure. Quod per "ventum" et "spiritum," ubi de homine dicuntur, significetur vita veri, seu vita secundum vera aut praecepta Domini, est quia respiratio, quae est pulmonum, correspondet illi vitae, ac cor et ejus motus correspondet vitae boni. Sunt enim binae vitae, quae unum facient apud hominem, vita veri et vita boni; vita veri est vita intellectus hominis; vita autem boni est vita voluntatis ejus: in intellectu enim resident vera, quia haec faciunt intellectum; in voluntate autem resident bona, quia haec faciunt voluntatem. Simile significatur in Verbo per "animam et cor," quando utrumque nominatur.

[*b.*] Ex his constare potest quid intelligitur per "ventus" et per "spiritum Jehovae," nempe Divinum Verum; ac per "quatuor ventos" Divinum Verum unitum Divino Bono. Quoniam per "ventus" intelligitur ventus seu spiritus respirationis, et per illum significatur Divinum Verum, ac vita spiritualis illis qui recipiunt id, ideo ille ventus etiam vocatur "halitus narium Jehovae," et quoque "halitus oris," ac "respiratio;" ut constare potest a sequentibus his locis:—Apud *Ezechielem*,

"Vidi et super" ossibus aridis "nervi, et caro ascendit, et obducta est super illa cutis superius; spiritus tamen non in illis: tunc dixit ad

me, Propheta super spiritu, propheta, fili hominis, et dic ad spiritum, Sic dixit Dominus Jehovih, A quatuor ventis veni, spiritus, et inspira in occisos hos ut vivant" (xxxvii. 8, 9) :

quid per "ossa arida" ibi significatur, in mox praecedente articulo dictum est, nempe illi quibus non aliiquid vitae spiritualis est, seu quibus non aliqua vita per Divinum Verum; ejus inspiratio a Domino significatur per "Propheta super spiritu, et dic ad spiritum, A quatuor ventis veni, spiritus, et inspira in occisos hos ut vivant:" quod hic per "spiritum" intelligatur spiritus respirationis, patet; nervi enim, caro et cutis erant, sed adhuc non respiratio; quare dicitur, "Dic ad spiritum ut inspiret in illos:" inde constare potest quod "spiritus" seu "ventus" ille significet vitam spiritualem. Quod non communis respiratio intellecta sit, constat ex eo, quod dicatur quod "domus Israe lis esset illa ossa arida," hoc est, quod essent absque vita spirituali; et quod postea dicatur de illis, "Dabo spiritum meum in vobis, ut vivatis, et collocabo vos super terra vestra ut vivatis" (vers. 14); per quae significatur quod regenerandi sint, ut ex illis fiat ecclesia; regeneratio fit per vitam secundum Divinum Verum, ex quo vita spiritualis; et per "reducere super terram" significatur ut fiant ecclesia; "terra Canaan" significat ecclesiam. Apud *Mosen*,

"Inspiravit" Jehovah [Deus] "in <sup>(1)</sup>nares ejus animam vitarum, et factus est homo in animam viventem" (*Genes.* ii. 7):

hic quoque in sensu litterae intelligitur ventus respirationis, quoniam dicitur, "Inspiravit in nares ejus;" sed quod intelligatur vita spiritualis, quae est vita intelligentiae et sapientiae per Divinum Verum, patet ex eo quod dicatur quod "inspiraverit animam vitarum," et quod homo inde "factus sit in animam viventem;" "anima vitarum" et "anima vivens" est vita spiritualis, nam homo absque illa anima vocatur homo mortuus, tametsi corpore et sensibus vivit: inde quoque constare potest quod per "animam," "spiritum" et "ventum" in Verbo intelligatur vita spiritualis. Apud *Johannem*,

Jesus dixit discipulis; "Pax vobis; sicut misit Me Pater, ita Ego mitto vos: atque hoc dicens inspiravit et dixit illis, Accipite spiritum sanctum" (xx. 21, 22):

quod Dominus "inspiraverit et dixerit illis, Accipite spiri-

tum sanctum," significat simile quod Jehovah "inspiraverit in nares Adami animam vitarum," quod nempe vitam spiritualem, "spiritus sanctus" enim significat Divinum Verum procedens a Domino, ex quo vita spiritualis: quod docerent illud ex Domino, significatur per "Sicut misit Me Pater ita Ego mitto vos;" Dominus enim fuit Ipsum Divinum Verum cum in mundo, quod docuit ex Divino suo Bono quod in Ipso ex conceptione; hoc Divinum est quod Dominus hic et alibi vocat "Patrem;" et quia cum abivit e mundo univit Divinum Verum Divino Bono, ut in Ipso unum essent, et quia tunc Divinum Verum procedit ab Ipso, ideo dixit, "Sicut misit Me Pater ita Ego mitto vos."

[*e.*] Quod ventus respirationis significet vitam spiritualem fit ex correspondentia (videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 3883-3896): cognoscuntur etiam omnes in mundo spirituali ex sola respiratione, quales sunt; qui in vita respirationis caeli sunt, illi inter angelos sunt; qui autem in illa respiratione non sunt, illi dum in caelum veniunt, non possunt respirare ibi; inde illis angor quasi ex suffocatione (de qua re etiam videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 1119, 3887, 3889, 3892, 3893). Ex ea correspondentia est quod dicatur "inspiratio," quod prophetae dicantur "inspirati," et quod Verbum dicatur "Divinitus inspiratum." Ex his constare potest quid significatur per Domini verba apud *Johannem*,

"Nisi quis generatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest ingredi in regnum Dei:....oportet vos generari denuo; ventus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, [!]atqui non scis unde venit et quo abit; sic est omnis qui generatus est a spiritu" (iii. 5, 7, 8):

per "generari denuo" intelligitur regenerari; et quia homo regeneratur per vitam secundum Divinum Verum, et omne Divinum Verum, per quod homo regeneratur, procedit ex Domino ac influit apud illum quando nescit, inde dicitur, "Ventus quo vult spirat, et vocem ejus audis, atqui non scis unde venit et quo abit:" ita describitur vita spiritus hominis quae ei per regenerationem; "ventus" est Divinum Verum per quod illa vita; quomodo id influit a Domino, homo prorsus nescit quamdiu est in mundo, quoniam tunc ex naturali homine cogitat; modo aliquid percipit quod ex spirituali homine in naturalem influit; hoc itaque est quod intelligitur per "Vocem ejus audis, et non scis unde venit et quo abit:" "aqua" ex qua generatur signi-

ficat verum ex Verbo, et "spiritus" significat vitam secundum illud. (Quod "aqua" significet verum, videatur supra, n. 71.) In *Threnis*,

"Spiritus narium nostrarum, Unctus Jehovae, captus est in foveis eorum, de quo dixeramus, In umbra illius vivemus inter gentes" (iv. 20):

per "Unctum Jehovae" hic intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, simile enim per "Unctum Jehovae" quod per "Regem" significatur; (quod "Rex" in supremo sensu significet Dominum quoad Divinum Verum, videatur supra, n. 31; et quod etiam "Unctus Jehovae," supra, n. 375;) inde est quod dicatur "Spiritus narium nostrarum, de quo dixeramus, In umbra illius <sup>[i]</sup>vivemus," "spiritus" enim ac "ventus narium" in supremo sensu significat Divinum Verum, ut supra dictum est; quod Divinum Verum perierit per falsa mali, significatur per quod "captus in foveis eorum" ("foveae" sunt falsa mali). Alibi in *Threnis*,

"Vocem meam audivisti," Jehovah; "ne abscondas aurem tuam ad respirationem meam, ad clamorem meum" (iii. 56):

"abscondere aurem ad respirationem et ad clamorem" significat ad cultum, confessionem et preces quae ex veris et ex bonis: omnis enim cultus, confessio et precatio erit ex veris et ex bonis; ex utrisque erunt ut audiantur; si ex solis veris sunt non audiuntur quia non vita est in illis; vita veri est ex bono: "respiratio" dicitur ibi de veris, et "clamor" de bonis (quod "clamor" dicatur de bonis, videbitur alibi). Apud *Mosen*,

"Omne cui flatus spiritus vitarum in naribus ejus, ab omni quod in arida, mortua sunt" (*Genes.* vii. 22):

quid haec in sensu litterae significant, quisque videt; quod nempe per diluvium extincta fuerint omnia quae super terra, ita omnes homines qui vixerunt praeter Noachum et ejus filios: sed quid in sensu spirituali per illa verba significatur, videatur in *Arcanis Caelestibus* (n. 805, 806, ubi explicata sunt); quod nempe per "flatum spiritus vitarum in naribus" intelligatur vita spiritualis, quae fuit illis qui ab Antiquissima Ecclesia; "diluvium" enim significat finem illius ecclesiae, ac ultimum judicium quod factum quando omne ecclesiae extinctum fuit. Apud *Davidem*,

"Aures illis, non audiunt, etiam non est ventus in ore illorum" (*Ps. xxxv. 17*):

“non ventus in ore illorum” significat quod non verum in cogitatione, “os” enim significat cogitationem. Apud *Jeremiam*,

“Onagri, . . . anhelarunt ventum sicut ceti, consumpti sunt oculi eorum eo quod non herba” (xiv. 5, 6):

“anhelare ventum sicut ceti” significat non dari verum quod hauriant; “eo quod non herba” significat quia non verum in ecclesia. Quoniam dejiciuntur mali per vehementiorem influxum Divini Veri et Boni procedentis a Domino ut Sole, ut supra dictum est, idco quoque dejectio illorum qui in falsis mali sunt per “flatum narium Jehovae” describitur:—Ut apud *Esaiam*,

“Paratum ab heri Thopheth, . . . rogus ejus, ignis et ligna multa” præparata, “flatus Jehovae sicut fluvius sulphuris accedit eos” (xxx. 33):

apud *Davidem*,

“Apparuerunt alvei aquarum, et revelata sunt fundamenta orbis ab increpatione Jehovahae, a flatu spiritus nasi tui” (Ps. xviii. 16 [B. A. 15]):

apud *Mosen*,

“A flatu narium tuarum coacervatae sunt aquae, . . . spirasti vento tuo, contexit eos mare” (*Exod.* xv. 8, 10):

et apud *Hiobum*,

“Machinatores iniquitatis . . . ab halitu Dei pereunt, a spiritu nasi Ejus consumuntur” (iv. 8, 9):

per “flatum,” “spiritum” et “halitum narium Jehovae” etiam hic intelligitur Divinum procedens, per quod disperguntur et dejiciuntur mali, dum intense et fortiter influit; sed de hoc influxu dicetur in sequentibus, ubi de “procellis,” “tempestatibus” et de “vento orientali.”

[d.] Quod “ventus terrae” etiam significet Divinum procedens, est quoque ex correspondentia cum ventis in mundo spirituali; existunt enim in mundo spirituali etiam venti, qui oriuntur ex determinatione influxus Divini et existunt ad inferiora terrae ibi: in caelis raro aliqui venti nisi lenes appercipiuntur, sed apud illos qui inferius super terris habitant frequenter, increscunt enim illi secundum descensum; determinationes illorum sunt a plagis in quas influit Divinum, imprimis a septentrione: et quia venti ibi sunt ex spirituali origine, inde quoque spiritualia significant, in genere Divinum Verum ex quo:—Ut apud *Davidem*,

Jehovah "contignans aquis triclinia sua, ponit nubes currum suum, ambulat super alis venti, facit angelos suos ventos, ministros suos ignem flammantem" (Ps. civ. 3, 4):

per "aquas," "nubes" et "alas venti" significatur Divinum Verum in ultimis, quod est sicut verum sensus litterae Verbi: quia hoc in ultimis est, dicitur quod "contignet aquis triclinia sua, ponat nubes currum suum, ambulet super alis venti;" "aqua" sunt vera in ultimis, "nubes" et "alae venti" similiter, "currus" est verum doctrinae: quod "faciat angelos suos ventos, et ministros suos ignem flammantem," significat quod faciat illos ut sint receptiones Divini Veri ac Divini Boni; per "angelos" intelliguntur qui in regno spirituali Domini sunt, qui quia recipientes Divini Veri sunt, dicitur quod "faciat eos ventos;" et per "ministros" intelliguntur qui in regno caelesti Domini sunt, qui quia recipientes Divini Boni sunt, dicitur quod "faciat illos ignem flammantem;" "ignis flammans" significat bonum amoris et inde verum. (Quod illi qui in regno spirituali Domini sunt, sint recipientes Divini Veri, et qui in regno caelesti recipientes Divini Boni, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 20-28: quod angeli dicantur "angeli" ex receptione Divini Veri, videatur supra, n. 130, <sup>[1]</sup>412[*b*]: et quod ministri dicantur "ministri" ex receptione Divini Boni, videatur etiam supra, n. 155: et quod "ignis" significet bonum amoris, n. 68.) *Apud eundem,*

Jehovah "inclinavit caelos, descendit, et caligo sub pedibus Ipsius, et equitavit super cherubo, volavit, et vectus super alis venti" (Ps. xviii. 10, 11 [*B. A. 9, 10*]).

per quod "Jehovah inclinavit caelos, descendit," significatur visitatio quae praecedit ultimum judicium; per "caliginem sub pedibus Ipsius" significatur in inferioribus falsam alii; per "equitavit super cherubo, volavit et vectus super alis venti" significatur omnipresentia cum Divino; "alae venti" sunt Divinum Verum in ultimis (ut supra). *Apud Ieremiam,*

"Factor terrae per virtutem suam, praeparans orbem per sapientiam suam, per intelligentiam suam extendit caelos; ad vocem quam dat Ille, multitudo aquarum in caelis; et ascendere facit vapores a fine terrae, fulgura imbre facit, et educit ventum e thesauris suis" (x. 12, 13; cap. li. 15, 16):

*et apud Davidem,*

"Qui ascendere facit vapores ab extremitate terrae, fulgura pluviae facit, qui educit ventum e thesauris suis" (Ps. cxxxv. 7):

per haec in sensu spirituali describitur reformatio hominis,

ac instauratio ecclesiae : ex reformatione et instaurazione illa vocatur Dominus "Factor terrae," et alibi "Formator" et "Creator;" "terra" est ecclesia : Divinum Bonum per quod reformatio, significatur per quod "praeparet orbem per sapientiam suam;" "orbis" est ecclesia, ac dicitur de bono : Divinum Verum, per quod etiam, significatur per "vocem quam dat, multitudo aquarum in caelis;" "vox quam dat" significat influxum Divini Veri, "multitudo aquarum in caelis" significat receptionem; "aqua" sunt vera : ultima vera, quae sunt cognitiones ex sensu litterarum Verbi, significantur per "vapores ex fine terrae;" spiritualia inde, significantur per "fulgura pluviae" ("fulgura" dicuntur ex luce caeli, et "pluvia" ex influxu) : reformatio inde per Divinum Verum ab Ipso, significatur per "Educat ventum e thesauris suis." Ita intelliguntur omnia haec in caelis. Apud *Davidem*,

"Qui proicit grandinem suam sicut bolos, coram frigore Ejus quis consistet? Mittit verbum suum, liquefacit ea, spirare facit ventum suum, fluunt aquae: annuntiat verbum suum Jacobo, statuta sua et judicia sua Israeli" (Ps. cxlvii. 17-19):

per haec quoque describitur reformatio, sed quoad naturalem hominem : scientifica ibi et cognitiones quae apud hominem ante reformationem, significantur per "grandinem" quae sicut boli, quis coram frigore ejus consistet?" nam homo ante reformationem est prorsus frigidus ; frigus quoque illud manifeste sentitur cum Divinum e caelo influit ; et quia dissipantur illa frigora per receptionem Divini Boni ac Divini Veri, ita per reformationem, ideo dicitur, "Mittit verbum suum, liquefacit ea; spirare facit ventum suum, fluunt aquae;" per "verbum" significatur Divinum Bonum unitum Divino Vero, per "ventum" significatur Divinum Verum, et per "fluunt aquae" significatur receptio veri ; et quia haec significantur per illa verba, ideo adjicitur, "Annuntiat verbum suum Jacobo, statuta sua et judicia Israeli;" per "Jacobum" et "Israelem" significatur ecclesia, per "Jacobum" ecclesia quae in bono, et per "Israelem" ecclesia quae in veris ; "statuta et judicia" sunt vera externa et interna quae ex bono. Apud eundem,

"Laudate Jehovam...ignis et grando, nix et vapor, ventus procellae faciens verbum Ipsius" (Ps. cxlviii. [7,] 8):

quod per "ignem et grandinem," per "nivem et vaporem,"

ac per "ventum," alia significantur quam illa, patet; quid enim foret in Verbo Divino de illis dicere quod "laudarent Jehovam"? Per "ignem" vero et "grandinem," ac per "nivem et vapores," significantur jucunda amorum naturalis hominis, et ejus scientifica et cognitiones; sunt enim illa "ignis et grando, ac nix et vapor," antequam reformatus est homo et factus spiritualis; sphaera vitae eorum, dum effluit ab illis, in mundo spirituali similia sistit; ex illis colere Dominum, significatur per quod "illa laudabunt Jehovam;" "laudare" est colere: per "ventum procellae" autem significatur Divinum Verum quoad receptionem; quare etiam dicitur "ventus procellae faciens verbum Ipsiū;" "facere verbum" est recipere vita quae doctrinae sunt.

[e.] Sicut omnia in Verbo etiam sensum oppositum habent, ita etiam "ventus," et in eo sensu significat falsum, ut in sequentibus:—Apud *Esaiam*,

"Ecce omnes iniquitas, nihil opera eorum, ventus et inanitas fusilia eorum" (xli. 29):

"ventus et inanitas" sunt falsa mali et mala falsi, "ventus" falsa mali, et "inanitas" mala falsi; nam ubi est inane et vacuum, hoc est, absque bono et vero, ibi est malum et falsum: quod per "ventum" ibi falsa significantur, patet ex eo, quod dicitur "Omnes sunt iniquitas, nihil opera eorum;" tum quod dicitur quod "fusilia sint ventus et inanitas;" per "fusilia" enim significantur quae homo ex propria intelligentia excludit, quae omnia sunt falsa et mala. Apud *Jeremiam*,

"Prophetae erunt in ventum, nec verbum in iis" (v. 13):

per "prophetas" significantur illi qui docent vera, et abstracte vera doctrinae, hic falsa doctrinae: falsa significantur per "ventum;" quare etiam dicitur "Non verbum in iis;" verbum significat Divinum Verum. Apud eundem,

"Dispergam eos sicut paleam advolantem ad ventum deserti" (xiii. 24);

"ventus deserti" significat ubi non verum, proinde falsum; "desertum" enim in Verbo significat ubi non bonum quia non verum. Apud eundem,

"Omnes pastores tuos pascet ventus, et amasii tui in captivitatem abi-  
bunt" ([<sup>11</sup>]xxii. 22):

per "pastores" in Verbo significantur qui docent bonum vitae et ducunt ad illud, quod fit per vera; hic autem per "pastores" intelliguntur qui non docent bonum vitae, minus ducunt ad illud, quia in falsis sunt; hoc intelligitur per quod "omnes pastores tuos pascet ventus;" "ventus" est falsum quod captant et amant: per "amasios qui in captivitatem abibunt" significantur jucunda amorum sui et mundi, et inde jucunda malorum; "amasii" sunt illa jucunda, et "captivitas" est detentio in infernis. Apud *Hoschcam*,

"Ephraim pascit ventum, et persequitur eorum: omni die mendacium et vastationem multiplicat, et foedus cum Assyrio pangunt, et oleum in Aegyptum defertur" (xii. 2 [*B. A.* 1]):

per "Ephraim" significatur intellectuale ecclesiae, per "Assyrium" ratiocinatio, et per "Aegyptum" scientificum; quare per "Ephraim pascit ventum et persequitur eorum" significatur quod intelligentes in ecclesia imbuant falsa quae prorsus dissipant vera; "ventus" est falsum, ac "eurus" est falsum exsiccans et dissipans vera; quia per "ventum" et "eum" illa significantur, ideo quoque dicitur "Omni die mendacium et vastationem multiplicat;" "mendacium" etiam significat falsum, ac "vastatio" dissipationem veri: "foedus cum Assyrio pangunt, et oleum in Aegyptum defertur," significat quod per ratiocinia ex scientificis false applicatis pervertant vera et bona ecclesiae; "pangere foedus cum Assyrio" significat ex falsis ratiocinari et perdere vera; "oleum in Aegyptum deferri" significat bonum ecclesiae per scientifica destruere; qui enim in principiis falsi est, is applicat illis scientifica quae hausit ex pueritia, quoniam non aliud videt intellectus ejus: intellectus enim formatur vel ex veris vel ex falsis; si ex veris videt vera, si ex falsis videt falsa; haec videt in naturali homine, in cuius memoria resident scientifica, ex quibus eligit quae favent, et illa quae non favent vel pervertit vel rejicit. Apud eundem,

"Sociatus idolis Ephraim, . . . recessit vinum eorum, scortando scortari fecerunt, dilexerunt, addiderunt ignominiam clipei ejus, ligavit ventus eam in alis ejus, et pudefient a sacrificiis suis" (iv. 17-19):

per "Ephraim" significatur ecclesia quoad intellectum veri, hic quod non verum intelligat sed falsum; falsa ecclesiae significantur per "idola;" inde patet quid significatur per "Sociatus Ephraim idolis;" per "ventum in alis" signifi-

catur ratiocinatio ex fallaciis unde falsa. (Quid reliqua significant, videatur supra, n. 283[*e*] et 376[*g*], ubi explicata sunt.)

Simile etiam per "ventum in alis" significatur apud *Sacharium* (cap. v. 9).

*Apud Jeremiam,*

"Erunt camelii eorum in praedam, et multitudo pecorum eorum in spolium, et dispergam eos in omnem ventum, abscissos anguli" (lxix. 32):

per "dispergere eos in omnem ventum" significatur in omne falsum et malum, dissipatis veris et bonis. (Reliqua videantur explicata supra, n. 417[*b*].) *Apud Ezechielum,*

"Tertiam partem disperges in ventum, et gladium evaginabo post illos" (v. 2, 12):

haec dicta sunt de capillis capitum et barbae, quos novacula ex mandato abrasit; et per "capillos" illos significatur ultimum veri in ecclesia; nam universum caelum et universa ecclesia sunt coram Domino sicut unus homo; unde omnia caeli et ecclesiae correspondent omnibus hominis, tam illis quae extra illum sunt quam quae intra illum; (de qua correspondentia videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 87-102;) quare "capilli capitum" et "barbae," quia ultima hominis sunt, correspondent ultimis veri et boni: ultima veri et boni sunt qualia sunt vera ultima sensus litterae Verbi; quod haec ultima a Judaeis perversa, falsificata et adulterata fuerint, significatur per illa quae de capillis capitum et barbae Prophetae ibi dicuntur: quod "dispergeret tertiam partem ejus in omnem ventum" significat dissipationem omnis veri; et quia dissipato vero arripiuntur mera falsa, ideo dicitur "Gladium evaginabo post illos;" "gladius" significat destructionem veri per falsum (videatur supra, n. 131[*b*]). Nisi sciretur quod talia, quae supra dictum sunt, per "capillos" significantur, quis intellecturus esset quid involveret quod mandatum esset Prophetae, quod "abraderet capillos capitum sui et barbae suae, et tertiam partem combureret in medio urbis, tertiam partem percuteret gladio circum eam, et tertiam partem dispergeret in omnem ventum, et quod gladius evaginaretur post illos"? Quod falsificatio veri a Judaeis per id significetur, patet manifeste a sequentibus in eo capite, ubi inter alia dicitur

"Hoc Hierosolyma; . . . mutavit judicia mea in impietatem prae gentibus, et statuta mea prae terris quae circum eam" (vers. 5, 6, ibi).

*Apud eundem,*

“Omnes turmas ejus dispergam in omnem ventum, et gladium evaginabo post illos” (xii. 14):

per haec similia significantur. *Apud Matthacum,*

“Descendit imber, . . . et flarunt venti, et irruerunt in domum illam; tamen non cecidit, fundata enim erat super petra” (vii. 24, 25, 27):

per “descendit imber” et “flarunt venti,” significantur tentationes, et inde quoque falsa irruentia; nam tentationes spirituales non aliud sunt quam infestations mentis a falsis et malis: quare per “ventos” etiam hic significantur falsa. (Reliqua videantur explicata supra, n. 411[c].)

[f.] <sup>[1]</sup>Quoniam, ut supra dictum est, in mundo spirituali sicut in mundo naturali existunt venti fortes et procellae; sed procellae in mundo spirituali existunt ex influxu Divini in inferiora ubi sunt qui in malis et falsis; influxus ille sicut descendit e caelis versus terras quae infra sunt, eo fit densior, et apparet sicut nubes, ac apud malos densa et opaca secundum mali quantum et quale: hae nubes sunt apparentiae falsi ex malo, oriundae ex sphaeris vitae eorum, nam circum unumquemvis spiritum et angelum est sphaera vitae. Cum Divinum fortiter emittitur a Domino ut Sole, ac in densas et opacas has nubes influit, oritur procella, quam spiritus ibi percipiunt similiter ac homines procellas in tellure; procellas aliquoties illas etiam mihi percipere datum est, et quoque ventum orientalem, per quem dissipati sunt mali, et conjecti in inferna, quando ultimum judicium peragebatur: ex his constare potest quid “procellae,” “tempestates,” ac “venti impetuosi” significant in sequentibus locis:—*Apud Esaiam,*

“Disperges eos, ut ventus auferat eos, et procella dissipet eos” (xli. 16);  
*apud Jeremiam,*

“<sup>[2]</sup>En procella Jehovae ira exivit, et turbo minans irruere, super caput impiorum irruet” (xxiii. 19; cap. xxx. 23);

*apud Davidem,*

“Festinabo erectionem meam a vento impetuoso, a procella” (Ps. lv. 9 [B. A. 8]);

*apud eundem,*

“Deus mi, . . . persecuere eos per procellam tuam, et per tempestatem tuam, terre illos” (Ps. lxxxiii. [14,] 16 [B. A. 13, 15]);

apud *Ezechielem*,

“Faciam perrumpere ventum procellarum in excandescientia mea, et pluvia inundans in ira mea fiet. . . . in consummationem” (xiii. 13);

apud *Jeremiam*,

“Malum exibit a gente ad gentem, et procella magna excitabitur a lateribus terrae” (xxv. 32);

apud *Esaiam*,

“A cum Jehovah Zebaoth visitaberis cum. . . . procella et tempestate, et flamma ignis comedentis” (xxix. 6);

apud *Amos*,

“Succendam ignem in muro Rabbae, qui comedet palatia ejus, . . . . cum procella in die tempestatis” (i. 14);

apud *Nahum*,

“Jehovae in procella et tempestate via” (i. [1]3);

apud *Sachariam*,

“Dominus Jehovah buccina clanget, et incedet in procellis meridiei” (ix. 14);

apud *Davidem*,

“Super impios. . . . ventus procellarum, portio calicis” impiorum (Ps. xi. 6);

apud eundem,

“Veniet Deus noster, et non tacebit, . . . . circum illum procella flabit vehementer” (Ps. l. 3);

apud *Hoscheam*,

“Ventum serunt, ideo procellam metent” (viii. 7):

per “procellam” et “tempestatem” in his locis significatur dispersio falsorum et malorum, ex causa quia illi qui in falsis mali sunt, dejiciuntur in infernum per ventum procellosum. Apud *Davidem*,

“Qui [1]descendunt mare navibus, facientes opus in aquis multis; . . . . et dixit et constituit ventus procellae, et in altum sustulit fluctus ejus; . . . . subsistere fecit procellam, ut silerent fluctus ejus” (Ps. cvii. [23,] 25, 29):

haec de temptationibus et de liberatione ab illis; per “ventum procellae” et inde “fluctus elevatos maris” significantur temptationes; quoniam temptationes spirituales fiunt per irruptionem falsorum in cogitationes, ex quibus conscientiae morsus, ac mentis et animi dolores; illae significantur per “Constituit ventus procellae, et in altum sustulit fluctus

ejus ;” liberatio ab illis significatur per quod “subsistere fecerit procellam ut silerent fluctus.” Simile significatur per haec apud *Marcum*,

“ Fiebat turbo venti magnus, et fluctus irruerunt in navim, ita ut illa jam impleretur : cum vero ” Jesus “ esset in puppi super cervicali dormiens ; et exergefecerunt ipsum, et dicunt ipsi, . . Annon curae Tibi est quod pereamus ? Et exercefactus increpavit ventum, et dixit mari, Sile, obtumesce ; et quievit ventus, et facta est tranquillitas magna ” (iv. [1]37-39) ;

et apud *Lucam*,

“ Cum navigarent, obdormivit ” Jesus ; “ cum invasit procella venti lacum, ita ut eo [2]implerentur, et periclitarentur ; et accedentes exercefecerunt ipsum, dicentes, Magister, Magister, perimus : et ipse exercefactus increpavit ventum et fluctum maris, qui cessarunt, et facta est malacia ” (viii. 23, 24) :

hoc miraculum Domini similiter involvit arcana caeli et interiora ecclesiae prout omnia reliqua. Miracula Divina a miraculis non Divinis differunt in eo, quod miracula Divina quoque significant Divina, quia Divinum est in illis ; at miracula non Divina nihil significant, quia intus in illis nihil Divini est ; ac praeterea in descriptione miraculorum Divinorum in Verbo, et in singulis ejus, est sensus spiritualis. Hoc miraculum involvit tentationes spirituales : “ turbo venti magnus, ut fluctus irruerent in navim, ut illa impletetur,” significat illas ; et quod cum illi in summo timore essent “ Jesus exercefactus increpaverit ventum, et dixerit mari, Sile, obmutesce, et quievit ventus et facta est tranquillitas magna,” significat liberationem ab illis. Singula etiam verba ibi sensum spiritualem continent, sed illum singillatim evolvere non hujus locis est ; modo quod “ turbo” et “ procella venti” significet temptationes, quia sunt irruptiones falsorum seu inundationes mentis a falsis ; quod etiam patet ex increpatione venti et fluctuum et a verbis Domini ad mare, “ Sile, obmutesce,” sicut dixisset ad illa, seu ad illos qui inducunt temptationes. Praeterea venti qui in mundo spirituali existunt, ex diversis plagis ibi apparent exsurgere ; quidam ex meridie quidam ex septentrione, et quidam ex oriente ; illi qui ex meridie dispergunt vera apud illos qui in falsis sunt, et qui ex oriente dispergunt bona apud illos qui in malis sunt : quod venti dispergant illa, est quia existunt ex potenti et forti influxu Divini per caelos in inferiora, ac ubi influit, implet vera et bona, hoc est,

illorum mentes et animos qui in veris et bonis sunt, Divino; quare illi, apud quos interiora quae mentis et animi sunt mere falsa et mala sunt, et exterius vera mixta falsis et bona mixta malis, non sustinent influxum talem a Divino; unde recipiunt se in sua falsa et mala quae amant, et rejiciunt vera et bona, quae non amant nisi propter se et propter apparentiam. Ex his patet, qualem effectum edit ventus ab oriente veniens, qui ventus orientalis vocatur, quod nempe apud malos dispergat omnia bona et vera, quae in forma externa stiterunt coram mundo, et quae locuti sunt ut apparerent; inde est quod isti vento adscribatur arefactio et exsiccatio; "arefactum" significat ubi non bonum, et "exsiccatum" ubi non verum, ut constare potest a locis in Verbo ubi ille ventus memoratur:—Ut apud *Ezechielem*,

Ecce vitis plantata, "nonne cum attigerit eam ventus orientalis, exarescit exarescendo?" (xvii. 10);

apud eundem,

Vitis "evulsa est in ira mea, in terram projecta est, et ventus orientalis arefecit fructum ejus; divulsae sunt, exaruerunt virgae roboris ejus" (xix. 12);

apud *Hoscheam*,

Ephraim "inter fratres ferox, veniet eurus, ventus Jehovae e deserto ascendens, et exarescit scaturigo ejus, et exsiccabitur fons ejus; ille depraedabitur thesaurum omnis vasis desiderii" (xiii. 15);

apud *Jonam*,

"Factum est cum oriretur sol, praeparavit Deus ventum orientalem exsiccantem" (iv. 8).

Quod ventus orientalis etiam destruat omnia ubi mali sunt, terras eorum, habitationes eorum, thesauros eorum, videatur in opusculo *De Ultimo Iudicio* (n. 61): causa quod destruat, est quia terrae, habitationes et thesauri in mundo spirituali correspondentiae sunt; quapropter pereuntibus illis pereunt quoque ea quae correspondent: inde est quod cum destruxta ibi est terra, ubi mali habitaverunt, facies novae terrae pro bonis exsurgat. Quia talis vis inest vento orientali in mundo spirituali, ideo propter correspondentiam adductus est ventus orientalis

Quo exsiccaretur Mare Suph (*Exod. xiv. 21*);  
 Et qui produceret locustam (*Exod. x. 13*);  
 Et vocatur ventus durus (*Esai. xxvii. 8*);  
 Et confringens naves Tharschisch (*Psalm. xlvi. 8*);

Frangens in corde marium (*Ezech.* xxvii. 26);  
Et dispergens hostes (*Jerem.* xviii. 17).

**420.** “*Super terram, neque super mare, neque super omnem arborem.*”—Quod significet *ubivis in mundo spirituali usque ad ultima ejus apud quos aliqua perceptio*, constat ex significatione “terrae,” quod sit universus mundus spiritualis, proinde omnes angeli et spiritus qui ibi sunt; quod “terra” illum in communi et proximo sensu significet, est quia in mundo spirituali aequae sunt terrae, montes, colles, planities, valles, et quoque maria, ut in nostra tellure (de qua re videatur supra, n. 304<sup>[a]</sup>, 342<sup>[b]</sup>, 413<sup>[b]</sup>); ex significatione “maris,” quod sint ultima terrae in mundo spirituali, ex causa quia ultimi termini seu fines ibi sunt maria (de qua re videatur supra, n. 342<sup>[b,c]</sup>); et ex significatione “arboris,” quod sit perceptio et quoque cognitio (de qua sequitur). Quoniam illa per “terram,” “mare” et “arborem” significantur, inde tria illa in unum sensum conjuncta significant omnia in mundo spirituali usque ad ultima ejus apud quos aliqua perceptio. Quod “arbor” in communi significet perceptionem et cognitionem, est ex eo, quod “hortus” significet intelligentiam, et omnis intelligentia est secundum cognitiones et earum perceptionem; inde est quod unaquaevi species arborum significet aliquid scientiae et intelligentiae. Quia “arbor” in communi significat perceptionem et cognitionem, ideo quoque significat interiora quae mentis sunt apud hominem, et quoque totum hominem; nam homo talis est qualia sunt interiora quae mentis ejus, et haec sunt qualis est perceptio ex cognitionibus. (Quod “arbor” significet interiora quae mentis sunt, et quoque hominem, videatur supra, n. 109, 110; quod “arbor” significet perceptionem et cognitionem, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 103, 2163, 2682, 2722, 2972, 7672; quod antiqui Divinum cultum habuerint in lucis sub arboribus secundum illarum significationes, n. 2722, 4552; quod id apud gentem Judaicam prohibitum fuerit, causa, n. 2722; quod “paradisi” et “horti” significant intelligentiam, n. 100, 108, 3220; et in opere *De Caelo et Inferno*, n. 176; ac supra, n. 1<sup>[b]</sup> 110.)

## VERSUS 2, 3.

**421.** “*Et vidi aliud angelum ascendentem ab ortu solis, habentem sigillum Dei vivi; et clamavit voce magna quatuor angelis, quibus datum eis damno afficere terram et mare: dicens, Ne damno afficiatis terram, neque mare, neque arbores, usque dum signaverimus servos Dei nostri super frontibus eorum.*”

2. “*Et vidi aliud angelum ascendentem ab ortu solis,*” significat *Divinum amorem exeuntem a Domino* [n. 422]; “*habentem sigillum Dei vivi,*” significat *Divinam voluntatem* [n. 423]; “*et clamavit voce magna,*” significat *Divinum mandatum* [n. 424]; “*quatuor angelis, quibus datum*

*eis damno afficere terram et mare," significat inhibitionem adhuc ne influxus intensus fieret [n. 425].*

3. "Dicens, Ne damno afficiatis terram, neque mare, neque arbores," significat ne pereant boni cum malis ubique sunt [n. 426]; "usque dum signaverimus servos Dei nostri super frontibus eorum," significat quod prius separandi sint qui in veris ex bono sunt [n. 427].

**422[a].** [Vers. 2.] "*Et vidi alium angelum ascendentem ab ortu solis.*"—Quod significet Divinum Amorem exeuntem a Domino, constat ex significatione "angeli," quod sit aliquod Divinum procedens a Domino; per "angelum" enim in Verbo in sensu proximo intelligitur integra societas angelica, in sensu communi autem per "angelum" significatur omnis qui recipit Divinum Verum doctrina et vita; at in supremo sensu per "angelum" significatur aliquod Divinum quod procedit a Domino, in specie Divinum Verum (de quibus significationibus "angeli" videatur supra, n. 90, 130, 200, 302, 307); hic itaque per "angelum ascendentem ab ortu solis" significatur Divinum procedens ex Amore Domini: "ortus solis" seu "oriens" significat Divinum Amorem Domini; et "ascendere inde" significat exire et procedere; inde nunc per "angelum ascendentem ab ortu solis" significatur Divinus Amor exiens ex Domino: illa quae sequuntur etiam sunt Divini Amoris, ne scilicet laedantur boni. Quod "ortus solis" significet Divinum Amorem Domini, est quia Dominus in caelo angelico est Sol, et Dominus ut Sol appareat ex Divino suo Amore; ubi Dominus ut Sol appareat, ibi in caelo est oriens; et quia constanter ibi est, etiam constanter est in ortu. Sunt in mundo spirituali quatuor plagae, nempe oriens, occidens, meridies et septentrio; omnes illae plagae determinantur a Sole qui est Dominus; et ubi Sol ibi est oriens, ex opposito inde est occidens, ad dextrum est meridies, et ad sinistrum est septentrio. In plaga orientis habitant angeli qui in amore in Dominum sunt, ex causa quia sub proximo auspicio Domini sunt, influit enim in illos Dominus proxime et directe ex Divino Amore; inde est quod per "ortum solis" et per "orientem" in Verbo significetur Divinus Amor Domini. (Quod Dominus in caelo angelico appareat ut Sol, et quod sit Divinus Domini Amor qui ita appareat, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 116-125: quod "sol" in Verbo inde significet Divinum Amorem, supra, n. 401: quod omnes plagae in mundo spirituali determinentur ab oriente, ubi est Dominus ut Sol, in opere *De Caelo et Inferno*, n. 141: quod in orientali plaga inde habitent qui in bono amoris in Dominum sunt, n. 148, 149, ibi.) Saepius in Verbo nominantur plagae, nempe oriens, occi-

dens, meridies et septentrio ; et qui non scit aliquid de sensu spirituali Verbi, is credit quod per illas intelligantur plagae in mundo nostro solari, et inde autumat quod nihil arcani caeli et ecclesiae involvant ; cum tamen per plagas in Verbo nominatas intelliguntur plagae in mundo spirituali, quae prorsus differunt a plagiis in nostro mundo. Omnes enim angeli et spiritus habitant ibi in plagiis secundum quale sui boni et veri ; qui in bono amoris in Dominum sunt, habitant in oriente et occidente ibi ; et qui in veris ex illo bono sunt, habitant in meridie et septentrione : causa quod ita habitent, est quia Dominus ibi est Sol, et ab Ipso ut Sole ibi est omnis calor et lux, seu omne bonum et verum. Calor ibi, qui est calor spiritualis seu bonum amoris, directe influit ab oriente in occidentem ; et secundum receptionem ab angelis decrescit, proinde secundum distantias ; nam omnis distantia a Domino in mundo spirituali est secundum receptionem boni et veri ab Ipso : haec est causa quod in oriente ibi habitent qui in bono amoris interiori et inde claro sunt, et in occidente qui in bono amoris exteriori et inde obscuro sunt. At lux, quae est lux spiritualis seu Divinum Verum, etiam directe influit ab oriente in occidentem, et quoque influit in latera utrinque ; sed cum differentia quod Divinum Verum quod influit ab oriente in occidentem in sua essentia sit bonum amoris, at quod in latera utrinque influit in sua essentia sit verum ex illo bono : inde illi qui habitant in meridie et in septentrione, quae plagae utrinque a latere sunt, in luce veri sint ; qui in meridie in luce veri clara, et qui in septentrione in luce veri obscura ; lux veri est intelligentia et sapientia. (Sed de his Plagiis videantur plura in opere *De Caelo et Inferno*, n. 141-153.) Hae itaque plagae intelliguntur in Verbo ubi nominantur ; quare etiam significant Divina qualia sunt in illis plagiis, nempe "oriens" bonum amoris in claro, "occidens" bonum amoris in obscuro, "meridies" verum ex illo bono in claro, et "septentrio" verum ex illo bono in obscuro. Praeterea sunt plagae in mundo spirituali quae a plagiis nunc memoratis differunt, et inde distant circiter triginta gradibus, quae sunt sub auspicio Domini ut Luna ; nam Dominus apparet ut Sol illis qui in amore in Ipsum sunt, ast ut Luna illis qui in charitate erga proximum et inde fide sunt ; (de qua apparentia videatur etiam in opere *De Caelo et Inferno*, n. 118, 119, 122;) in plaga

orientali et occidentali ibi habitant qui in bono charitatis erga proximum sunt, ac in meridionali et septentrionali plaga ibi qui in veris ex illo bono sunt, quae vera fidei vocantur: hae plagae etiam aliquoties intelliguntur in Verbo, ubi agitur de illis veris et de illo bono.

[b.] Ex his constare potest quod qui non scit aliquid de plagiis caeli, de quibus nunc dictum est, non scire possit spiritualia Verbi, ubi illae plagae nominantur; ut in sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

“Ab oriente adducam semen tuum, et ab occidente colligam te; dicam septentrioni, Da; et meridiei, Ne inhibe; adduc filios meos e longinquo, et filias meas ab extremitate terrae” (xliii. 5, 6):

agitur ibi de Jacobo et Israele; qui non scit quod per illas plagas intelligentur spiritualia, quae supra dicta sunt, credere potest quod intelligatur quod filii Israelis et Jacobi colligenda sint ab undequaque; sed per “Jacobum” et “Israelem” intelligitur ecclesia, quae ab illis qui in bono amoris et in veris ex illo bono sunt; et per “semen” illorum intelliguntur omnes qui ab illa ecclesia: quod adducendi et colligendi sint qui in bono amoris sunt, intelligitur per “Ab oriente adducam semen tuum, et ab occidente colligam te;” et quod illi qui in veris ex illo bono sunt, intelligitur per “Dicam septentrioni, Da; et meridiei, Ne inhibe;” quod omnes qui in veris et bonis illis sunt, usque ad illos qui in ultimis, adducentur, significatur per “Adduc filios meos e longinquo, et filias meas ab extremitate terrae;” “filii” sunt qui in veris, ac “filiae” qui in bonis, “e longinquo” et “ab extremitate terrae” significat qui in ultimis veris et bonis ecclesiae. Similia per illas plagas significantur in sequentibus his locis:—Apud *Davidem*,

Jehovah redemptos e terris congregabit “ab ortu et ab occasu, a septentrione et a mari” (Ps. cvii. 3);

apud *Mosen*,

Dixit Jehovah ad Jacobum in somnio, “Erit semen tuum sicut pulvis terrae, et expandet se versus occidentem et versus orientem, versus septentrionem et versus meridiem” (Gen. xxviii. 14);

apud *Lucam*,

“Venient ab ortibus et occasibus, et a septentrione et meridie, accumbentes in regno Dei” (xiii. 29).

Plurimis in locis dicitur solum “ab oriente ad occidentem,”

et non simul “a meridie et septentrione;” et per illos intelliguntur omnes qui in bono amoris in Dominum sunt et in bono charitatis erga proximum: illae plagae involvunt etiam binas reliquas, ex causa quia omnes qui in bono sunt etiam in veris sunt, bonum enim et verum ubique unum agunt: hi itaque intelliguntur ubi nominatur “ab oriente ad occidentem:”—Apud *Matthaeum*,

“Multi ab oriente usque [et] ab occidente venient, et accumbent cum Abrahamo, et Isaco et Jacobo in regno caelorum” (viii. 11):

apud *Lucam* (in loco supra citato, cap. xiii. 29), dicitur de accumbentibus in regno caelorum, quod “venturi ab ortibus et occasibus, a septentrione et meridie,” hic modo “ab oriente et ab occidente,” ex causa quia per binas illas plagas intelliguntur simul binae reliquae, ut dictum est. Similiter in sequentibus:—Apud *Malachiam*,

“Ab ortu solis ad occasum magnum nomen meum inter gentes” (i. 11);

apud *Davidem*,

“Ab ortu solis ad occasum <sup>[1]</sup>laudatum nomen Jehovahe” (Ps. cxiii. 3);

apud *Esaiam*,

“Timebunt ab occasu solis nomen Jehovahe, et ab ortu solis gloriam Ipsius” (lix. 19);

apud eundem,

“Ut cognoscant ab ortu solis et ab occasu, quod non praeter Me” (xlv. 6);

apud *Davidem*,

“Deus Deus Jehovah loquitur, et convocabit terram ab ortu solis ad occasum ejus” (Ps. l. 1);

apud *Sachariam*,

“Ecce Ego liberans populum meum e terra orientis et e terra occidentis” (viii. 7):

in illis locis “ab ortu et ab occasu” significat omnes qui in bonis et veris caeli et ecclesiae sunt. Similia significantur per plagas

Secundum quas mensuratum est templum (*Ezech.* xlvi.);

Et secundum quas in hereditatem daretur terra (*Ezech.* xlvi. 13, seq.);

Ac distribueretur inter tribus Israelis (*Ezech.* xlvi.);

Tum secundum quas filii Israelis metarentur castra (*Num.* ii.);

Ac secundum quas proficerentur (*Num.* x.);

Et secundum quas portae novae urbis essent (*Ezech.* xl.; et *Apoc.* xxi. 13).

(Praeter similia alibi.)

Quod Templum secundum plagas (apud *Ezechielem*) mensuratum sit, et quod terra secundum plagas inter tribus distributa (apud eundem, et quoque apud *Josuam*), tum quod filii Israelis secundum plagas castrametati sint et quoque eodem ordine profecti, erat quia omnia secundum plagas in mundo spirituali ordinata sunt, non solum in communi, sed etiam in particulari; in communi habitant omnes angeli et spiritus secundum status boni et veri apud illos in plagi correspondentibus, ut supra dictum est; in particulari simile fit, in omnibus enim conventibus sortiuntur illi, qui ibi sunt, loca in plagiis quae correspondent statibus vitae eorum: in templis ibi similiter sedent, etiam in domibus similiter habitant; verbo omnia et singula ibi ordinata sunt secundum plagas caeli, forma enim caeli est in omni particulari qualis est in communi. Ex his constare potest quid significatur per ordinationes secundum plagas in Verbo, et quoque per plagas secundum quas aedificatum est Tabernaculum, et quoque secundum quas aedificatum est Templum a Salomone; praeter alia.

[c.] Haec de plagiis in genere. Quod "oriens" significet Dominum quoad Divinum Amorem, et inde apud illos qui recipiunt bonum amoris in Dominum, constare potest a sequentibus locis:—Apud *Ezechielem*,

"Deduxit me ad portam" Templi "quae spectans versus orientem; cum ecce gloria Dei Israelis venit a via orientis, et vox Ipsius sicut vox aquarum multarum, et terra illustrata a gloria Ipsius. .... Gloria Jehovahe intravit in Domum via portae cuius facies versus orientem: tunc sustulit me spiritus, et introduxit me in atrium interius, cum ecce implevit gloria Jehovahe Domum" (xlivi. 1, 2, 4, 5):

agitur ibi de constructione novi templi, per quod significatur nova ecclesia a Domino instauranda; et quia introductio fit per bonum amoris in Dominum et per verum ex illo bono, ideo visa est "porta quae spectabat orientem, et Deus Israelis veniens a via orientis;" per "portam" significatur introductio et aditus, per "Deum Israelis" intelligitur Dominus, per "orientem" bonum amoris ab Ipso in Ipsum, et per "gloriam" verum ex illo bono; intrat enim Dominus in caelum et inde in ecclesiam ex Divino suo Amore, qui in caelis apparet ut Sol (ut supra dictum est); inde est omne Divinum Bonum ac Divinum Verum ibi: simile significatur per quod visa "gloria Jehovahe intrare in Domum via portae cuius facies versus orientem,"

et per quod "gloria Jehovae impleverit Domum;" per "Domum" seu Templum significatur caelum et ecclesia; per "gloriam" in Verbo significatur Divinum Verum procedens a Domino, per "gloriam Dei Israelis" Divinum Verum illustrans illos qui in regno spirituali Domini sunt, et per "gloriam Jehovae" Divinum Verum illustrans illos qui in regno caelesti Domini sunt. Quod Divinum Verum dicitur "gloria," est quia illud est lux caeli, et ex luce illa est omnis splendor, magnificentia et gloria ibi; quicquid enim coram oculis apparet in caelis, est ex illa luce: inde etiam dicitur quod "terra illustrata sit a gloria Ipsius;" per "terram" intelligitur ecclesia. Influxus ejus versus inferiora undequaque significatur per quod "vox Ipsius sicut vox aquarum multarum;" "vox" significat influxum, et "aqua" significant vera. Apud eundem,

"Postea reduxit me via portae sanctuarii exterioris spectantis orientem,  
quae vero clausa; . . . sed Jehovah Deus Israelis intrabit per illam"  
(xliv. 1, 2):

apud eundem,

"Porta atrii interioris spectans orientem erit clausa sex diebus operis,  
sed in die Sabbathi aperietur" (xlvi. 1):

per "portam spectantem orientem" etiam hic significatur introductio in caelum et in ecclesiam a Domino per bonum amoris procedens ab Ipso; hoc itaque intelligitur per "orientem:" et quod illud a Domino, significatur per quod "Jehovah Deus Israelis intrabit per illam portam:" quod introductio fiat per cultum Ipsius ex illo bono, significatur per quod "in die Sabbathi aperietur;" et quod quando non cultus ex illo bono non fiat introductio, significatur per quod "porta illa sex diebus operis clausa esset." Apud eundem,

"Sustulerunt cherubi alas suas, . . . et stetit ad ostium portae [Domus] Jehovah ad orientem, et gloria Dei Israelis super illis sursum" (x. 19):

per "cherubos" significatur Dominus quoad Divinam prouidentiam et quoad tutelam ne adeatur nisi quam per bonum amoris (videatur supra, n. 152 fin., 277); et quia Dominus per "cherubos" significatur, et a Domino ut Sole, ubi est oriens, procedit omne bonum amoris, et omne verum ex illo bono, ideo "visi sunt cherubi stetisse ad ostium portae Domus Jehovah ad orientem, et visa est gloria Dei

Israelis super illis sursum ;” per “Domum Jehovahe,” per “orientem,” et per “gloriam Dei Israelis,” hic similia significantur quae supra. Apud *Esaiam*,

“Quis excitavit ab oriente, quem in justitia vocavit ad sequelam sui, dedit coram Ipso gentes, et regibus dominare fecit?” (xli. 2 :)

haec de Domino, qui dicitur “excitatus ab oriente,” quia conceptus ex Ipso Divino, quod in sua essentia est Divinus Amor, ex quo etiam Dominus est Sol caeli angelici; “vocare in justitiam,” significat ad restituendum caelum et ecclesiam; “justitia” enim Domini in Verbo significat quod ex propria potentia salvaverit genus humanum, quod factum est per quod redegerit omnia in caelis et infernis in ordinem (videatur supra, n. 293). (Quid cetera significant, supra, n. 357[*b*], explicatum est.) In *Libro Secundo Samuelis*,

“Spiritus Jehovah locutus est in me, . . . . dixit Deus Israelis, mihi locuta est Petra Israelis; . . . . sicut lux mane oritur sol, mane sine nubibus, a splendore post pluviam gramen e terra” (xxiii. 2-4):

“Deus Israelis” et “Petra Israelis” est Dominus, qui quia est Sol caeli angelici, et ex Ipso ut Sole procedit et influit omne Divinum Verum quod illustrat angelos et homines, et dat intelligentiam et reformat, dicitur, “Sicut lux mane cum oritur sol, mane sine nubibus, a splendore post pluviam gramen e terra;” “lux mane cum oritur sol,” significat Divinum Verum a Domino ut Sole; “mane sine nubibus” significat id purum; “pluvia” significat ejus influxum, et “gramen e terra” significat inde intelligentiam et reformationem; hae enim significantur per “gramen,” quia gramen e terra nascitur ex sole mundi post pluviam, at intelligentia ex Domino ut Sole per influxum Divini Veri. Apud *Esaiam*,

“Super Te exorietur Jehovah, et gloria Ipsius super Te videbitur; et ambulabunt gentes ad lucem tuam, et reges ad splendorem ortus tui” (lx. 2, 3):

haec de Domino; Divinum in Ipso intelligitur per “Super Te exorietur Jehovah, et gloria Ipsius super Te videbitur,” Divinum Bonum Divini Amoris intelligitur per “Super Te exorietur Jehovah,” ac Divinum Verum ex illo Bono intelligitur per “Gloria Ipsius super Te videbitur:” “gentes” significant illos qui in bono sunt, ac “reges” illos qui in veris ex bono; de illis dicitur quod “ambulabunt ad lucem

tuam," per quod significatur vita secundum Divinum Verum, et de his quod "ambulabunt ad splendorem ortus tui," per quod significatur vita intelligentiae ex Divino Bono; "ambulare" significat vivere, "lux" Divinum Verum, ac "splendor ortus" Divinum Verum ex Divino Bono unde intelligentia. Apud *Ezechielem*,

"Sustulerunt cherubi alas suas, . . . et gloria Dei Israelis super iis sursum; et ascendit gloria Jehovae super medio urbis, et stetit super monte ab oriente urbis" (*xii. 22, 23*):

per "cherubos" significatur Dominus quoad Divinam providentiam et tutelam, et per "gloriam Dei Israelis" significatur Divinum Verum procedens a Domino (*ut supra*): et quia Divinum Verum, quod est lux, procedit a Domino ut Sole in caelo angelico, ideo visum est quod "ascenderit gloria Jehovae desuper medio urbis, et steterit super monte ab oriente urbis;" per "urbem" intelligitur Hierosolyma, per quam significatur ecclesia quoad doctrinam; et quia doctrina ecclesiae est ex Divino Vero, ideo visum est quod "gloria Jehovae ascenderit super medio urbis;" et quia omne Divinum Verum procedit a Domino ut Sole, ubi est oriens, ideo visum est quod "steterit super monte ab oriente urbis;" mons ab oriente urbis erat Mons Olivarum; quod "Mons Olivarum" significet Divinum Amorem Domini, et quod ideo Dominus ex solito super illo commemoratus sit, videatur supra (*n. 405[d]*); et quod Mons Olivarum fuerit ante facies Hierosolymae ab oriente, videatur *Sachar.*, cap. xiv. 4. Apud eundem,

"Reduxit me ad ostium Domus, ubi ecce aquae exeuntes de sub limine Domus versus orientem, <sup>[1]</sup>quia facies Domus oriens, et aquae descendentes desubter a latere Domus dextro, a meridie altaris. Eduxit me via portae versus septentrionem, et circumduxit me via externa ad portam externam via spectante orientem, ubi ecce aquae emanantes ex latere dextro. . . . Dixit ad me, Aquae hae exeuntes ad terminum orientalem, et descendunt in planitiem, ac veniunt versus mare, in mare emissae ut sanentur aquae; unde fit, omnis anima vivens, quae reptat, quoconque veniunt fluvii, vivit; unde fit piscis multus valde: . . . juxta fluvium ascendit super ripa ejus hinc et <sup>[2]</sup>illinc omnis arbor cibi, cuius non decidit folium, neque consumitur fructus ejus" (*xlvii. 1, 2, 8, 9, 12*):

describitur hic nova ecclesia in caelis et in terris a Domino instauranda, quando omne Divinum ex Divino Humano Ipsius procedet; nam ante adventum Domini Divinum processit ex Divino Ipsius quod Patrem vocat, sed hoc non

pertigit ad ultima postquam ecclesia vastata fuit. Per "Domum" ibi significatur ecclesia, per "portam ejus" aditus et introduc<sup>tio</sup>; per "orientem" Dominus ubi Divinus Ipsius Amor apparet ut Sol; et per "aqua*s* inde exeuntes" significatur Divinum Verum exinde procedens; per "planitiem et mare" significantur ultima ecclesiae, seu ubi illi qui in ultimis veris et bonis sunt, quia naturales et sensuales ac parum spirituales, ad quos prius non pertigit Divinum; quod "sanatae sint aquae maris per influxum fluvii ab oriente," significat vitam a Divino etiam illis post adventum Domini; "piscis multus valde" significat copiam cognitionum et scientificorum quae etiam vitam spiritualem apud illos adipiscuntur; fructificatio boni et multiplicatio veri significatur per quod "super ripa fluvii ascendet omnis arbor cibi, cuius non decidit folium, et non consumitur fructus:" ex his constare potest quid singula in serie ibi significant, et quod "oriens," a quo omnia illa, significet Dominum ac Divinum Ipsius Amorem. Simile significatur apud *Sachariam*,

"Fiet in die illo exibunt aquae vivae ex Hierosolyma, pars earum ad mare orientale" (xiv. 8):

agitur etiam ibi de Domino: "in die illo" significat adventum Ipsius; ac "mare orientale" significat ultimum finem versus orientem in mundo spirituali, ubi non receptio Divini Veri ante adventum Domini, ac dein receptio cum illud processit ex Divino Humano Ipsius: quod ultima in mundo spirituali sint sicut maria, videatur supra (n. 342[*b,c*]); et quod ibi siccitates et vastitates, apud *Zoëlem* (cap. ii. 20).

[d.] Quoniam Dominus in caelo ubi angeli apparet ut Sol, ac ibi est Oriens,

Ideo Aharon de sanguine juvenci, cum expiaret pro se et domo sua, spargebat ad facies propitiatorii versus orientem (*Levit.* xvi. 14, 15); Et ideo Moses et Aharon, et filii ejus castra metabantur ante Tentorium conventus versus orientem (*Num.* iii. 38); Et quoque tribus Iudea*s* (*Num.* ii. 3):

per Mosen, Aharonem, ac filios, et per tribum Iudea*s* repraesentabatur Dominus quoad Divinum Bonum ac Divinum Verum procedens ex Divino Amore; inde illorum castra erant versus orientem. Ideo etiam antiqui in adorationibus verterunt facies suas ad orientem solis: ac ideo sua tempa aedificarunt ut anterius, ubi adytum, specta-

rent orientem; quod etiam hodie fit ex usu vetusto. Universum etiam caelum angelicum vertitur ad Dominum ut Solem, ita jugiter ad orientem: omnia etiam interiora angelorum in caelis illuc versa sunt; inde est quod angeli caeli vertant facies suas ad Dominum (de qua conversione videantur plura memorata digna in opere *De Caelo et Inferno*, n. 17, 123, 142—144, 272). Quia Dominus est Oriens, ideo dicitur apud *Matthacum*,

“Sicut fulgor exit ab oriente et apparet usque ad occidentem, ita erit adventus Filii hominis” (xxiv. 27).

Quoniam per “orientem solis,” ubi de hominibus, significatur bonum amoris procedens a Domino ut Sole, receptum ab illis, ideo dicitur in *Libro Iudicium*,

“Pereant omnes inimici tui, Jehovah; sed amantes Ipsum sicut oriri solis in robore suo” (v. 31):

haec in cantico propheticō Deboraē et Baraki; et de aman-tibus Jehovam, qui sunt qui in bono amoris in Dominum sunt, dicitur “sicut oriri solis in robore suo.” Apud *Mosen*,

Josepho erit “de primitiis montium orientis, et de pretiosis collibus saeculi” (*Deut. xxxiii. 15*):

per “Josephum” in sensu repraesentativo significatur regnum spirituale Domini; quare de illo dicitur quod erit ei “de primitiis montium orientis, et de pretiosis collibus saeculi;” et per “primitias montium orientis” significantur genuina bona amoris in Dominum, et inde charitatis erga proximum; “montes orientis” sunt bona amoris in Dominum, “primitiae” sunt genuina et primaria; et “colles saeculi” sunt bona charitatis erga proximum; haec cum genuina sunt, dicuntur “pretiosa.” (Reliqua in Josephi benedictione videantur explicata supra, n. 405[f].) Antiquis temporibus in pluribus regnis Asiae fuit ecclesia, ut in terra Canaane, in Syria et Assyria, in Arabia, Aethiopia, Aegypto, Chaldaea, in Tyro et Sidone, ac alibi; sed ecclesia apud illos erat ecclesia repraesentativa, repraesentabantur enim in singulis cultus et in singulis statutis eorum spiritualia et caelestia, quae sunt interna ecclesiae, ac in supremo sensu Ipse Dominus. Haec repraesentativa cultus et statutorum permanerunt apud plures usque ad adventum Domini, et inde cognitio de adventu Ipsius; ut constare potest ex propheticis Bileami, qui fuit ex Syria, qui de Domino praedixit, his verbis,

"Video [Eum] etsi non jam, conspicio Eum etsi non propinquus; orietur Stella ex Jacobo, et surget Scepturn ex Israele" (*Vum.* xxiv. 17);

quod dein, patuit ex eo, quod sapientes quidam ex orientibus, quando natus est Dominus, viderint stellam ab oriente, quam secuti; de qua ita apud *Matthaeum*,

"In diebus Herodis regis sapientes ab orientibus advenerunt Hierosolymam, dicentes, Ubi est natus Rex Iudeorum? Vidimus Ipsius stellam in oriente, et venimus adorare Ipsum:...et ecce stella, quam viderunt in oriente, praevit illis usque dum veniens stetit supra ubi erat Puer" (ii. 1, 2, <sup>11</sup>9).

Quoniam Dominus est Oriens, ideo visa est stella illis ex oriente; et quia in cognitione erant de adventu Domini ex repraesentativis quae apud illos, ideo stella visa est et praevit, primum ad Hierosolymam, per quam ipsa ecclesia quoad doctrinam et quoad Verbum repraesentabatur, et inde ad locum ubi Dominus infans erat: etiam "stella" significat cognitiones boni et veri, ac in supremo sensu cognitionem de Domino; (quod "stellae" in Verbo significant cognitiones boni et veri, videatur supra, n. 72, 179, 402;) et quia orientales in illis cognitionibus erant, ideo etiam dicti sunt "filii orientis." Quod ita dicti qui ex Arabia, constat apud *Jeremiam* (cap. xlix. 28); per "filios orientis" in Verbo etiam significantur cognitiones boni et veri; similiter per "Kedarem" seu "Arabiām." Quod Hiob fuerit ex filiis orientis, patet apud illum (cap. i. 3). Sicut pleraque in Verbo etiam sensum oppositum habent, ita quoque "oriens;" et in eo sensu significat amorem sui, ex causa quia hic amor est oppositus amori in Dominum: in hoc sensu

Nominatur "oriens" apud *Ezechielem* (cap. viii. 16), et apud *Esaiam* (cap. ii. 6).

Quod "oriens" significet Dominum quoad Divinum Amorem, et inde bonum amoris in Ipsum, amplius adhuc constare potest ex illis quae de Sole et de Mane supra ostensa sunt (de Sole, n. 401; et de Mane, n. 176); nam ubi Sol est in caelo angelico, ibi est oriens; et quia mane est ubi sol oritur, et ibi Sol est semper in ortu et nusquam in occasu, inde "mane" quoque simile significat.

**423. "Habentem sigillum Dei vivi."**—Quod significet Divinam voluntatem, constat ex significatione "habere sigillum" alicujus, quod sit in mandato habere, nam mandatum sigillo confirmatur: inde "habere sigillum Dei vivi," est

habere Divinum mandatum. Quod Divinum mandatum hic sit Divina voluntas, est quia per "angelum ascendentem ab ortu solis," qui habebat sigillum, significatur Divinus Amor exiens a Domino; et quicquid ex Divino Amore exit, hoc est Divina voluntas. Sunt etiam mandata Divina quae non ex Divina voluntate, sed ex venia et permissione, quorum plura data sunt filiis Israelis; sicut quod liceret eis plures uxores ducere, ac libellos repudii dare, praeter similia alia: illa mandata erant ex permissione, data propter duritatem cordis illorum

(Ut constat ex Domini verbis apud *Matthaeum*, cap. xix. 8; et *Marcum*, cap. x. 4, 5);

sed mandata quae immediate ex Divino Amore sunt, illa omnia sunt Divinae voluntatis: quare etiam dicitur "sigillum Dei vivi," Dominus enim "Deus vivus" vocatur ex Divino Amore, nam amor est ipsa vita hominis, et Divinus Amor est ex quo omnium vita.

**424.** "*Et clamavit voce magna.*"—Quod significet *Divinum mandatum*, constat ex significatione "vocis magnae," cum a Domino, quod sit Divinum mandatum; ipsum mandatum, quod protulit, etiam sequitur, Ne scilicet quatuor angeli "damno afficerent terram, neque mare, neque arbores, usque dum signati essent servi Dei super frontibus eorum." Quod dicatur "vox magna," et quod "clamaverit," est quia "magnum" in Verbo praedicatur de bono amoris, et quoque "clamor;" (quod "magnum" praedicetur de bono amoris, ac "multum" de veris ex bono, videatur supra, n. 336<sup>[a]</sup>, 337; et quod "clamor" de affectionibus quae sunt amoris, supra, n. 393;) hic itaque quia mandatum hoc erat ex Divino Amore et ex Divina voluntate, dicitur "Clamavit voce magna."

**425.** "*Quatuor angelis, quibus datum eis damno afficere terram et mare.*"—Quod significet inhibitionem adhuc ne influxus intensus fieret, constat ex praecedentibus, ubi actum est de separatione bonorum a malis per influxum remissum seu lenem; (de quo influxu videatur supra, n. 413<sup>[a]</sup>, 418<sup>[a]</sup>, 419<sup>[a,c,d]</sup>;) quod nempe per influxum remissum et lenem separentur boni a malis, ac per influxum intensem et fortem dejiciantur mali; et quia in nunc sequentibus agitur primum de separatione bonorum a malis, quae separatio fit per influxum remissum, ideo per illa verba significatur inhibitio ne adhuc influxus intensus fiat; nam

per "quatuor angelos super quatuor angulis terrae retinentes quatuor ventos terrae" significatur Divinum a Domino procedens et ejus influxus in universum mundum spiritualem (*videatur supra*, n. 417[a]. 418[a]); ac per "terram" et "mare" significatur ubivis usque ad ultima ejus (n. 420).

**426.** [*Vers. 3.*] "*Dicens, Ne damno afficiatis terram, neque mare, neque arbores.*"—Quod significet *ne pereant boni cum malis ubicunque sunt*, constat ex significatione "[ne] damno afficiantur" quod sit *ne pereant* (*de qua sequitur*); et ex significatione "terrae, maris et arborum," quod sit *ubicunque sunt*. In mundo spirituali usque ad ultima ejus, apud quos aliqua perceptio (*de qua supra*, n. 420), proinde boni cum malis *ubicunque sunt*. Quod hic sensus in illis verbis sit, constat ex serie rerum in sensu spirituali; agitur enim in nunc sequentibus de separatione bonorum a malis, quae separatio significatur per "signationem servorum Dei super frontibus," perque "duodecim millia ex unaquavis tribu," et per illos "qui induiti stolis albis" apparuerunt, de quibus omnibus agitur in hoc capite. Per hos et per illos intelliguntur boni, qui prius a malis separandi sunt antequam mali dejiciuntur in infernum: et quia separatio bonorum a malis ac *ejectio* malorum in infernum fit per influxum Divinum ex Domino ut Sole, separatio bonorum a malis per influxum lenem et remissum, ac *dejectio* malorum in infernum per influxum fortem et intensem (*ut supra*, n. 413[a]. 418[a]. 419[a,c,d], ostensum *videatur*), ideo de priori influxu, per quem separantur boni a malis, agitur in tribus his versibus; ac de bonis qui separati sunt, in sequentibus hujus capitinis usque ad finem. Sed primum hic aliquid dicetur de eo, quod nisi boni prius separentur a malis, antequam mali dejiciuntur in infernum, boni simul cum malis perituri sint; boni enim qui adhuc in caelum non elevati sunt, sed elevandi postquam *ejecti* sunt mali, illi communicationem admodum propinquam habuerunt cum malis per cultum horum *externum*; nam (*ut supra dictum est, et quoque in opusculo De Ultimo Judicio, n. 59. 70. ostensum.*) mali, qui usque ad ultimum judicium tolerati sunt, in cultu externo fuerunt, non tamen in aliquo interno; nam ore et gestibus praetulerunt et dissimularunt sancta ecclesiae, at non anima et corde; quare per *externum* cultum communicabant cum illis qui interius etiam boni fuerunt; propter illam communicationem non prius

dejici potuerunt mali antequam ab illis separati fuerint boni; nam si simul, tunc boni, cum quibus mali per externum cultum conjuncti fuerunt, damno afficerentur, hoc est, perirent, illos enim mali secum auferrent. Hoc quoque est quod Dominus praedixit apud *Matthacum*,

"Simile est regnum caelorum homini seminanti bonum semen in agro suo; sed dum dormiverunt homines, venit ejus inimicus, et seminavit zizania [inter triticum] et abivit: quum vero germinavit herba, et fructum fecit, tunc apparuerunt etiam zizania. Accedentes autem, servi patrisfamilias, dixerunt illi, Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania? Hic vero dixit, Inimicus homo hoc fecit: servi autem dixerunt illi, Visne ergo abeuntes colligamus ea? Ipse vero dixit, Non, ne forte colligentes zizania eradicetis simul cum illis triticum, sinite una crescere utraque usque ad messem; et in tempore messis dicam messoribus, Colligitte prius zizania, et colligate ea in fasciculos ad comburendum ea, triticum vero colligitte in horreum meum" (xiii. 24-30):

per "hominem seminantem" intelligitur Dominus; per "agrum" intelligitur mundus spiritualis et ecclesia, ubi sunt tam boni quam mali; per "semen bonum" et "triticum" intelliguntur boni, ac per "zizania" intelliguntur mali: quod non separari possent prius quam tempore ultimi judicii propter conjunctionem supradictam, intelligitur per responsum ad servos qui voluerunt colligere prius zizania, hoc est, separare malos a bonis, "Ne forte colligentes zizania eradicetis simul cum illis triticum, sinite una crescere utraque usque ad messem;" "messis" est ultimum judicium. Quod illa significantur, docet Ipse Dominus, dicens,

"Qui seminat bonum semen est Filius hominis; ager est mundus: semen [bonum] sunt filii regni; zizania sunt filii mali; . . . messis est consummatio saeculi: . . . quemadmodum colliguntur zizania, et igne comburuntur, sic erit in consummatione saeculi" (vers. 37-40, in eodem capite):

inde patet quod "homo paterfamilias" seminans bonum semen sit Dominus, qui Se vocat ibi Filium hominis; quodque "ager sit mundus," per quem intelligitur mundus spiritualis et ecclesia, ubi tam boni quam mali: (quod is mundus intelligatur, patet ex eo quod dicatur quod "regnum caelorum sit simile homini seminanti bonum semen in agro suo;" "regnum caelorum" est mundus spiritualis et ecclesia; id etiam patet ex eo, quod dicantur illa de ultimo judicio, ac ultimum judicium peragitur in

mundo spirituali, et non in nostro mundo, ut ostensum videatur in opusculo *De Ultimo Judicio*:) quod "bonum semen" et "triticum" sint boni, qui ibi vocantur "filii regni," et quod "zizania" sint mali ibi, qui vocantur "filii mali," et quod "mессis" quando separatio fiet, sit tempus ultimi judicii, nam dicitur "messis est consummatio saeculi" ("consummatio saeculi" est tempus ultimi judicii, videatur supra, n. 397): quod tunc "colligentur zizania in fasciculos ad comburendum, ac triticum congregandum sit in horreum," significat quod mali secundum genera et species mali quod apud illos, colligendi sint et rejiciendi in infernum: (ita fit cum malis quando rejicuntur; hoc intelligitur per "collectionem in fasciculos:") et quod boni conservandi sint, intelligitur per "congregationem tritici in horreum" ("horreum" est ubi collectio bonorum). Ex his constare potest quod separatio bonorum a malis plenaria fiat tempore ultimi judicii, et quod prius non fieri possit propter conjunctionem supradictam, et quod alioqui perirent boni cum malis; nam dicitur, "Ne forte colligentes zizania eradicetis simul cum illis triticum;" et dicitur amplius, "Sinite una crescere usque ad messem," hoc est, ad consummationem saeculi. Nunc quia separatio bonorum a malis fit per influxum lenem et remissum Divini procedentis a Domino, ac ejus malorum in infernum per influxum Divini fortem et intensem, constare potest quomodo omnia illa quae continentur in tribus primis versibus hujus capituli intelligenda sunt, dum ex sensu spirituali scitur quid significatur per "ventos qui retinerentur ne laederetur terra, mare et arbor, antequam servi Dei signati sunt super frontibus." Quomodo ipsa separatio fit, etiam paucis dicitur. Quando boni separantur a malis, quod fit a Domino per influxum Divini Ipsi remissum ac per inspectionem in illa quae sunt affectionis spiritualis apud angelos et spiritus, tunc facit Dominus ut illi qui interius et inde quoque exterius boni sunt, vertant se ad Ipsum, et sic avertant se a malis; et cum se vertunt fiunt inconspicui malis, hoc enim commune est in mundo spirituali, quod cum aliquis avertit se ab alio, fiat inconspicuus; quo facto mali separati sunt, ac simul etiam a sancto quod in externis mentiti sunt, et sic spectant ad infernum, quo etiam mox conjiciuntur. (De conversione illa videantur plura in opere *De Caelo et Inferno*,

n. 17, 123, 142, 144, 145, 151, 153, 251, 255, 272, 510, 548, 561: quod mali, qui in externo cultu, seu in externa pietate et sanctitate potuerunt esse, tametsi non in aliqua interna, usque ad ultimum judicium tolerati fuerint, et non amplius; cur ita, videatur in opusculo *De Ultimo Judicio*, n. 59 et n. 70.)

**427[a]. “Usque dum signaverimus servos Dei nostri super frontibus eorum.”**—Quod significet *quod prius separandi sint qui in veris ex bono sunt*, constat ex significatione “signare,” quod sit distinguere et separare (de qua sequitur); ex significatione “servorum Dei,” quod sint qui in veris ex bono sunt (de qua supra, n. 6); et ex significatione “frontis” quod sit bonum amoris. Quod “frons” sit bonum amoris est ex correspondentia, omnia enim quae apud hominem sunt in toto corpore, tam quae intra illud quam quae extra, correspondent caelo; nam universum caelum est sicut unus Homo in conspectu Domini, ita ordinatum ut correspondent omnibus et singulis hominis: tota facies, ubi sensoria visus, olfactus, auditus et gustus sita sunt, correspondent affectionibus et inde cogitationibus in genere; oculi correspondent intellectui, nares perceptioni, aures auscultationi et obedientiae, et gustus desiderio sciendi et sapiendi; frons autem correspondent bono amoris, ex quo omnia illa sunt; supremum etiam faciei facit, ac immediate includit anteriorem et primariam partem cerebri, unde intellectualia hominis: inde est quod Dominus aspiciat angelos in fronte, ac angeli Dominum per oculos; et hoc quia frons correspondent amori, ex quo Dominus illos aspicit, et oculi correspondent intellectui, ex quo illi aspiciunt Dominum; dat enim Dominus Se videri per influxum amoris in intellectum eorum. (De qua re videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 145, 151: et Quod Universum Caelum in toto complexu referat unum Hominem, in eodem opere, n. 168-86: et Quod inde Correspondentia sit omnium Caeli cum omnibus Hominis, n. 87-102.) Exinde patet quid significatur per “signari super frontibus,” quod nempe in bono amoris in Dominum a Domino esse, et per id distingui ac separari ab illis qui non in amore illo sunt; aspicit enim Dominus illos in fronte, ac implet illos bono amoris, ex quo illi aspiciunt Dominum cogitatione ex affectione. Reliqui non in fronte aspici possunt a Domino, quia avertunt se ab Ipso, ac vertunt se ad amorem oppositum, a quo implentur et trahuntur. (Quod quisque in mundo spirituali, et quoque homo quoad spiritum suum, vertat faciem ad amorem regnantem, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 17, 123, 142-144, 153, 552.) Quod “signari” non sit signari, sed in illum statum redigi ut agnosci possint quales sunt, proinde ut conjungantur cum illis qui in

simili statu sunt, ac separentur ab illis qui in dissimili; hoc significatur per "signari" et per "signum" in sequentibus his locis:—Apud *Ezechielem*,

"Dixit Jehovah ad" virum indutum linteis, "Transi per medium urbis, per medium Hierosolymae, et signa signum super frontibus viorum gementium et suspirantium super omnibus abominationibus factis in medio ejus:....et transite per urbem post illum, et percutite, nec parcat oculus vester, neque clementia utamini:....sed contra illum virum super quo signum, ne appropinquate" (ix. 4-6):

agitur etiam hic de separatione bonorum a malis, ac per "signari super frontibus" simile significatur quod in hoc loco *Apocalypcos*, nempe distingui et separari a malis, ac conjungi bonis; de ejectione et damnatione malorum postea etiam agitur: illi qui in bono sunt, describuntur per "gementes et suspirantes super omnibus abominationibus factis in medio urbis Hierosolymae;" "gementes et suspirantes super abominationibus" sunt qui non in malis et inde falsis sunt; "gemitus et suspirium" super illis significant aversionem et dolorem pro illis, "Hierosolyma" est ecclesia, et "urbs" est doctrina: ejectione et damnatio malorum postea describitur per quod "transirent per urbem post illum, et percuterent, nec parceret oculus;" "percutere et occidere" significat damnari, nam mors spiritualis, quae est damnatio, significatur in Verbo per mortem naturalem. Apud *Esaiam*,

"Veniet ad congregandum omnes gentes et linguas, ut veniant et videant gloriam meam, et ponam in illis signum" (lxvi. 18, 19):

hacc dicta sunt de Domino, ac de nova ecclesia ab Ipso instauranda, proinde de novo caelo et nova terra (ut patet a vers. 22 in illo capite); per "congregare omnes gentes et linguas" simile significatur quod per

"Congregare electos a quatuor ventis" (*Matth. xxiv. 31*):

"congregare" significat adsciscere Sibi qui Ipsius sunt; "gentes" significant illos qui in bono sunt, et "linguae" illos qui in vita secundum doctrinam sunt; "venire et videare gloriam" Domini, significat illustrari Divino Vero et inde frui gaudio caelesti, "gloria" enim Domini significat Divinum Verum et ex illo illustrationem et gaudium; "ponere in illis signum" significat distinguere et separare a malis, et conjungere bonis. Legitur de Caino,

Quod Jehovah posuerit ei signum, ne quis occideret illum (*Genes. iv. 15*):

qui non scit id arcanum Verbi, quod per personas in historicis ibi nominatas in sensu spirituali intelligantur res, seu quod unaquaevis persona ibi aliquid rei ecclesiae et caeli repraesentet, et inde id significet, non scire aliud potest quam historicum litterae, in quo non plus Divini appareat quam in historiis aliis; cum tamen in Verbo tam in propheticis quam in historicis, in omnibus et singulis ejus est Divinum quod in littera non appareat nisi solum illis qui in sensu spirituali sunt et illum norunt. Arcanum spirituale in historico de Caino et Abele est hoc: Abel ibi repraesentat bonum charitatis et Cainus verum fidei; id bonum et hoc verum etiam in Verbo vocantur "fratres;" ac verum fidei "primogenitus," ex causa quia vera, quae postea fient fidei, primum acquiruntur et reponuntur in memoria, ut bonum inde sicut ex promptuario hauriat quod sibi conjungat, ac faciat ut sint fidei. Verum enim non prius fit fidei quam cum homo vult illud et facit illud; et quantum homo id facit, tantum Dominus conjungit illum Sibi et caelo, ac influit ex amore cum bono, ac per bonum in vera quae homo a pueritia acquisivit, ac conjungit illa bono, ac facit ut sint fidei: prius non sint nisi quam cognitiones et scientiae; quibus homo adhuc non fidem habet aliam quam sicut rebus auditis ex alio, a quibus recedere potest si aliter postea cogitat; quare illa fides est fides alterius in se, et non sua; et usque fides sua erit apud hominem, ut maneat illum post mortem; et tunc fit sua, quando id quod credit, videt, vult et facit, tunc enim intrat in hominem, et format spiritum ejus, et fit affectionis et cogitationis ejus; spiritus enim hominis in sua essentia non est nisi quam sua affectio et cogitatio. Quod affectionis est, hoc vocatur bonum; et quod inde cogitationis est, hoc vocatur verum; homo nec aliud credit verum esse quam quod est affectionis ejus, sed interioris affectionis quae est spiritus ejus: quare quod homo ex interiore affectione cogitat, hoc ejus fides est; et reliqua quaecunque in memoria sua tenet, sive illa hauserit ex Verbo, sive ex doctrina ecclesiae per lectionem, sive ex praedicatione, sive ex proprio intellectu, non sunt fides, utcunque putat quod sit, et dicitur ac creditur hodie quod sit. Hoc primogenitum et primitivum est quod Cainus in historico illo repraesentat et significat, nam Cainus erat primogenitus. Tale cum

creditur esse fides quae salvat hominem, ac non velle illud et facere illud, hoc est, vivere secundum illud, existit haeresis damnosa quod sola fides salvet qualiscunque vita est, et quod detur fides absque vita; cum tamen id non est fides, sed modo scientia residens extra hominem in ejus memoria, et non intra illum in vita; et si illud vocatur fides, est fides historica, quae fides est fides alterius apud se; et non prius vitam accipit, quam cum id quod hausit ipse videt quod verum sit, et tunc primum videt cum vult illud cum facit illud. Cum illa haeresis invalescit, tunc annihilatur charitas quae est bonum vitae, et tandem rejicitur sicut non essentialis ad salutem: hoc repraesentatum est per quod Cainus occiderit Abelem fratrem suum; fides enim et charitas, seu verum fidei et bonum charitatis, dicuntur "fratres" in Verbo, ut supra dictum est. Quod "Jehovah posuerit Caino signum ne occideretur," significat quod distinxerit ab aliis, et quod conservaverit, quia fides salvifica non dari potest nisi praecedat fides historica, quae est cognitio rerum ecclesiae et caeli ab aliis; verbo, est scientia talium quae postea fidei erunt; nisi enim homo ex infantia hauriat vera ex Verbo, vel ex doctrina ecclesiae, vel ex praedicatione, foret vacuus; et in hominem vacuum non cadit operatio et non datur influxus e caelo a Domino; operatur enim et influit Dominus per bonum in vera apud hominem, et conjungit illa, et facit ut charitas et fides unum sint: ex his constare potest quid significat quod "Jehovah posuerit Caino signum, ne quis occiderit illum, et qui occiderit septuplum vindicaretur." Praeterea illi qui solum in fide historica sunt, hoc est, in scientia talium quae fidei, qui sunt "Cainus" seu quae est "Cainus," conservantur etiam quia docere possunt alios vera ex Verbo, docent enim ex memoria.

[b.] Quoniam "frons" correspondet bono amoris, ac ideo Dominus ex Divino Amore aspicit angelos et homines in fronte, ut supra dictum est, ideo mandatum est, ut bractea ex puro auro, super qua scriptum esset "Sanctitas Jehovah," poneretur super cidari Aharonis e regione frontis, de qua ita apud *Mosen*,

"Facies bracteam, aurum purum, et sculpes super illa sculpturis sigilli, Sanctitas Jehovah; et pones eam super filo hyacinthini, . . . e regione facierum cidaris erit, ut sit super fronte Aharonis, . . . sitque super fronte ejus jugiter, in beneplacitum <sup>[1]</sup> illis coram Jehovah" (*Exod. xxviii. 36-38*):

Aharon enim ut summus sacerdos repreaesentabat Dominum quoad bonum Divini Amoris; et inde vestes ejus repreaesentabant talia quae procedunt ex illo amore; cida-ris repreaesentabat intelligentiam et sapientiam, ac regio anterior ejus amorem, ex quo intelligentia et sapientia; ideo ibi bractea ex auro puro erat posita super filo hyacin-thini, super qua sculptum "Sanctitas Jehovae:" "aurum purum" ex quo bractea significat bonum amoris caelestis; "hyacinthinum" ex quo filum super quo bractea, significat bonum amoris spiritualis (amor spiritualis est amor veri); "sculptura sigilli" significat permanentiam in aeternum; "Sanctitas Jehovae" significat Dominum quoad Divinum Humanum, ex quo omne sanctum caeli et ecclesiae pro-cedit; haec erant "super fronte cidaris quae super capite Aharonis, quia "cidaris" significat simile quod "caput," nempe Divinam Sapientiam, et "frons" Divinum Bonum Amoris. (Quod Aharon repreaesentaverit Dominum quoad bonum amoris, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 9806, 119946, 10017; quod "hyacinthinum" signi-ficet amorem veri, n. 9466, 9687, 9833; quod "cidaris" significet intelligentiam et sapientiam, n. 9827.) Quoniam "frons" significat bonum amoris, ideo mandatum est filiis Israelis, ut alligarent praeceptum de amore in Jehovah super frontibus suis; de quo ita apud *Mosen*,

"Amabis Jehovahm Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua,  
et ex omnibus viribus tuis:....alliges ea" verba "in signum su-  
per manu tua, et sint in frontalia ante oculos tuos" (*Deutr.* vi. 5,  
8; *cap. xi. 18*: praeter in *Exod.* xiii. 9, 16):

quod dicatur "ut sint in frontalia ante oculos," erat repreaesentativum quod Dominus aspiciat angelos et homines in fronte, quia ex Divino Amore, ac det ut angeli et ho-mines aspiciant Ipsum ex intelligentia et sapientia, nam "oculi" significant intellectum; omnis etiam intellectus hominis est ex bono amoris ejus, et secundum id quod recipit a Domino: quod etiam "alligarent super manu," repreaesentabat ultima, quoniam manus sunt ultima virium animae hominis; ita "super fronte et super manu" significat in primis et in ultimis, ac "primum et ultimum" significant omnia (videatur supra, n. 417): quod illud praeceptum ita alli-garent, erat causa, quia ex illo pendent Lex et Prophetae, hoc est, totum Verbum, proinde omnia caeli et ecclesiae:

Quod Lex et Prophetae ex illo praecepto pendeant, docet Dominus apud *Matthaeum* (*cap. xxii. 35-38*[, 40]).

Ex his etiam patet, unde est et quid significat, quod reges olim et quoque hodie, cum coronantur, ungebantur oleo super fronte et super manu: reges enim olim repraesentaverunt Dominum quoad Divinum Verum; et quia hoc recipitur in bono amoris, quod influit a Domino, ideo unctio fiebat super fronte et super manu; oleum etiam, quo ungebantur, significat bonum amoris: inde est quod "reges" in Verbo significant illos qui in veris ex bono sunt, et abstracte vera ex bono (videatur supra, n. 31). Ex his constare potest quid intelligitur per "signum super frontibus," ut quoque alibi in *Apocalypsi*

(Ut cap. ix. 4; cap. xiv. 1; cap. xxii. 3, 4).

Vicissim autem "frons" significat id quod oppositum est bono amoris, nempe malum amoris, et inde durum, obfirmatum, impudens ac infernale: durum, apud *Esaiam*,

"Durus tu, nam nervus ferri cervix tua, et frons tua aenea" (xlviii. 4); obfirmatum, apud *Ezechielem*,

"Domus Israelis non volunt obedire Mihi, . . . . nam tota domus Israelis obfirmati fronte et duri corde" (iii. 7, 8);

impudens, apud *Jeremiam*,

"Frons mulieris meretricis mansit tibi, renuisti pudefieri" (iii. [1]3); infernale, in *Apocalypsi*

(Cap. xiii. 16; cap. xiv. 9-11; cap. xvi. 2; cap. xvii. 5; cap. xix. 20; cap. xx. 4):

nam sicut bonum amoris est caeleste, et inde clemens, patiens et pudicum, ita malum bono illi oppositum est infernale, durum, obfirmatum et impudens.

#### VERSUS 4.

**428.** "Et audivi numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu [filiorum] Israelis."

4. "Et audivi numerum signatorum," significat quale eorum qui in bono sunt separati a malis [n. 429]; "centum quadraginta quatuor millia [signati] ex omni tribu [filiorum] Israelis," significat omnes qui in veris ex bono sunt, et inde in ecclesia Domini [n. 430].

**429.** [Vers. 4.] "Et audivi numerum signatorum."—Quod significet quale corum qui in bono sunt separati a malis, constat ex significatione "numeri," quod sit quale rei de qua agitur

(de qua significatione sequitur); et ex significatione "signatorum," quod sint qui in bono distincti et separati ab aliis (de qua mox supra, n. 427[a]). Multis in locis in Verbo dicitur "numerus" et "mensura," et creditur quod per utrumque intelligatur solum numerus et mensura; sed per "numerum" et "mensuram" in sensu spirituali intelligitur quale rei de qua agitur: ipsum quale determinatur per numeros qui exprimuntur; ut hic per "centum quadraginta quatuor millia," ac postea per "duodecim millia" ex unaquavis tribu; quid itaque per hos numeros significatur, dicetur in sequente articulo. Quod "numerus" significet quale rei de qua agitur, est causa quia Verbum est spirituale, et inde omnia et singula, quae ibi continentur, sunt spiritualia, ac spiritualia non numerantur et mensurantur; sed usque cadunt in numeros et mensuras dum e mundo spirituali seu e caelo ubi angeli, in mundum naturalem seu in terram ubi homines; similiter in Verbo e sensu ejus spirituali, in quo sunt angeli, in sensum naturalem, in quo sunt homines; sensus naturalis Verbi est sensus litterae ejus: haec causa est, quod in hoc sensu sint numeri, et quod numeri ibi significant spiritualia seu res caeli et ecclesiae. Quod spiritualia caeli, qualia sunt quae angeli cogitant et loquuntur, cadant etiam in numeros, saepe mihi ostensum est: locuti sunt inter se, et loquela eorum determinata est in meros numeros visos super charta; ac postea dixerunt quod fuerit loquela eorum determinata in numeros, et quod numeri illi in serie contineant omnia quae locuti sunt; instructus etiam sum quid significabant et quomodo intelligendi, de qua re passim in sequentibus. (Sed de scriptura in meris numeris e caelo, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 263; quod per omnes numeros in Verbo significantur res caeli et ecclesiae, supra, n. 203 et 336.)

**430[a]. "Centum quadraginta quatuor millia [signati] ex omni tribu [filiorum] Israelis."**—Quod significet omnes qui in veris ex bono sunt, et inde in ecclesia Domini, constat ex significatione "centum quadraginta quatuor millium," quod sint omnia, et quod dicantur de illis qui in veris ex bono sunt (de qua sequitur); et ex significatione "tribuum Israelis," quod sint qui in veris ex bono sunt, et inde qui in ecclesia Domini, "tribus" enim significant vera ex bono, ac "Israel" ecclesiam; quod "tribus Israelis" illa significant, videbitur in sequente articulo. Quod "centum quadraginta quatuor millia" significant omnia et omnes, et quod dicantur de

veris ex bono, est quia ille numerus exsurgit ex numero duodecim, ac "duodecim" significant omnia et omnes, ac dicuntur de veris ex bono; numeri enim majores, et congregati ex minoribus, simile significant cum numeris minoribus et simplicibus a quibus per multiplicationem exsurgunt (de qua re videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 5291, 5335, 5708, 7973); ita "centum quadraginta quatuor," tum "centum quadraginta quatuor millia," simile cum "duodecim" significant, nam 144 exsurgunt ex 12 in se multiplicatis, ac 144000 ex 12000 in <sup>[1]</sup>12. Sunt numeri simplices qui prae reliquis significativi sunt, ex quibus majores numeri suas significations trahunt, nempe numeri duo, tres, quinque et septem; "duo" significant unionem et dicuntur de bono, "tres" significant plenum ac dicuntur de veris, "quinque" significant multum et aliquid, ac "septem" significant sanctum. Ex numero 2 exsurgunt numeri 4, 8, 16, 400, 800, 1600, 4000, 8000, 16000, qui numeri simile significant cum "duo," quia ex hoc simplici numero per multiplicationem in se et per multiplicationem cum 10, exsurgunt: ex numero 3 exsurgunt 6, 12, 24, 72, 144, 1440, 144000, qui numeri etiam similia significant cum "tria," quia ex hoc simplici numero per multiplicationem exsurgunt: ex numero 5 exsurgunt 10, 50, 100, 1000, 10000, 100000, qui etiam numeri simile significant cum "quinque," <sup>[2]</sup>quia ex illo per multiplicationem exsurgunt: ex numero 7 exsurgunt 14, 70, 700, 7000, 70000, qui numeri etiam simile significant cum "septem," quia ex illo exsurgunt. Quoniam "tria" significant plenum, ac plenum est omne, inde trahit numerus "duodecim" quod significet omnia et omnes; quod dicatur de veris ex bono est quia exsurgit ex 3 multiplicatis in 4, ac "tria" dicuntur de veris et "quatuor" de bono, ut supra dictum est. Qui non scit quod "duodecim" significant omnia, ac quod simile numeri inde multiplicati, et qui non scit quod unaquaevi "tribus" aliquod universale et essentiale ecclesiae significet, prorsus non scit aliud quam quod forent duodecim millia ex unaquavis tribu Israelis solum "signati," ita qui recepti, seu qui recipiendi in caelum; cum tamen ibi per "duodecim millia" non intelliguntur duodecim millia, nec per "tribus" ibi nominatas tribus Israelis; sed per "duodecim millia" intelliguntur omnes, et per "tribus Israelis" illi qui in veris <sup>[3]</sup>ex bono sunt, ita omnes ubicunque

in terris sunt qui faciunt ecclesiam Domini. Quod talia significantur, quisque qui intelligenter cogitat, percipere potest; ubinam enim nunc sunt tribus illae, et ubinam fuerunt cum hoc a Johanne scriptum fuit? Annon per multum orbis dispersae, et nulli notum ubi sunt, praeter tribum Jehudae? et usque dicitur quod signandi ut a Domino introducantur in caelum, et cum Ipso sint (ut patet ex capite xiv., vers. 1, 3, 4, in *Apocalypsi*): praeterea notum est quod undecim tribus ibi nominatae ex terra Canaane propter idolatrias et alias abominationes relegatae fuerint; similiter gens Judaica, quae qualis sit videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae* (n. 248). Inde constare potest quod per "duodecim millia" non intelligantur duodecim millia, nec per "tribus" intelligantur tribus illae, sed quod intelligantur omnes qui in veris ex bono sunt, ita omnes qui ab ecclesia Domini. Hoc patebit ulterius ex significatione cuiusvis tribus in sensu spirituali; nam unaquaeviis tribus significat aliquod universale seu esseentiale ecclesiae in quo sunt qui ab ecclesia. Universale cuiusvis etiam se refert ad vera ex bono, et haec sunt multiplicia; nam omnes qui in caelis sunt differunt inter se quoad bonum et inde quoque quoad verum, quippe omne verum quod vitam habet in homine et in angelo est ex bono et secundum id; praeterea omnes qui ab ecclesia Domini sunt, in veris ex bono sunt; qui enim in veris sunt et non in bono, illi non ab ecclesia sunt: nam, ut mox dictum est, omne verum, quod in homine et in angelo vitam habet, ex bono est. (De qua re videatur supra, n. 6, 59, 136, 242, 286, 292; et in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 11-27; quod bona et inde vera sint infinitae varietatis, in opere *De Caelo et Inferno*, n. 56, 71, 405, 418, 486, 588; et in opusculo *De Ultimo Judicio*, n. 13; tum in *Arcanis Caelestibus*, n. 684, 690, 3241, 3267, 3470, 3519, 3744-3746, 3804, 3986, 4067, 4149, 4263, 5598, 6917, 7236, 7833, 7836, 9002.) Quod bona et inde vera sint infinitae varietatis, est quia unusquisque angelus et unusquisque homo, in quo est ecclesia, est suum bonum et inde suum verum; quare etiam universum caelum ordinatum est secundum affectiones quae sunt amoris in Dominum, et charitatis erga proximum et inde fidei, et omne bonum est illarum affectionum.

[*b.*] Quod numerus "centum quadraginta quatuor milia," seu numerus 12000 in [<sup>10</sup>] 12 multiplicatus, significet omnia vera ex bono quoad sua genera et species in toto complexu, constare potest ex numero "centum quadraginta quatuor,"

qui numerus est 12 in 12 multiplicatus, in sequentibus in *Apocalypsi*, ubi civitas Nova Hierosolyma describitur per mensuras in numeris; de cuius muri mensura ita dicitur,

"Mensus est murum ejus centum quadraginta quatuor cubitorum, quae est mensura hominis, hoc est, angeli" (*Apoc.* xxi. 17):

per "civitatem Hierosolymam" ibi significatur nova ecclesia a Domino instauranda, et ejus doctrina; quare per omnia illa quae memorantur, ut per "murum," per "portas" et per "fundamenta" intelliguntur talia quae sunt ecclesiae, proinde spiritualia; et quia ecclesia et ejus doctrina in sensu litterae describitur per Hierosolymam civitatem, et civitas est mensurabilis, ideo spiritualia illius ecclesiae designantur per mensuras in numeris, ac murus ejus per numerum "centum quadraginta quatuor," seu per 12 in 12, per quem numerum significantur vera ex bono in omni complexu, "murus" enim significat vera tutantia contra falsa et mala; quod is numerus significet illa, patet manifeste ex eo, quod dicatur quod mensura centum quadraginta quatuor cubitorum esset "mensura hominis, hoc est, angeli." Quid hoc involvit, nemo potest scire, nisi sciat quod per "mensuram" in sensu spirituali significetur simile quod per "numerum," nempe quale rei de qua agitur; et quod per "hominem" significetur receptio veri ex affectione spirituali, hoc est, ex bono, ac inde intelligentia, ac simile per "angelum;" homo enim est angelus quando in veris ex bono est, fit etiam angelus post mortem. Simile etiam significat numerus "centum quadraginta quatuor millia;" nam numerus major et minor, modo ex simili origine sit, simile significat; numerus enim major adhibetur quando major multitudo erit, tum quando complectitur plura genera simul; prout "centum quadraginta quatuor millia," qui complectitur omnia genera veri ex bono, quae significantur per "[<sup>11</sup>]duodecim millia signatos" ex unaquavis tribu; et prout mensura muri, quae dicitur "centum quadraginta quatuor cubitorum," quia includit tam portas quam fundamenta, quae numero "duodecim" sunt. De portis et de fundamentis enim dicitur,

*Nova Hierosolyma "habens murum magnum et altum, habentem portas duodecim, et super portis angelos duodecim, et nomina scripta quae sunt duodecim tribuum [filiorum] Israelis. .... Murus etiam habebat fundamenta duodecim, et in iis nomina duodecim apostolorum Agni:"....ac fundamenta constabant ex duodecim lapidibus pretiosis (*Apoc.* xxi. [12, 14,] 19-21):*

quis non percepturus est, qui scit quod per "Novam Hierosolymam" intelligatur nova ecclesia, quod per numerum "duodecim" toties designatum intelligatur principale et primarium ex quo ecclesia? ac principale et primarium ecclesiae est verum ex bono; nam omne ecclesiae inde est, verum enim est doctrinae ejus, ac bonum est vitae secundum doctrinam: quid autem per "portas" et quid per "fundamenta" ibi significatur, dicetur in explicatione illius capituli. Quia is numerus significat omnia et praedicatur de veris ex bono, et "Nova Hierosolyma" significat novam ecclesiam, ideo etiam mensura ipsius civitatis per similem numerum multiplicatum designatur, his verbis,

"Civitas jacet quadrangularis, ac longitudo ejus tanta quanta latitudo; et mensus est civitatem calamo in stadiis duodecies mille; longitudo et latitudo et altitudo aequalia" (*Apoc.* xxi. 16):

quid per "longitudinem," "latitudinem" et "altitudinem" in sensu spirituali significatur, dicetur etiam infra in explicatione; per "civitatem" intelligitur in eo sensu doctrina ecclesiae, et per "[stadia] duodecies mille" intelliguntur omnia ejus vera ex bono. Etiam numerus "duodecim" designatur ibi de fructibus arborum circa fluvium his verbis,

"In medio plateae ejus et fluvii hinc et illinc arbor vitae faciens fructus duodecim, juxta mensem quemvis reddens fructum" (*Apoc.* xxii. 2):

quia per "plateas civitatis" significantur vera doctrinae, per "fluvium inde exeuntem" intelligentia, per "arborem vitae" perceptio veri ex bono a Domino, ac per "fructus" bonum ex quo vera, inde etiam patet quod "duodecim" significant vera ex bono, per quae intelligentia, et ex quibus ecclesia. Quoniam Ecclesia Repraesentativa instituenda erat apud filios Jacobi, ideo provisum est a Domino ut filii ejus duodecim essent

(*Genes.*, cap. [<sup>[1]</sup>]xxix. 32-35; cap. [<sup>[2]</sup>]xxx. 1-25; cap. xxxv. 22-26),

ut sic omnes simul repraesentarent omnia ecclesiae, et singuli suam partem; inde est quod duodecim tribus ex illis extiterint (*Genes.* xl ix. 28), et quod illae significant omnia ecclesiae, et quaelibet tribus aliquid essentialie ecclesiae; quare etiam in nunc sequentibus dicitur quod "duodecim millia essent ex unaquavis tribu signati," per quos significantur omnes qui in illo ecclesiae essentiali sunt, seu

omnes qui in illo genere veri ex bono, nam verum ex bono format ecclesiam apud omnes; verum enim est doctrinae, ac bonum est vitae, ut supra dictum est. (Quid verum ex bono, et quale, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 24.) Quoniam duodecim tribus nominatae ex duodecim filiis Jacobi representabant ecclesiam ac omnia ejus, ideo numerus "duodecim," quia significativus talium, assumptus est in variis:

Ut quod principes Israelis numero duodecim essent (*Num.* i. 44);

Quod duodecim illi principes attulerint ad initiationem altaris duodecim scutulas argenti, duodecim crateres argenti, duodecim acerras auri, duodecim juvencos, duodecim arietes, duodecim agnos, et duodecim hircos (*Num.* vii. 8*i*, 87):

per singula illa, quae attulerunt, significantur talia quae se referunt ad vera ex bono. Ideo etiam

Missi sunt duodecim viri qui explorarent terram Canaanem (*Deutr.* i. 23):

per "terram" enim "Canaanem" significatur ecclesia. Ideo etiam

In pectorali judicii, seu in Urim et Thummim, erant duodecim lapides pretiosi (*Exod.* xxviii. 21; cap. xxxix. 14):

per "lapides pretiosos" significantur vera ex bono. Ideo quoque

Erant duodecim panes dispositi in duos ordines super mensa, qui "panes facierum" vocabantur (*Levit.* xxiv. 5, 6):

per "panes" significabatur bonum amoris, ac per "mensam" receptio ejus, ita quoque verum in communi, quia hoc est recipiens boni. Ideo

"Moses... aedificavit altare infra montem" Sinai, "et erexit duodecim statuas pro duodecim <sup>[1]</sup>tribubus Israelis" (*Exod.* xxiv. 4):

per "altare" enim significatur bonum ecclesiae, ac per "statuas" vera ejus; inde per "altare et duodecim statuas" simul significantur omnia vera ex bono, per quae ecclesia. Ideo

Duodecim viri portarunt duodecim lapides e medio Jordanis, qui erecti in Gilgale, ut essent in memoriale filiis Israelis. Et quoque positi duodecim lapides in medio Jordanis sub statione pedum sacerdotum portantium arcum (*Jos.* iv. 1-9, 20):

per "Jordanem" enim in Verbo significatur introductio in ecclesiam, ac per "lapides" inde et in medio ejus significantur vera ecclesiae per quae introductio. Ideo etiam

Elias sumpsit duodecim lapides, et struxit altare (*I Reg.* [<sup>1</sup>]xviii. 31, 32) : per "altare" enim significatur bonum ecclesiae, et per "lapides" significantur vera ejus. Ideo etiam

Moses sumpsit duodecim millia ex filiis Israelis contra Midianem, duce Pinchaso, qui reversus cum magna praeda, nec desideratus unus (*Num.* xxxi. 5, 6, 49) :

per "Midianem" enim significantur illi qui in cognitionibus veri sunt, sed usque non in vita secundum illas ; ideo contra illum "duodecim millia" missi sunt : per "praedam magnam" ex illis significatur simile quod per "vestes," "argentum" et "aurum," quibus filii Israelis deprivaverunt Aegyptios (*Exod.* iii. 22 ; cap. xii. 35, 36), ac simile quod per "inustum mammona," ex quo sibi facerent amicos (*Luc.* xvi. 9) ; nempe cognitiones veri ex illis, quas doctrina possident et non vita. Ideo quoque

Salomo, mare aeneum quod fecit, posuit super duodecim bobus (*I Reg.* vii. 25, 44) :

per "mare aeneum" significatur verum ex bono ; per "aquam" inibi verum, et per "aes" ex quo fuit, bonum : ac per "duodecim boves" significantur omnia bona et inde vera super quibus fundantur. Ideo etiam

Salomo fecit thronum eboris, et ad illum sex gradus, et duodecim leones stantes super illis hinc et illinc (*I Reg.* x. 18-20) ;

per "thronum" enim Salomonis significabatur judicium, quod ex veris quae ex bono, ac repreäsentabatur Divinum Verum ex Divino Bono ; per "leones" significabantur vera caeli et ecclesiae in sua potentia, ac per "duodecim" omnia (videatur supra, n. 253[*b*]). De Ismaele dicitur

Quod benediceretur et cresceret, et quod duodecim principes ex illo nascerentur (*Genes.* xvii. 20 ; cap. xxv. 16) ;

ex causa, quia per illum significabatur ecclesia externa cum ejus omnibus veris ex bono. De Elisaeo dicitur

Quod Elias invenerit illum, cum araret duodecim juga, et ipse inter duodecim, et quod tunc projecerit super illum togam (*I Reg.* xix. 19) :

hoc factum et dictum est quia per Eliam et Elisaeum repreäsentabatur Dominus quoad Verbum, in quo omnia vera ex bono sunt ; quapropter cum illa repreäsentatio translata est ex Elia in Elisaeum, quod significatur per

quod “togam super illum projecerit,” visus est Elisaeus “arare duodecim juga, et ipse inter duodecim,” per quod significatur formatio ecclesiae per vera ex bono ex Verbo (videatur supra, n. 395[*b*] ). Dicitur in sequentibus quod

“Visa sit mulier circumdata sole, et luna sub pedibus, et super capite corona stellarum duodecim” (*Apoc. xii. 1*):

hoc visum est quia per “mulierem” significatur ecclesia, et per “stellas” cognitiones veri, per “coronam” bonum illarum, per “caput” intelligentia. Simile quod duodecim tribus Israelis etiam duodecim apostoli Domini repraesenterunt, nempe omnes simul ecclesiam, et quisque eorum aliquod essentiale ecclesiae; inde est quod fuerint duodecim.

[c.] Ex his constare potest unde est et quid significat, quod Nova Hierosolyma, per quam significatur ecclesia ac doctrina ejus, dicatur

Habere duodecim portas, et super portis angelos duodecim, et nomina scripta quae sunt duodecim tribuum Israelis; et quod murus haberet fundamenta duodecim, et in iis nomina duodecim apostolorum Agni (*Apoc. xxi. 12, 14*):

ubi per “duodecim angelos,” “duodecim tribus,” et “duodecim apostolos” non intelliguntur angeli, tribus et apostoli, sed omnia ecclesiae. Similiter quod

Apostoli sessuri super duodecim thronis, et judicaturi duodecim tribus Israelis (*Matth. xix. 28*; *Luc. xxii. 30*);

per quod non intelligitur quod apostoli sessuri sint super duodecim thronis, et judicaturi duodecim tribus Israelis, sed quod solus Dominus judicaturus sit omnes per Divinum Verum ex Divino Bono (videatur supra, n. 9, 206, 253[*b*], 270, 297, 333). Qui non scit quod “duodecim” significant omnia, nec scire potest arcanum quod significatur per quod

Supererint duodecim cophini fragmentorum ex quinque panibus et duobus piscibus, quibus Dominus cibavit quinquiens mille viros praeter mulieres et pueros (*Matth. xiv. 15-21*; *Marc. vi. 37-44*; *Luc. ix. 12-17*; *Joh. vi. 9-13*):

singula cum ipsis numeris ibi significant; “quinquiens mille vii praeter mulieres et pueros” significant omnes qui ab ecclesia in veris ex bono sunt, “viri” illos qui in veris, “mulieres et <sup>[1]</sup>pueri” qui in bonis; “panes” bona et “pisces” vera naturalis hominis; “cibatio” nutritionem spiritualem a Domino; “duodecim cophini fragmentorum”

significant inde cognitiones veri et boni in omni abundantia et plenitudine. Quoniam duodecim significant omnia, et dicuntur de veris ex bono, quae faciunt ecclesiam, ideo

Dominus, cum erat duodecim annorum, reliquit patrem et matrem, et mansit in Templo, sedens in medio doctorum, audiens illos et interrogans illos (*Luc. ii. 42[*a*], 46*) ;

per quae intelligitur initatio et introduc<sup>tio</sup> Humani sui in omnia quae caeli et ecclesiae; quare etiam dixit cum inventus,

“Annon sciebatis, quod in iis quae Patris mei oportet Me esse?” (*vers. 43.*)

Quoniam “duodecim” significant omnia, ac dicuntur de veris ex bono, ideo dixit Dominus,

“Nonne duodecim horae diei? Si quis ambulat in die non offendit” (*Joh. xi. 9.*) :

per “diem” significatur illustratio in veris ex bono, ac per “duodecim horas diei” omnia veri ex bono, ac per “ambulare” significatur vivere; inde per illa verba in sensu spirituali significatur quod qui in aliquo genere veri ex bono vivit, in illustratione sit, et non in falsa aberret. Quoniam “duodecim” significant omnia, ideo dixit Dominus,

“Autumasne quod non possim nunc rogare Patrem meum, et facere assistere Mihi plures quam duodecim legiones angelorum?” (*Matth. xxvi. 53.*)

per “duodecim legiones angelorum” intelligitur universum caelum; ac “plures quam illi,” significant Divinum omnipotentiam. Ex his nunc constare potest quid significatur per “centum quadraginta quatuor millia ex omni tribu,” quod nempe omnes qui in veris ex bono sunt, et quod per “duodecim millia ex unaquavis tribu” omnes qui in illo genere veri ex bono quod per nominatam tribum significatur; proinde quod non intelligantur duodecim millia, nec illi qui ex tribu Iudeae, Reubenis, Gadis, Ascheris, Naphthali, Menasses, Simeonis, Levi, Isascharis, Zebulonis, Josephi et Benjaminis. Praeterea sciendum est quod per omnes illos, seu per “centum quadraginta quatuor millia” intelligantur illi qui sublati in caelum sunt ante ultimum judicium; at per illos qui sequuntur a versu 9 ad finem hujus capituli, intelligantur illi qui a Domino reservati sunt ad ultimum judicium, et tunc primum in caelum sublati (de quibus supra, n. 391[*a*], 392[*a*], 394, 397, dictum est): nam qui in veris ex bono

fuerunt omnes recepti sunt in caelum ante judicium; at qui in bono fuerunt et nondum ita in veris, reservati sunt, ac interea instructi et praeparati ad caelum, de quibus in sequentibus ulterius agendum est. Illi qui sublati sunt in caelum ante judicium, intelliguntur quoque per illos de quibus in sequenti cap. xiv. *Apocalypses* haec dicuntur,

“Agnus stans super Monte Sionis, et cum Ipso centum quadraginta quatuor millia habentes nomen Patris scriptum in frontibus suis” (vers. 1);

de quibus dicitur

Quod nemo potuerit discere canticum “quam centum quadraginta quatuor millia, empti de terra: hi sunt qui cum mulieribus non polluti sunt, virgines enim sunt,....empti de hominibus, primitiae Deo et Agno” (vers. 3, 4);

iidem etiam intelliguntur per eos qui sunt “ex resurrectione prima,” et reliqui qui ex resurrectione secunda (*Apoc.* xx. 4-6).

**431[a].** Haec tenus ostensum est quod “duodecim” significant omnia, ac quod dicantur de veris ex bono; quod autem “duodecim tribus” significant omnia ecclesiae, et unaquaeviis tribus aliquod universale et esseentiale ecclesiae, hic ostendetur. Quoniam apud filios Jacobi instituenda erat Ecclesia Repraesentativa, ideo provisum est a Domino, ut filii ejus numero duodecim essent, ac illis darentur nomina significativa, ex quibus duodecim tribus similibus nominibus insignitiae significant omnia ecclesiae quam repraesentarent, ac unaquaeviis tribus aliquod universale esseentiale ejus; quid itaque unaquaeviis tribus significabat et repraesentabat, dicetur in sequentibus: et quia omnia ecclesiae se referunt ad vera ex bono, ideo etiam per “duodecim tribus” significantur vera ex bono in omni complexu. Quod dictae fuerint “tribus,” erat ex causa, quia per binas illas voces, ex quibus “tribus” in lingua originali seu Hebraea nominantur, significatur “sceptrum” et “baculus;” et per “sceptrum” significatur Divinum Verum quoad regimen, et per “baculum” Divinum Verum quoad potentiam; propter illam derivationem et significationem etiam mandatum est, quando populus murmurabat contra Mosen et Aharonem de regimine et de potentia super illos, ut

Principes omnium tribuum ponerent baculos suos in Tentorio convenitus, ac in medio eorum baculum Levi, super quo scriptum nomen Aharonis, qui florebat amygdalis (*Num.* xvii. 18-23 [*B. A.* 3-8]):

per "baculos" enim, ut dictum est, simile significatur quod per "tribus;" ac per "baculum Levi," cui inscriptum nomen Aharonis, simile quod per "tribum Levi" et quod per "Aharonem" ut Summum Sacerdotum, nempe bonum charitatis erga proximum ac bonum amoris in Dominum, per "tribum Levi" bonum charitatis et per "Aharonem Sacerdotem" bonum amoris; quapropter is baculus in medio ponebatur, et florebat amygdalis; "in medio" poni significat inde omnia (videatur supra, n. 313), et "amygdalae" significant bona vitae. Quoniam "duodecim tribus" significabant omnia ecclesiae, seu vera ex bono in omni complexu, ideo

Factum est pectorale Aharoni, quod Urim et Thummim vocabatur, ex duodecim lapidibus pretiosis, sub quibus nomina tribuum, seu duodecim filiorum Israelis (*Exod.* xxviii. 15-30; xxxix. 8-21, 29):

quod per illud responsa e caelo data fuerint, notum est, sed ex qua origine, nondum revelatum est; quare dicetur. Omnis lux in caelo angelico procedit a Domino ut Sole; quare illa lux in sua essentia est Divinum Verum, ex quo est omnis intelligentia et sapientia angelis, et quoque hominibus in rebus spiritualibus. Illa lux in caelo modificatur in varios colores secundum vera ex bono quae recipiuntur; inde est quod in Verbo "colores" ex correspondentia significant vera ex bono; quare etiam responsa dabantur per exsplendescientiam ex coloribus lapidum qui in Urim et Thummim, et simul tunc vel per vivam vocem vel per tacitam perceptionem correspondentem exsplendescientiae. Inde patet, quod "duodecim tribus," quarum nomina insculpta fuerunt, similia significant. Sed de his videantur quae in *Aranis Cœlestibus* dicta et ostensa sunt: quod nempe colores in caelo sint ex luce ibi, et quod sint ejas modificationes et variegationes secundum receptionem, n. 1042, 1043, 1053, 1062, 3993, 4530, 4922, 4742: ita quod sint apparentiae veri ex bono, ac significant talia quae sunt intelligentiae et sapientiae, n. 4530, 4922, 4977, 4996: quod colores quantum trahunt a rubro significant bonum, et quantum ex albo verum, n. 12 9497. Quod "lapides" in genere significant vera, n. 643, 1298, 3720, 6429, 8900, 10379: quod "lapides pretiosi" significant vera ex bono, ita "duodecim lapides pretiosi" omnia vera quae ex bono in ecclesia et caelo, n. 9863, 9865, 9868, 9873, 99905. Quod "pectorale judicis," quod super ephodo et Urim et Thummim vocabatur, in genere significant Verum elucens ex Divino Bono, n. 9823: quod "Urim" sit ignis lucens, ac "Thummim" exsplendescientia in lingua angelica, at integritas in lingua Hebraea, n. 9905: quod inde "Urim et Thummim" ex correspondentia significant exsplendescientiam Divini Veri ex Divino Bono in ultimis, n. 9905: quod ibi responsa data fuerint per lucis variegationes ex lapidibus pretiosis, et simul tunc per vivam vocem, vel per tacitam perceptionem, n. 3892: quod insculpta fuerint nomina duodecim tribum, quia per has significata sunt omnia vera Divina caeli et ecclesiae, n. 3858, 6335, 6440, 9863, 9865, 9873, 9874, 9905: praeter plura, n. 9863, 9864, 9866, 9891, 9895.) Quo-

niam omnis potentia est veris ex bono, seu bono per vera,  
ideo quoque

Super duobus lapidibus schoham sculpta erant nomina duodecim tribuum,  
sex super quovis, et ponebantur super binis humeris ephodi quo su-  
perindutus Aharon (cap. xxviii. 9-14; cap. xxxix. 6, 7);

per quod significabatur potentia Divini Veri ex Divino Bono,  
et inde potentia illis qui recipiunt Divinum Verum in bono  
amoris; per "lapides schoham" enim significabantur vera  
ex bono amoris, per "humeros" potentia, et per "duodecim  
tribus" omnes qui in veris ex bono sunt. (Quod omnis potentia  
sit Divino Vero ex Divino Bono, et inde potentia illis qui recipiunt, videatur supra, n.  
209, 333; et in opere *De Caelo et Inferno*, n. 228-233: quod "humeri" significant  
potentiam omnimodam, in *Arcanis Caelestibus*, n. 4931-4937, 9836.)

[b.] Quod "tribus" significant omnia ecclesiae, con-  
stare potest ex sequentibus his locis:—Apud *Matthaeum*,

"Tunc apparebit signum Filii hominis . . . , et tunc plangent omnes tribus  
terrae; et videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum  
virtute et gloria .." (xxiv. 30):

et in *Apocalypsi*,

"Ecce venit cum nubibus, et videbit Ipsum omnis oculus, et qui Ipsum  
transfixerunt, et plangent super Ipsum omnes tribus terrae" (i. 7);

per quae significatur quod Dominus in fine ecclesiae Se  
revelaturus sit in Verbo per sensum internum, ac quod  
agnituri omnes qui in veris ex bono sunt, et quod etiam  
visuri illi qui in falsis ex malo (videatur supra, n. 37-39); quod  
"plangent omnes tribus terrae" significat quod peritura  
omnia vera ex bono, et successura falsa ex malo; "tribus  
terrae" sunt omnes qui ab ecclesia, et quoque omnia eccl-  
esiae. Apud *Matthaeum*,

"Jesus dixit" discipulis, "Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis  
Me in regeneratione, quando sedebit Filius hominis super throno  
gloriae sua, sedebitis etiam vos super duodecim thronis, judican-  
tes duodecim tribus Israelis" (xix. 28):

et apud *Lucam*,

"Comedetis et bibetis super mensa mea in regno meo, et sedebitis super  
thronis judicantes duodecim tribus Israelis" (xxii. 30):

nemo haec intellecturus esset, nisi ex sensu spirituali sciret  
quid intelligitur per "apostolos," quid per "thronos," et  
quid per "tribus Israelis." Quis non scire potest quod  
non apostoli judicaturi sint, sed quod solus Dominus? quis-  
que enim judicatur secundum vitam suam, ac vitam omnium

nemo scit nisi solus Dominus, ac apostoli ne quidem vitam unius. At in sensu spirituali per "duodecim apostolos" significantur omnia vera ex bono, per "sedere super thronis" significatur judicium, et per "duodecim tribus Israelis" significantur omnes qui ab ecclesia; quare per illa verba significatur quod Dominus judicaturus sit omnes ex Divino Vero et secundum receptionem ejus in bono. Quod illa per "apostolos" et per "tribus Israclis" significantur, patet manifeste *ex his in Apocalypsi*,

Nova Hierosolyma "habebat murum magnum et altum, habentem portas duodecim, et super portis angelos duodecim, et nomina scripta quae sunt duodecim tribuum filiorum Israelis; . . . et murus habebat fundamenta duodecim, et in his nomina duodecim apostolorum Agni" (xxi. 12, 14);

per "Novam Hierosolymam" nec intelligitur aliqua nova Hierosolyma, nec per "murum" et "portas" ejus intelliguntur murus et portae, nec per "duodecim tribus" et "apostolos" duodecim tribus et apostoli; quod prorsus alia per singula significantur, patet solum *ex eo*, quod per "Novam Hierosolymam" intelligatur nova ecclesia quoad doctrinam; quare "angeli," "tribus" et "apostoli" significant talia quae novae illius ecclesiae sunt, quae omnia se referunt ad verum et ad bonum, et ad conjunctionem eorum, proinde ad vera ex bono. (Sed haec videbuntur explicata in sequentibus; in summa autem explicata sunt in opusculo *De Doctrina Novae Hierosolymae*. n. 1.) *Apud Davidem,*

"Hierosolyma aedificata est sicut urbs quae cohaeret sibi una; eo ascendunt tribus, tribus Jah, testimonium Israeli, ad confitendum nomini Jehovahe" (Ps. cxxii. [3.] 4):

per "Hierosolymam" etiam hic significatur ecclesia quoad doctrinam, quae dicitur "aedificata sicut urbs quae cohaeret sibi una," cum omnia doctrinae ejus consentientia et unanima sunt, et cum mutuo spectant Dominum ac amorem in Ipsum ab Ipso ut principium et finem: dicitur "aedificata sicut urbs," quia "urbs" significat doctrinam; vera doctrinae quae spectant, significantur per "tribus, tribus Jah;" per "tribus" significantur vera, et per "tribus Jah" vera ex bono quae a Domino; cultus inde significantur per "confiteri nomini Jehovahe." Quoniam per "Israelem" significatur ecclesia quae in veris ex bono est, ideo Israel in Verbo vocatur

“Tribus hereditatis” (*Esai.* lxiii. 17 : *Jerem.* x. 16 ; cap. li. 19 : *Psalm.* lxxiv. 2).

Et quoniam per “Aegyptum” significantur vera scientifica quae in naturali homine, et super illis fundantur vera ex bono quae sunt vera spiritualis hominis, ideo Aegyptus vocatur

“Angularis lapis tribuum” (*Esai.* xix. 13) ;

“lapis angularis” significat fundamentum (videatur supra, n. 417<sup>[b]</sup>). Et quoniam per “terram Canaanem” significatur ecclesia, et per “duodecim tribus” omnia ecclesiae, ac per unamquamvis tribum aliquod universale et essentialie ecclesiae, ideo illa terra divisa est inter tribus

(*Num.* xxvi. 5-56 ; cap. xxxiv. 17-28 : *Josuae*, cap. xv., seq.).

Etiam hoc manifeste patet apud *Ezechielem*, ubi agitur de nova terra, per quam significatur nova ecclesia a Domino instauranda, ac praedicitur et designatur quomodo illa distribuetur in hereditatem secundum duodecim tribus Israelis (cap. xlvi. 13, 20) ; quae tribus etiam quoad sua nomina recensentur (cap. xlvi. i ad fin.). Quod non duodecim tribus Israelis ibi intelligantur quae hereditatura terram, nec aliqua tribus ibi nominata, manifeste patet ; dissipatae enim sunt undecim tribus, et cum gentibus ubique commixtae, et tamen dicitur quem plagam terrae hereditatura sit tribus Dan, quam Ascher, Naphthali, Menasse, Ephraim, Reuben, Jehudah, quam Benjamin, Simeon, Isaschar, Sebulon, Gad ; ex quibus constat quod per “terram” ibi intelligatur ecclesia, ac per duodecim tribus intelligantur omnia ecclesiae, et per unamquamvis tribum aliquod universale essentialie ecclesiae. Simile est cum “duodecim tribubus” in hoc capite *Apocalypses* recensitis, quod “duodecim millia ex unaquavis tribu signarentur” et salvarentur : quod per “duodecim millia” ibi significantur omnes et omnia, videatur in praecedente articulo ; quodnam autem universale essentialie ecclesiae significatur per unamquamvis tribum, dicetur in sequentibus. Simile paene dicitur de Ecclesia apud Antiquos, quae ante Ecclesiam Israeliticam, apud *Mosen* :

“Memento dierum aeternitatis, intelligite annos generationis et generationis ; interroga patrem tuum qui indicabit tibi, seniores tuos qui dicent tibi, quum hereditatem daret Altissimus gentibus, quum separaret filios hominis, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israelis” (*Deutr.* xxxii. 7, 8) :

haec dicta sunt de ecclesiis quae fuerunt ante ecclesiam apud filios Israelis institutam (de quibus ecclesiis videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 247); Ecclesia Antiquissima quae fuit ante diluvium, quae fuit ecclesia caelestis seu ecclesia quae in bono amoris in Dominum, intelligitur per "dies aeternitatis," "quum hereditatem daret Altissimus gentibus, quum separaret filios hominis;" per "gentes" significantur qui in bono amoris sunt (videatur supra, n. 331), et per "filios hominis" qui in veris ex bono sunt (etiam supra, n. 63, 151); et Ecclesia Antiqua, quae fuit post diluvium, et fuit ecclesia spiritualis, intelligitur per "annos generationis et generationis," "cum Altissimus constituit terminos popolorum juxta numerum filiorum Israelis;" per "populos" significantur qui in bono spirituali, quod est bonum charitatis erga proximum (videatur etiam supra, n. 331), et per "numerum filiorum Israelis" significatur simile quod per "duodecim tribus," secundum quas datae sunt hereditates (ut supra, apud *Ezechielem*).

[c.] Hic duo arcana de duodecim tribubus memoranda sunt:—

- (i.) *Quod ordinationes earum repraesentaverint ordinationes societatum angelicarum in caelis; unde est quod repraesentaverint omnia ecclesiae; nam ecclesia et caelum unum agunt.*
- (ii.) *Quod repraesentatio caeli et ecclesia cadat secundum ordinem in quo nominantur; et quod primum nomen seu prima tribus sit index, ex quo determinantur illa quae sequuntur, proinde res caeli et ecclesiae cum varietate.*

(i.) *Quod ordinationes duodecim tribuum Israelis repraesentaverint ordinationes societatum angelicarum in caelis, proinde caelum, quoniam caelum ex societatibus angelicis consistit, constare potest ex eo, quod unaquaevi tribus repraesentaverit et inde significaverit aliquod universale essentiale ecclesiae, et quod duodecim tribus simul sumptae repraesentaverint omnia ecclesiae, et quod ecclesia apud filios Israelis instituta fuerit ecclesia repraesentativa; quare tota gens in duodecim tribus distributa repraesentavit ecclesiam in toto complexu, consequenter etiam caelum; nam eadem bona et eadem vera quae faciunt ecclesiam etiam faciunt caelum, seu quae faciunt caelum etiam faciunt ecclesiam* (videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 57). Ordinationes duo-

decim tribuum Israelis secundum ordinationes societatum angelicarum caeli, proinde secundum formam caeli, exstant in castrametationibus earum descriptis apud *Mosen*, quod nempe

Ad ortum castrametatae fuerint tribus Jehudae, Isascharis et Sebulonis; ad meridiem tribus Reubenis, Simeonis, Gadis; ad occidentem tribus Ephraimi, Menasses et Benjaminis; et ad septentrionem tribus Danis, Ascheris et Naphthali; ac tribus Levi in medio castrorum: quod etiam simili ordine profectae fuerint (*Num.* ii. 1 ad fin.).

Qui scit quinam sunt et quales qui in plaga orientali in caelo habitant, ac quinam et quales qui in plaga meridionali, occidentali et septentrionali, et simul qui scit quinam sunt et quales qui per unamquamvis tribum significantur, scire potest arcanum cur ad orientem castrametatae fuerint tribus Jehudae, Isascharis et Sebulonis; cur ad meridiem tribus Reubenis, Simeonis et Gadis, et sic porro; ad illustrationem solum dicetur de tribubus Jehudae, Isascharis et Sebulonis, qui castrametati ad orientem. Per "tribum Jehudae" significatur bonum amoris in Dominum, per "tribum Isascharis" significatur verum illius boni, et per "tribum Sebulonis" conjugium boni et veri, quod etiam conjugium caeleste vocatur. Illi etiam qui in orientali plaga in caelo habitant, omnes sunt in bono amoris in Dominum, et in veris ex illo bono, et inde in conjugio caelesti: similiter intelligendae sunt reliquae tribus. (Quod omnes in caelo habitent secundum quale suum in quatuor plagis, et quod plagae ibi non sint sicut plagae in mundo nostro solari, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 141-153.) Quoniam castrametationes filiorum Israelis repreäsentaverunt ordinationes societatum angelicarum in caelo, ideo Bileamus cum vidi castrametationes eorum, in spiritu vidi sicut caelum, ac prophetavit et benedixit illis; de qua re ita apud *Mosen*,

"Bileamus... direxit versus desertum facies suas, cumque tolleret oculos suos, et videret Israelem habitantem juxta tribus suas, venit super eum spiritus Dei, et edidit enuntiatum propheticum, dixitque, ....Quam bona sunt tabernacula tua, Iacob, habitacula tua, Israël; sicut valles plantantur, sicut horti juxta fluvium," etc. (*Num.* xxiv. 1-4, seq.):

quod tunc viderit castrametationes filiorum Israelis secundum tribus ordinatas ut supra, patet, nam dicitur quod "direxit facies suas versus desertum, ac viderit Israelem habitantem juxta tribus suas;" et quia tunc vidi ordinem caeli in illis, ideo venit super eum spiritus Dei, prophetavit

et dixit, "Quam bona sunt tabernacula tua, Jacob, et habitacula tua, Israel :" "tabernacula" et "habitacula" significant habitationes quales sunt in caelis, "tabernacula" habitationes illorum qui in bono amoris sunt, et "habitacula" illorum qui in veris ex illo bono; fructificationes boni et multiplicationes veri, ac inde intelligentia et sapientia, significantur per "Sicut valles plantantur, sicut horti juxta fluvium ;" nam omne bonum et inde omne verum fluit secundum formam caeli (ut videri potest ex illis quae in opere *De Caelo et Inferno*, De Forma Caeli, secundum quam Consociationes et Communicationes ibi, n. 200-212, ostensa sunt).

(ii.) *Quod repraesentatio caeli et ecclesiae cadat secundum ordinem in quo tribus nominantur; et quod primum nomen seu prima tribus sit index, ex quo determinantur omnia quae sequuntur, proinde caeli et ecclesiae cum varietate.*—Sed hoc arcanum aegre in intellectum alicujus, nisi in idea spirituali sit, cadere potest; at usque paucis dicetur. Sit pro exemplo tribus Iudeae prima tribus quae nominatur: quia per illam tribum significatur bonum amoris, inde ex bono amoris ut principio determinantur significaciones reliquarum tribuum quae sequuntur, et hoc cum varietate secundum ordinem quo nominantur (unaquaevis enim tribus aliquod universale ecclesiae significat, ac universale admittit in se varietates specificas, ita illam a primo a quo descendit); quare omnia ibi in serie trahunt ex bono amoris, quod significatur per "tribum Iudeae," suum sensum spiritualem in specie. Si tribus Reubenis primo loco nominatur, per quam significatur verum in luce ac intellectus veri, inde trahunt reliquae tribus, quae sequuntur, significaciones concordantes et coincidentes cum universalis quod quaelibet significat. Hoc comparative se habet sicut colores, qui tincti apparent a colore primo, qui se diffundit in reliquias et variegat facies. Ex his intellectis constare potest unde erat quod responsa ad quamcunque rem data fuerint per Urim et Thummim; erat enim exsplendescens per lapides pretiosos ab origine coloris ex illo lapide sub quo aliqua tribus, ex qua determinatio incepit; colores etiam lapidum istorum correspondebant universalibus significatis per tribus inscriptas. Qui hoc scit, et simul universale quod unaquaevis tribus significat, percipere aliquantum potest, si in illustratione spirituali est, quid sig-

nificant tribus in sua serie in qua in Verbo nominantur; ut quid significant in serie qua nati sunt, in qua hoc ordine sequuntur,

Reuben, Simeon, Levi, Jehudah, Dan, Naphthali, Gad, Ascher, Isaschar, Sebulon, Joseph, Benjamin (*Gen. cap. xxix. et xxx. ; tum xxxv. 18*):

quid significant in serie dum profecti sunt in Aegyptum, in qua hoc ordine recensentur,

Reuben, Simeon, Levi, Jehudah, Isaschar, Sebulon, Gad, Ascher, Joseph, Benjamin, Dan, Naphthali (*Gen. xlvi. 9-21*):

quid significatur per illas in serie in qua benedicuntur a Patre Israele, ubi nominantur in hoc ordine,

Reuben, Simeon, Levi, Jehudah, Sebulon, Isaschar, Dan, Gad, Ascher, Naphthali, Joseph, Benjamin (*Gen. xl ix*):

aliter cum benedicuntur a Mose, in hoc ordine,

Reuben, Jehudah, Levi, Benjamin, Joseph, Ephraim, Menasse, Sebulon, Gad, Dan, Naphthali, Ascher (*Deutr. xxxiii.*),

ubi desunt Simeon et Isaschar, ac loco eorum sunt Ephraim et Menasse: et quid significatur per illas tribus in serie alibi

(Ut *Gen. xxxv. 23-26*; *Num. i. 5-16*; *cap. vii. 1 ad fin.*; *cap. xiii. 4-15*; *cap. xxvi. 5-56*; *cap. xxxiv. 17-28*; *Deutr. xxvii. 12, 13*; *Josuae. cap. xv. ad cap. xix. ; et Ezech. xlvi. 1 ad fin.*).

(Quod duodecim tribus varia significant secundum ordinem in quo nominantur, ac ita quoque omnia caeli cum varietate, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 3862, 3926, 3939, 4603, seq., 6337, 6640, 10335.) Quid autem significant in serie in qua nominantur in nunc sequentibus in hoc capite *Apocalypses*, infra dicetur; nominantur enim hoc ordine, Jehudah, Reuben, Gad, Ascher, Naphthali, Menasse, Simeon, Levi, Isaschar, Sebulon, Joseph, Benjamin; ac praetereuntur seu non nominantur Dan et Ephraim.

#### VERSUS 5.

**432.** "Ex tribu Jehudae duodecim millia signati: ex tribu Reubenis duodecim millia signati: ex tribu Gadis duodecim millia signati."

5. "*Ex tribu Jehudae duodecim millia signati*," significat amorem in Dominum, et quod omnes qui in illo sunt, in caelo sint et in caelum veniant [n. 433]; "*ex tribu Reubenis duodecim millia signati*," significat lucem veri ex illo bono, et quod omnes qui in illa sunt, in caelo sint et in caelum veniant [n. 434]; "*ex tribu Gadis duodecim millia signati*," significat bonum vitae inde [n. 435, 436].

**433[a].** [Vers. 5.] “*Ex tribu Jehudae duodecim millia signati.*”—Quod significet amorem in Dominum, et quod omnes qui in illo sunt, in caelo sint et in caelum veniant, constat ex repraesentatione et inde significatione Jehudae et ejus tribus, quod sit amor in Dominum (de qua sequitur); ex significatione “duodecim millium,” quod sint omnes et omnia (de qua supra, n. 430); hic omnes qui in illo amore sunt: et ex significatione “signatorum,” quod sint qui distincti et separati ab illis qui in malo sunt, proinde illi qui in bono (de qua etiam supra, n. 427[a])); quod sint illi qui in caelo sunt et in caelum veniunt, sequitur, illi enim “signabantur in frontibus,” hoc est, separabantur a malis; illi enim sunt de quibus dicitur in capite xiv. *Apocalypses*,

“Agnus stans super monte Sionis, et cum Eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen Patris scriptum in frontibus suis:.... hi sunt qui cum mulieribus non polluti sunt, virgines enim,...empti de hominibus, primitiae Deo et Agno” (vers. 1, 3, 4):

per “montem Sionis” significatur caelum ubi est amor in Dominum; nam omnes qui significantur per “duodecim millia ex unaquavis tribu,” seu per “centum quadraginta quatuor millia, signatos in frontibus,” sunt qui agnoscunt Dominum et amant Ipsum: quare prima tribus quae nominantur est tribus Jehudae, et per illam tribum significatur amor in Dominum; nam (ut supra, n. 431[c] dictum est) repraesentatio caeli cadit secundum ordinem in quo tribus nominantur; et primum nomen seu prima tribus nominata est ex qua determinationes et significationes sequentium cum varietate fluunt. Praeterea in caelum nemo admittitur nisi a Domino, nam universum caelum est Ipsius; quare nemo ibi est et illuc venit, nisi qui agnoscit Ipsum et amat Ipsum. Amare Ipsum non est amare Ipsum quoad Personam, sed vivere secundum praecepta Ipsius, ut quoque Dominus apertis verbis docet apud *Johannem*,

“In illa die cognosctis quod Ego in Patre meo, et vos in Me et Ego in vobis: qui habet praecepta mea et facit illa, ille est qui amat Me: ....si quis amaverit Me, verbum meum servat; et Pater meus amat illum, et ad illum veniemus et mansionem apud illum faciemus: qui non amat Me, verba mea non servat” (xiv. 20, 21, 23, 24):

quod illi ament Dominum qui faciunt et servant praecepta et verba Ipsius, est quia praecepta et verba Ipsius significant Divina vera, et omne Divinum Verum procedit ab Ipso, ac quod procedit ab Ipso hoc Ipse est; quare cum

homo est in illo quoad vitam, tunc Dominus est in illo et ille in Domino; unde dicitur, "Vos in Me et Ego in vobis," et quod "venturus et mansionem apud illum facturus;" hoc itaque est amare Ipsum. Amare etiam est conjungi, nam amor est conjunctio spiritualis, et conjunctio fit per receptionem Divini Veri doctrina et vita. Antequam ex Verbo ostenditur quod per "Jehudam," seu per tribum a Jehudah nominatam, significetur amor in Dominum, dicetur quid "Jehudah" in omni sensu in Verbo significat. "Jehudah" significat in sensu supremo Dominum quoad amorem caelestem; in sensu interno regnum caeleste Domini, et Verbum; et in sensu externo doctrinam e Verbo quae est regni caelestis: et quia significat in supremo sensu Dominum quoad amorem caelestem, et in sensu interno regnum caeleste, etiam significat amorem in Dominum, nam hic amor est reciprocus apud hominem, et regnat in regno caelesti Domini. Sunt duo regna in quae universum caelum distinctum est, regnum caeleste et regnum spirituale; regnum caeleste consistit ex illis qui in amore in Dominum sunt, et regnum spirituale ex illis qui in amore erga proximum sunt: inde patet quid intelligitur per amorem caelestem et per amorem spiritualem. (Sed de his regnis videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 20-28.) Haec duo regna repraesentabant Judaei et Israelitae, Judaei regnum caeleste et Israelitae regnum spirituale. Quod "Jehudah" etiam significet Verbum, est quia Dominus est Verbum; et Humanum assumpsit in illa tribu ut quoad Humanum quoque esset Verbum; secundum haec apud *Johannem*,

"In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: . . . et Verbum Caro factum est, et habitavit inter nos" (i. 1, 14):

"Verbum" significat Dominum quoad Divinum Verum procedens ex Divino Amore Ipsius; inde est quod qui amant Divinum Verum quod in Verbo, faciendo illud, in Domini amore sint. Quod Dominus quoad amorem caelestem, et inde amor in Dominum, et quoque Verbum, per "Jehudam" significetur, constare potest ex sequentibus locis:—Apud *Mosen*,

"Jehudah tu, celebrabunt te fratres tui; manus tua in cervice hostium tuorum: incurvabunt se tibi filii patris tui. Catulus leonis Jehudah; a praeda, fili mi, ascendisti: curvavit se, cubuit sicut leo, et

sicut leo vetulus ; quis suscitabit eum ? Non removebitur sceptrum a Iehudah, et legislator ab inter pedes ejus, usque dum venit Schiloh, et Ei obedientia populorum : alligat ad vitem asellum suum, et ad vitem praestantem filium asinae suae : lavat in vino vestimentum suum, et in sanguine uavarum velamen suum : ruber oculis a vino, et albus dentibus a lacte" (*Genes.* xlix. 8-12) :

describitur hic per "Jehudam" in sensu spirituali regnum caeleste Domini, ac Ipse Dominus quoad amorem caelestem ; amor caelestis est amor Domini receptus in regno caelesti, et amor spiritualis est amor Domini receptus in regno spirituali. Sequentia per ea verba significantur : "Celebrabunt te fratres tui" significat quod ecclesia caelestis prae reliquis eminens sit, "fratres" enim seu tribus nominatae a filiis Jacobi, qui fuerunt fratres ejus, significant ecclesiam : "manus tua in cervice hostium tuorum" significat quod infernalis et diabolica turba expelletur et detinebitur ; "hostes" sunt illi qui ab inferno : "incurvabunt se tibi filii patris tui," significat quod vera omnia ecclesiae se submittent ; "incurvare" est se submittere, ac "filii patris" ejus sunt omnia vera ecclesiae ; nam illis qui in amore in Dominum sunt et inde in regno caelesti omnia vera ecclesiae insita sunt : "catulus leonis Jehudah" significat innocentiam cum viribus innatis ; amor enim in Dominum in se spectatus est innocentia, haec significatur per "catulum," et vires ei innatae per "leonem :" "a praeda, fili mi, ascendisti," significat liberationem plurium ab inferno ; "curvavit se, cubuit sicut leo, et sicut leo vetulus," significat bonum amoris et verum inde in sua potentia, nam "curvare se," cum de leone, est mittere se in potentiam : "quis suscitabit eum" significat quod tutus sit ubique est, nec dimoveri possit ab infernis : "non removebitur sceptrum a Iehudah" significat quod non potestas recedet a bono amoris caelestis ; "et legislator ab inter pedes ejus" significat quod nec vera Verbi a sensu ultimo ejus ; "usque dum venit Schiloh" significat adventum Domini, et tunc tranquillum pacis ; "et Ei obedientia populorum" significat vera ab Ipso, et conjunctionem per illa : "alligat ad vitem asellum suum" significat ecclesiam externam et ejus vera a Domino ; "et ad vitem praestantem filium asinae suae" significat ecclesiam internam et ejus vera a Domino : "lavat in vino vestimentum suum" significat Humanum Domini externum seu naturale quod Divinum Verum ex

Divino Amore Ipsius;" et in sanguine uarum velamen suum" significat Humanum Domini internum seu rationale quod Divinum Bonum ex Divino Amore Ipsius: "ruber oculis prae vino" significat quod Humanum internum seu rationale non sit nisi Bonum; "et albus dentibus a lacte" significat [quod] Humanum externum seu naturale non sit nisi Bonum Veri. Ex singulis in descriptione illa constare potest quod per "Jehudam" non intelligatur Judah, sed aliquod eminens caeleste, quod ita describitur. (Sed illa singulatim explicata videantur in *Arcanis Caelestibus*, a n. 6363 ad [1]6381.)

[b.] Apud Ezechielem,

"Tu fili hominis, sume tibi lignum unum, et scribe super illud, Jehudae et filiis Israelis et sociis ejus: deinde sume lignum unum, et scribe super illud, Josephi, lignum Ephraim et omnis domus Israelis....; postea conjunge illa, unum cum altero tibi in lignum unum, ut sint unum ambo in manu <sup>[2]</sup>mea. ....Ego accepturus lignum Josephi quod in manu Ephraimi et tribuum Israelis sociorum ejus, et adducam super illo cum ligno Jehudae, et faciam eos in lignum unum.... ....Ego accepturus filios Israelis ab inter gentes quo abiverunt, et congregabo eos a circuitu, et adducam eos super terram suam, et faciam eos in gentem unam super terra in montibus Israelis, et Rex unus erit omnibus illis in Regem; neque erunt amplius duae gentes, neque dividentur amplius in duo regna iterum; ....servus meus David Rex super eos, ut Pastor unus sit omnibus illis, utque in judiciis meis ambulent, et statuta mea custodiant, ac faciant ea; tunc <sup>[3]</sup>habitabunt super terra, quam dedi servo meo Jacobo, in qua habitarunt patres vestri, et habitabunt super illa illi et filii eorum, et filii filiorum eorum usque in aeternum, et David Servus meus Princeps illis in aeternum; et pangam illis foedus pacis, foedus aeternitatis erit cum illis, et dabo eos, et multiplicabo eos, et ponam sanctuarium meum in medio eorum in aeternum; sic erit habitaculum meum apud illos, et ero illis in Deum, et illi erunt Mihi in populum" ([4]xxxvii. 16, 17, 19, 21, 22, [24,] 25-27);

quid haec significant nemo scire potest si non sciat quid "Jehudah" et "Israel," et quid "Joseph" et "Ephraim" significant: quod non Jehudah et Israel, nec Joseph et Ephraim, patet; nam dicitur quod "tribus Israelis dispersae inter gentes congregarentur et adducerentur super terram Canaanem," quodque "David erit rex et princeps illorum," et quod "cum Illo habitaturae in aeternum;" quis non scit quod tribus Israelis non congregari possint, et quod David non amplius erit rex super illis? Quare sciendum est, quid in sensu spirituali significatur per "Jehudam," quid per "filios Israelis," tum quid per "Josephum" et "Ephraimum," et porro quid per "Davidem," et quid per "terram Canaanem." Per "Jehudam" in sensu spirituali significatur regnum caeleste Domini, per "filios Israelis" regnum

spirituale Domini; per "Josephum" et "Ephraimum" ac per "tribus Israelis dispersas et congregandas" intelliguntur illi qui infra illa regna sunt, quia non caelestes nec spirituales, sed naturales, et usque in bono vitae secundum religiosum suum: hi etiam sunt qui intelliguntur a Domino apud *Johannem*,

"Etiam alias oves habeo, quae non sunt ex ovili hoc; etiam illas oportet Me adducere, et vocem meam audient, et fiet unus grex, unus Pastor" (*x. 16*);

hi enim in caelo non fuerunt ante adventum Domini, sed ab Ipso introducti postquam glorificavit Humanum suum: causa erat, quia Divinum procedens non prius ad illos extendi potuit. Qui haec scit, et quod per "Davidem" intelligatur Dominus quoad Divinum Verum procedens ex Divino Humano Ipsius, scire potest singula ibi in serie. Quod illa "scriberentur super duobus lignis," et quod duo illa ligna "conjungerentur in unum lignum," erat quia per "lignum" significatur bonum vitae, et omnis coniunctio in caelo fit per bonum, et secundum id. (Quod "lignum" significet bonum vitae, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 643, 2784, 3720, 8354.) Apud *Esaiam*,

Dominus cum "tollet signum gentibus, et congregabit expulsos Israelis, et dispersa Iudea colligit a quatuor alis terrae: tunc recedet aemulatio Ephraimi, et hostes Iudea exciduntur; Ephraim non aemulabitur cum Iudeah, et Iudeah non angustabit Ephraimum: sed involabunt in humerum Philisthaeorum versus mare" (*xi. 12-14*):

haec dicta sunt de salvatione gentium, quae etiam significantur per "expulsos Israelis" et "dispersa Iudea," dicitur enim quod Dominus "tollet signum gentibus;" per "expulsos Israelis" intelliguntur qui non [in] veris sunt sed usque in desiderio discendi illa, et per "dispersa Iudea" intelliguntur qui in bono vitae et per id in amore in Dominum; nam qui amant facere bonum illi amant Dominum, Dominus enim est in illo bono quia id est ab Ipso: per "Ephraimum" intelligitur intellectuale hic concordans cum bono amoris; quod unum non discordabit cum altero, intelligitur per "Tunc recedet aemulatio Ephraimi, Ephraim non aemulabitur cum Iudeah, et Iudeah non angustabit Ephraimum:" quod separabuntur ab illis qui in fide separata a charitate sunt, significatur per quod "involabunt in humerum Philisthaeorum versus mare;" "Philisthaei versus mare" sunt

qui separant fidem a charitate seu a bono vitae; "mare" est ultimum cacli ubi desinit, ac "involare in humerum" est rejicere et sic se separare. Apud *Sachariam*,

"Exulta, filia Zionis, clange, filia Hierosolymae; ecce Rex tuus venit tibi, justus et fidelis Ille: . . . tendam Mihi Jehudam, arcum implebo Ephraimum, et excitabo filios tuos, Sion" (ix. 9, 13):

haec de adventu Domini et de instauratione ecclesiae ab Ipso apud illos qui in bono amoris et in veris doctrinae inde sunt: "filia Sionis" et "filia Hierosolymae" significat ecclesiam quae apud illos; "Rex tuus" qui "venit justus et fidelis" est Dominus ex quo bonum amoris et verum doctrinae: "tendam Mihi Jehudam, arcum implebo Ephraimum," significat quod ecclesia instauranda sit apud illos qui in bono amoris in Dominum sunt, et in veris doctrinae inde; per "Jehudam" hic intelliguntur qui in bono amoris in Dominum sunt, et per "Ephraimum" vera doctrinae; "Ephraim" enim significat intellectuale ecclesiae, et "arcus" doctrinam veri; (quod "arcus" significet doctrinam, videatur supra, n. 357<sup>[a]</sup>, ubi etiam haec explicata sunt;) "filii Sionis" sunt illi. Quod non gens Judaica per "Jehudam" ibi intelligatur, nec Ephraim per "Ephraimum," patet; nam ecclesia Domini non instaurata est quia non recepta apud gentem Judaicam, et tribus Ephraimi tunc non erat. Apud eundem,

"Visitabit Jehovah Zebaoth gregem suum, domum Jehudae, et ponet eos sicut equum gloriae suae in bello; ex illo angularis, ex illo clavus, ex illo arcus belli: . . . potentem reddam domum Jehudae, et domum Josephi servabo, et habitare faciam eos; . . . hinc erunt sicut potens Ephraim, et laetabitur cor eorum sicut vino" (x. 3, 4, 6, 7):

per "domum Jehudae" etiam hic intelligitur regnum caeleste Domini, quod consistit ex illis qui in amore in Ipsum sunt, et per "Ephraimum" intelliguntur qui in veris doctrinae inde sunt; nam omnes qui in regno caelesti Domini sunt, in veris doctrinae sunt, vera enim habent sicut insita et cordibus inscripta. (Videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 25, 26; reliqua videantur explicata supra, n. 355<sup>[f]</sup>, 376<sup>[d]</sup>). Apud eundem,

"Jubila et laetare, filia Sionis; ecce Ego veniens ut habitem in medio tui . . . tunc adhaerebunt gentes multae Jehovah in die illo, et erunt Mihi in populum; . . . Jehovah hereditatem Sibi faciet Jehudam, portionem suam super terra sanctitatis, et eligit iterum Hierosolymam" (ii. 14-16 [B. A. 10-12]):

quod hic per "Jehudam" non gens Judaica intelligatur, nec per "Hierosolymam" Hierosolyma, manifeste patet, nam

agitur ibi de adventu Domini, quando gens illa prorsus recessit, ac Hierosolyma dein destructa fuit; et tamen dicitur quod "Jehovah hereditatem Sibi faciet Jehudam, et portionem suam super terra sanctitatis, et eligit iterum Hierosolymam;" quare per "Jehudam" intelliguntur illi qui in amore in Dominum sunt, et per "Hierosolymam" intelligitur ecclesia quoad doctrinam apud illos. Apud *Nahum*,

"En super montibus pedes evangelizantis, proclamantis pacem; feriare Jehudah festa tua, redde vota tua, quia non addet amplius per te transire belial, omnis exscindetur" (ii. 1 [*B. A.* i. 15]):

etiam haec de Domino; adventus Ipsius intelligitur per "En super montibus pedes evangelizantis, proclamantis pacem;" per "feriari festa," et "reddere vota," significatur ex adventu Ipsius gaudere, et tunc colere Ipsum; per quod "non addet amplius transire per Jehudam belial, omnis exscindetur," significatur quod non malum apud illos, quia in Domino; haec non dici potuerunt de gente Judaica, sed de illis qui in amore in Dominum sunt; unde patet quod hi per "Jehudam" intelligentur. Apud *Malachiam*,

"Ego mitto angelum meum, qui parabit viam ante Me; et subito veniet ad Templum suum Dominus:....tunc suavis erit Jehovahe minchah Jehudae et Hierosolymae, juxta dies saeculi et juxta annos priores" (iii. 1, 4):

quod haec dicta sint de adventu Domini, et quod per "angelum qui parabit viam ante Ipsum" intelligatur Johannes Baptista, notum est in ecclesia: quod tunc "suavis erit Jehovahe minchah Jehudae et Hierosolymae" significat quod tunc acceptus erit cultus ex bono amoris in Dominum: "minchah Jehudae" illum cultum significat; quod non acceptus fuerit cultus gentis Judaicae et Hierosolymae, constat, nam non agnoverunt Dominum, sed Ipsum prorsus reprobaverunt: "juxta dies saeculi et juxta annos priores" significat juxta cultum in ecclesiis antiquis; Antiquissima Ecclesia quae ante diluvium et in amore in Dominum, intelligitur per "dies saeculi" seu "aeternitatis," et Ecclesia Antiqua quae post diluvium, quae fuit ecclesia spiritialis, intelligitur per "annos priores."

[c.] Apud *Joelem*,

"Fiet in die illo stillabunt montes mustum, et colles fluent lacte, et omnes rivi Jehudae fluent aquis; et fons e domo Jehovahe exibit et irriga-

bit flumen schittim : Aegyptus in vastitatem erit, et Edom in desertum vastitatis, propter violentiam filiorum Jehudae, quorum fuderunt sanguinem innocentem in terra sua : at Jehudah in aeternum sedebit, et Hierosolyma in generationem et generationem" (iv. [B. A. iii.] 18-20) :

agitur etiam ibi de adventu Domini, ac de novo caelo et de nova terra tunc ; et per quod "montes stillabunt mustum" significatur quod ex bono amoris omne verum ; (quod "montes" significant bonum amoris, videatur supra, n. 405<sup>[a-f]</sup>, et quod "vinum et mustum" significet verum, etiam supra, n. 376<sup>[a-f]</sup>) : per quod "colles fluent lacte" significatur quod ex bono charitatis erga proximum vita spiritualis ; et per quod "omnes rivi Jehudae fluent aquis" significatur quod ex singulis Verbi vera per quae intelligentia : per quod "fons e domo Jehovahe exibit et irrigabit flumen schittim" significatur quod ex caelo a Domino verum doctrinae, quod illustrabit illos qui in cognitionibus et scientiis sunt : "Aegyptus in vastitatem erit, et Edom in desertum vastitatis," significat quod principia falsa et mala amoris sui, utraque ex naturali homine, destruantur ; "propter violentiam filiorum Jehudae, quorum fuderunt sanguinem innocentem in terra sua," significat propter falsificata vera et adulterata bona Verbi, quae corruperunt et destruxerunt ; "Jehudah in aeternum sedebit, et Hierosolyma in generationem et generationem," significat quod Verbum et inde doctrina genuini veri permanstra sint in aeternum apud illos qui in amore in Dominum sunt. Inde etiam patet quod non Jehudah per "Jehudam" nec Hierosolyma per "Hierosolymam" ibi intelligatur. Apud eundem,

"Tyre et Zidon, et omnes termini Philisthaeorum, . . . cito reducam retributionem in caput vestrum, propterea quod argentum meum et aurum meum sumpsisti, et desiderabilia bonorum meorum intulisti in templo vestra; et filios Jehudae et filios Hierosolymae vendidistis filiis Graecorum, ut longe removeritis eos a terminis eorum" (iv. [B. A. iii.] 4-6) :

per "Tyrum" et "Zidonem" ac per "Philisthaeos" intelliguntur qui falsificaverunt vera et bona Verbi ; "argentum meum et aurum meum" significant vera et bona illa ; et "inferre illa in templo sua" significat illa falsificare et profanare : "filios Jehudae et filios Hierosolymae vendere filiis Graecorum" significat pervertere et falsificare omnia vera et bona Verbi ; "filii Jehudae" sunt bona Verbi, "filii Hierosolymae" sunt vera ejus, et "filii Graecorum" sunt

falsa ; "longe removere illos a terminis illorum" significat procul ab ipsis veris. Qui non scit sensum spiritualem Verbi, credere potest quod illi qui in Tyro et Zidone et in Philistaea erant vendiderint filios Jehudae et Hierosolymae ad Graecos ; sed est propheticum, in quo gentes quae nominantur significant res ecclesiae. Apud *Jeremiam*,

"In diebus illis ibunt domus Jehudae et domus Israelis, et venient una e terra septentrionis super terram quam hereditare feci patribus vestris" (iii. 18) :

haec etiam de adventu Domini, et de nova ecclesia ab Ipso ; adventus Ipsius intelligitur per "in diebus illis," et nova ecclesia per "domum Jehudae et domum Israelis," ecclesia quae ex illis qui in amore in Dominum sunt per "domum Jehudae," et ecclesia quae ex illis qui in charitate erga proximum sunt, et vocatur ecclesia spiritualis, per "domum Israelis :" quod "venient una e terra septentrionis super terram quam hereditare feci patribus vestris" significat quod ex ignorantia et ex falsitatibus in quibus tunc, in cognitiones et in lucem veri quae ecclesiae, venturi sint ; "terra septentrionis" significat statum ignorantiae et falsum religionis ; "terra quam hereditarunt patres" significat ecclesiam quae in cognitionibus et in luce veri. Haec dicta sunt de gentibus, ex quibus nova ecclesia instauranda ; quod non domus Jehudae, nec domus Israelis tunc, nempe cum fuit Dominus in mundo, e terra septentrionis venerit, notum est ; Judaei enim tunc erant in terra Canaane, et Israelitae erant dispersi. Apud eundem,

"Ecce dies venientes, . . . cum suscitaro Davidi Germen justum, qui regnabit Rex et prosperabitur, et faciet judicium et justitiam in terra : in diebus Ipsius salvabitur Jehudah, et Israel habitabit secure ; et hoc nomen Ipsius quod vocabunt Ipsum, Jehovah Justitia nostra" (xxiii. 5, 6; cap. xxxiii. 15, 16) :

manifeste hic de Domino, qui est "Germen Davidis," et qui "regnabit Rex," et qui vocabitur "Jehovah Justitia nostra :" quod "in diebus Ipsius salvabitur Jehudah, et Israel habitabit secure," significat quod salvandi qui in amore in Ipsum et in charitate erga proximum sunt (*ut sup*r*i*). Quod non Jehudah salvatus sit, nec quod Israel revocatus aut revocari potuerit, ut habitaret secure, hoc est, absque infestatione a malis et falsis, constat. Apud eundem,

"Reducam Israelem ad habitaculum illius, ut pascat in Carmele et Ba-

schane, ac in monte Ephraimi et Gileade saturetur anima ejus : in diebus illis et in tempore illo . . . . quaeretur iniquitas Israelis et peccata Jehudae, et non invenientur" (l. 19, 20) :

etiam haec de instauratione ecclesiae a Domino apud gentes, quae per "Israelem qui reducetur ad habitaculum suum," similiter per "Jehudam cujus peccata non invenientur," intelliguntur; quod ducendi a Domino ac instruendi in bono charitatis, intelligitur per quod "pascent in Carmele et Baschane, et in monte Ephraimi et Gileade." Apud *Sachariam*,

"In die illo . . . . percutiam omnem equum stupore, et equitem ejus amentia, et super domum Jehudae aperiam oculum meum: . . . . in die illo ponam duces Jehudae sicut fornacem ignis in lignis, et sicut facem ignis in manipulo, ut comedant ad dextram et ad sinistram omnes populos circumcirca, ut habitet amplius Hierosolyma sub se in Hierosolyma; servabit Jehovah tentoria Jehudae primo" (xii. 4, 6, 7):

agitur ibi de devastatione ecclesiae prioris, et de instauratione ecclesiae novae a Domino; devastatio ecclesiae prioris describitur per "In die illo percutiam omnem equum stupore et equitem amentia;" per "equum" enim significatur intellectus veri apud hominem, et per "equitem" intelligentia (videatur supra, n. 355): per "domum Jehudae" significatur ecclesia apud illos qui in bono amoris in Dominum sunt; de illa dicitur quod Dominus "super illam aperiet oculum suum:" quod mala quae ab inferno dispergentur ab illis et apud illos, et quoque falsa, significatur per quod "ponet duces Jehudae sicut fornacem ignis in lignis, et sicut facem ignis in manipulo, ut comedant ad dextram et ad sinistram omnes populos circumcirca :" quod ecclesia illa tuta erit ab infestatione malorum et falsorum, significatur per quod "habitabit Hierosolyma sub se in Hierosolyma;" et quod Dominus omnino salvabit illos qui in amore in Ipsum sunt, significatur per quod "Jehovah servabit tentoria Jehudae primo." Apud *Esaiam*,

"Verbum" Jehovah "super Jehudam et Hierosolymam: Fiet in posteritate dierum stabilis erit mons Jehovah in caput montium, et elatus prae collibus; et confluent ad eum omnes gentes; et ibunt populi multi, et dicent, Ite et ascendemus ad montem Jehovah, ad domum Dei Jacobi, qui docebit nos de viis suis, et eamus in semitis ejus" (ii. 1-3):

haec quoque dicta sunt de nova ecclesia a Domino; per "montem Jehovah," qui tunc stabilis et in caput montium,

intelligitur Sion, et significatur ecclesia caelestis, et amor in Dominum qui est illis qui ab ea ecclesia; quod hoc ecclesiae primarium sit, crescat et vires sumet, significatur per quod “erit in caput montium et elatus prae collibus;” quod illi qui in bono sunt agniti sint Dominum et accessori ad ecclesiam, significatur per “confluent ad eum montem omnes gentes;” “gentes” significant illos qui in bono caelesti sunt, quod est bonum amoris in Dominum, ac “populi” qui in bono spirituali sunt, quod est bonum charitatis erga proximum; de his dicitur “Ibunt populi multi et dicent, Ite et ascendemus ad montem Jehovae, ad domum Dei Jacobi.” (Quod “gentes” significent illos qui in bono caelesti sunt, ac “populi” illos qui in bono spirituali, videatur supra, n. 331.) Apud eundem,

“Jehovah Redemptor tuus, et Formator tuus ab utero, . . . stabiliens verbum servi sui, et consilium legatorum suorum perficit, dicens Hierosolymae, Habitaberis; et urbibus Jehudae, Aedificabimini; et vastitates ejus erigam” (xliv. 24, 26):

agitur etiam ibi de adventu Domini, qui est “Jehovah Redemptor tuus, et Formator tuus ab utero;” “Redemptor” dicitur ex eo quod liberaverit ab inferno, et “Formator ex utero” ex eo quod regeneret hominem: praedictio a prophetis de Ipso et de salvatione hominum intelligitur per “stabiliens Verbum servi sui et consilium legatorum suorum perficit:” quod illi salvandi qui ab ecclesia Ipsius sunt, et quod illi instruendi in veris doctrinae caelestis, intelligitur per “dicens Hierosolymae, Habitaberis; et urbibus Jehudae, Aedificabimini;” “Hierosolyma” est ecclesia, et “urbes Jehudae” sunt vera doctrinae caelestis: quod falsitates, quae destruunt ecclesiam, discutientur, intelligitur per “Vastitates ejus erigam.” Quod a Domino non dictum sit quod Hierosolyma habitaretur, et quod urbes Jehudae aedificantur, sed quod Hierosolyma destrueretur, quod etiam factum, notum est. Apud eundem,

“Producam ex Jacobo semen, et ex Iudeah heredem montium meorum, ut possideant eum electi, et servi mei habitent ibi” (lxv. 9):

hic per “Jacobum” et per “Jehudam” non intelligitur populus ex Jacobo et gens ex Iudeah, sed ecclesia a Domino instauranda; per “Jacobum” ecclesia quae in bono vitae, et per “Jehudam” ecclesia quae in bono amoris in Dominum; ita per “Jacobum” ecclesia externa, et per “Jehudam” ecclesia interna: per “semen” intelligitur caritas

et fides, et per "montes" intelliguntur bona amoris: illi qui in charitate sunt, vocantur "electi;" et illi qui in veris ex bono amoris, vocantur "servi;" quare dicitur "ut possideant eum electi, et servi mei habitent ibi." Apud *Ezechielem*,

"Jehudah et terra Israelis fuerunt negotiatores tui in triticis minnith et pannag, et melle, et oleo et balsamo, dederunt negotiationem tuam" (xxvii. 17):

haec dicta sunt de Tyro, per quam significatur ecclesia quoad cognitiones veri et boni, inde etiam per "Tyrum" significantur cognitiones veri et boni quae ecclesiae; agitur ibi de mercaturis et negotiationibus ejus, per quas describitur quomodo cognitiones illae comparantur, hic quaenam comparantur ex Iudea et ex terra Israelis; et quia per "Jehudam" significatur bonum amoris, et per "Israelem" verum ex illo bono, ideo dicuntur negotiationes ejus esse "in triticis minnith et pannag, et in melle et in oleo et in balsamo," quia per "tritica minnith et pannag" significantur vera et bona ecclesiae omnis generis, per "mel" bonum amoris in naturali homine, per "oleum" bonum amoris in spirituali homine, et per "balsamum" vera quae ex bono grata sunt. (Videatur supra, n. 375, ubi haec amplius explicata sunt.) Ex mercaturis in eo capite memoratis, et in sensu spirituali intellectis, manifeste patet quid per varias gentes ibi memoratas significatur, ita quid per "Jehudam" et per "Israelem;" mercaturaem enim ibi indicant.

[d.] Quod per "Jehudam" non intelligatur gens Judaica, constare etiam potest apud *Ezechielem* (cap. xlviij.), ubi agitur de nova terra quae distribuenda erit inter duodecim tribus Israelis, quae tribus etiam ibi nominantur, et quam partem terrae unaquaevis possessura est; et ibi multum de tribu Iudeae, et quod Sanctuarium in medio ejus (vers. 8-22); ex quibus manifeste patet quod per "tribus" ibi nominatas non intelligantur tribus illae, fuerunt enim undecim dispersae, ac factae gentes, a quibus non dignoscuntur, fuerunt enim in perpetuum exilium abductae: tum etiam patet quod per "terram" ibi non intelligatur terra sed ecclesia, proinde per "tribus" ibi nominatas talia quae sunt ecclesiae, ac per "Jehudam" ibi ecclesia caelestis seu ecclesia quae in amore in Dominum, in qua idcirco est Sanctuarium. Simile per "Jehudam" et "Israelem" intel-

ligitur apud *Duidem*,

"Factus est Jehudah in sanctum, et Israel in dominia Ipsius" (Ps. cxiv. 2):

"sanctum" significat in supremo sensu Ipsum Dominum, ac in respectivo cultum Ipsius ex bono amoris; per "Israelem" significatur verum ecclesiae ex illo bono; et quia omnis potentia est veris ex bono, seu bono per vera, ideo dicitur quod "Israel factus sit in dominia Ipsius." Quoniam per "Jehudam" significatur regnum caeleste Domini, et per "Israelem" regnum spirituale Domini (ut supra dictum est), et regnum caeleste est quod constituit sacerdotium Domini in caelo, et regnum spirituale quod constituit regnum Domini (videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 24, 226), inde est quod Dominus in Verbo dicatur "Rex," et apud *Evangelistas*,

"Rex Iudeorum" (*Matth.* ii. 2: *Joh.* xviii. 33, 37; *cap. xix.* 19):

et per Dominum ut "Regem Iudeorum" intelligitur Dominus quoad Divinum Verum procedens ex Divino Bono Divini Amoris Ipsius; inde "reges" in Verbo significant vera quae ex bono (videatur supra, n. 31). Apud *Jeremiam*,

"Ecce dies venientes,....quibus seminabo domum Israelis et domum Jehudae semine hominis et semine bestiae;....et quibus pangam cum domo Israelis et cum domo Jehudae foedus novum:....hoc foedus quod pangam cum domo Israelis post dies hos,....dabo legem meam in medio eorum, et super cor eorum scribam illam, et ero illis in Deum, et erunt Mihi in populum" (xxxii. 27, 31, 33, 34):

per "dies venientes" etiam hic intelligitur adventus Domini; quare non intelligitur quod novum foedus tunc pangeretur cum domo Israelis et cum domo Jehudae, sed cum nova ecclesia a Domino instauranda, quae intelligitur per "domum Israelis" et per "domum Jehudae," quorum in medio daretur lex et scriberetur super cor; quod hoc non factum sit cum domo Israelis et cum domo Jehudae notum est, nam foedus cum Domino prorsus rejecerunt, et quoque hodie similiter: "foedus" significat conjunctionem cum Domino per amorem in Ipsum, ex qua coniunctione datur lex seu Divinum Verum in illis, tam in doctrina quam in vita eorum, quod est "lex in medio" et "scripta super cor:" "seminare domum Israelis et domum Jehudae semine hominis et semine bestiac" significat reformatre illos qui e nova ecclesia per vera et bona quae intelligentiae et affectionis; "semen"

est verum, "homo" est intelligentia, et "bestia" est bonum affectionis; quod "bestia" id significet, ostendetur in sequentibus. Apud *Sachariam*,

"Venient populi multi et gentes numerosae ad quaerendum Jehovahm Zebaoth in Hierosolyma, et ad deprecandum facies Jehovahae:.... in diebus illis apprehendent decem viri ex omnibus linguis gentium alam viri Judaei, dicendo, Ibisimus vobiscum, quia audivimus Deum vobiscum" (viii. 22, 23):

qui non scit quod per "Judaeum" intelligantur illi qui in amore in Dominum sunt, et inde in veris doctrinae, facile adducentur ad credendum quod haec dicta sint de Judaeis, et de introductione illorum in terram Canaanem, et quod tunc omnes alii qui salvari volunt apprehendent alam vestis illorum, orantes ut liceat comitari; sed qui scit quod haec non dicta sint de aliqua introductione in terram Canaanem ad Hierosolymam ibi, et quod per "Judaeum" non illi ex gente illa intelligantur, sed quod per "Hierosolymam" intelligatur nova ecclesia a Domino instauranda, ac per "Judaeum" omnis qui in bono amoris in Dominum est, ac per "alam Judaei" verum ex illo bono, scire potest quid omnia in illo capite et quid illa verba in specie significant: agitur enim ibi de convocatione et accessione gentium ad ecclesiam, ac per "Judaeum" intelliguntur qui agnoscent Dominum et amant Ipsum, ac per "apprehendere alam ejus" desiderium sciendi verum ab Ipso, ac per "decem viros ex omnibus linguis gentium" intelliguntur omnes ex quacunque religione; "decem viri" significant omnes, et "linguae gentium" significant religiosa. Ex his constare potest quantum hallucinantur qui credunt quod Judaei in fine temporum convertentur ad Dominum, ac introducentur in terram Canaanem; qui sunt illi qui credunt quod per "terram," per "Hierosolymam," per "Israelem" et per "Jehudam" in Verbo, intelligatur terra Canaan, urbs Hierosolyma, populus Israeliticus et gens Judaica. Sed ignoscendi sunt qui hactenus id crediderunt, quia non sciverunt aliquid de sensu spirituali Verbi; ita non quod per "terram" significetur ecclesia, per "Hierosolymam" illa quoad doctrinam, per "Israelem" illi qui ab ecclesia spirituali sunt, et per "Jehudam" illi qui ab ecclesia caelesti; tum quod ubi agitur apud *Prophetas* de introductione illorum in terram Canaanem, intelligatur introduc<sup>tio</sup> fidelium in caelum et in

ecclesiam: quod etiam factum est cum Dominus in mundum venit, nam tunc introducti sunt in caelum omnes illi qui in bono charitatis vixerunt, et Deum sub Humana forma coluerunt; qui reservati sunt sub caelo usque ad adventum Domini, ac introducti postquam Dominus glorificavit Humanum suum. Hi sunt qui intelliguntur in pluribus locis in Verbo Prophetico, ubi agitur de captivitate filiorum Israelis et Jehudae, ac de reductione eorum in terram; intelliguntur etiam illi qui introducendi erant in ecclesiam et inde in caelum e terris post adventum Ipsius, non modo ubi Christiana Religio recepta est, sed etiam ubi alibi; hi et illi sunt qui intelliguntur in multis locis ubi nominatur Israel et Jehudah et Hierosolyma, et agitur de introductione in terram

(Ut in sequentibus:—*Esai.* x. 21, 22; cap. xi. 11, 12; cap. xlivi. 5, 6; cap. xlix. 10–26; cap. lvi. 8; cap. lx. 4; cap. lxi. 1–5, 9: *Jerem.* iii. 12–20; cap. xvi. 15, 16; cap. xxviii. 7, 8; cap. xxx. 2–11; cap. xxxi. 1–14, 23–40; cap. xxxviii. 6–18: *Ezech.* xvi. 60–62; cap. xx. 40–42; cap. xxxiv. 11–16; cap. xxxvii. 21–28; cap. xxxix. 21–29: *Hosch.* iii. 5: *Joel* ii. 18–27; cap. iii. 5 [*B. A.* ii. 32]: *Amos* [ix.] 12–15: et alibi).

[*e.*] Sint pro exemplo bina haec loca, ex quibus Judaei sibi persuadent, et quoque Christiani credunt, quod gens Judaica redditura sit in terram Canaanem, et prae reliquis salvanda:—Apud *Esaiam*,

“Tunc adducent omnes fratres vestros ex omnibus gentibus, munus Iehovae, super equis et super curru, et super rhedis cameratis, et super mulis, et super veredariis, ad montem sanctitatis meae Hierosolymam:....et quemadmodum caeli novi et terra nova, quae facturus sum, stabunt coram Me,...sic stabit semen vestrum et nomen vestrum” (lxvi. 20, 22):

(quid illa significant, videatur supra, n. [355[*e*].] 405[*e*], ubi explicata sunt:) per “novum caelum” et “novam terram” intelligitur caelum et ecclesia ex illis qui salvandi a Domino postquam glorificavit Humanum suum, ut supra dictum est. Apud eundem,

“Tollam erga gentes manum meam, et erga populos attollam signum meum, ut adferant filios tuos in sinu, et filias tuas super humero apportent: erunt reges nutritii tui, et principes [feminae] eorum lactatrices; facies ad terram incurvabunt se Tibi, et pulverem pedum tuorum lингent” (xlix. 22, 23):

agitur in toto illo capite de adventu Domini, et de salvatione illorum qui recipiunt Ipsum, ut manifeste patet a versibus 6, 7, 8, 9, illius capititis; proinde non de salvatione

Judaeorum, minus de reductione illorum in terram Canaanem. Quod gens Judaica in allatis locis non intellecta fuerit, constare etiam potest ex eo, quod gens pessima fuerit, et corde idololatra; et quod non introducta sit in terram Canaanem propter aliquam cordis bonitatem et justitiam, sed propter promissionem factam patribus eorum; et quod nulla ecclesiae vera et bona fuerint apud illos, sed falsa et mala, et quod ideo rejecti et expulsi ex terra Canaane; ut constare potest ex omnibus illis locis in Verbo ubi gens illa describitur. Qualis illa gens fuit et futura est, quod pessima, describitur a Mose in Cantico, his verbis,

“Occultabo facies meas ab illis, videbo quid posteritas eorum; generatio enim perversionum <sup>[1]</sup>illi, filii in quibus fidelitas non . . . dixerim, In extre mos angulos ejiciam illos, cessare faciam ab homine memoria eorum; . . . nam gens perdita, consiliis illi, nec in illis intelligentia; . . . de vite Sodomae vitis eorum, et de agris Gomorrhæ, uvae ejus uvae fellis, botri amaritudinum illis; venenum draconum vinum eorum, et fel aspidum crudele. <sup>[2]</sup>Nonne illud absconditum apud Me, obsignatum in thesauris meis? Mihi vindicta et retributio” (*Deuter. xxxii. 20-35*):

describitur ibi qualis ecclesia est apud illos, quod nempe in diris falsis ex malo; ecclesia apud illos qualis est intelligitur per quod “de vite Sodomae vitis eorum, et de agris Gomorrhæ;” “vitis” significat ecclesiam: falsa ex malo quae illis intelliguntur per quod “uvae ejus uvae fellis, botri amaritudinum illis, venenum draconum vinum eorum, et fel aspidum crudele;” “uvae” significant bona ecclesiae, at “uvae fellis ac botri amaritudinum” significant mala ex diris falsis; ipsa falsa eorum intelliguntur per “venenum draconum vinum eorum, et fel aspidum crudele;” “vinum” significat verum ex Verbo, at “venenum draconum et fel aspidum” significat enorme falsum quod existit ex falsificatis veris Verbi. Similiter describitur gens illa alibi in Verbo

(Ut in *Deuteronomio*; in *Libro Iudicium*; apud *Prophetas*, ut apud *Jeremiam*, cap. v. 20-31; cap. vii. 8-34; cap. ix. 1-25 [*B. A. 2-26*]; cap. xi. 6-17; cap. xiii. 9-27; cap. xix. 1-15; cap. xxxii. 30-35; cap. xliv. 2-24).

Quod gens illa corde idololatra fuerit, patet ab allatis illis locis, et a plurimis aliis:—Ut apud *Jeremiam*,

“Juxta numerum urbium tuarum fuerunt dñi tui, Jehudah; . . . . . et juxta numerum platearum Hierosolymæ <sup>[3]</sup>posuistis altaria ad suffiendum Baali” (ii. 28; cap. xi. 13).

Quod non in terram Canaanem introducti fuerint propter aliquam cordis bonitatem et justitiam, sed propter promissionem factam patribus eorum, apud *Mosen*,

“Non propter justitiam tuam, et propter rectitudinem cordis tui tu veniens ad possidendum terram, . . . sed ut stabilitat verbum quod Jehovah juravit patribus tuis, Abrahamo, Isaco et Jacobo: quare scito quod non propter justitiam tuam Jehovah Deus tuus dans tibi terram bonam hanc ad possidendum eam, quia populus durus cervice tu” (*Deutr.* ix. 5, 6).

Quod nulla ecclesiae vera et bona fuerint apud illos, sed falsa et mala, patet ex Verbo ubi agitur de scortationibus et adulteriis eorum

(Apud *Jeremiam*, cap. iii. 1 ad fin.; et apud *Ezechielem*, cap. xxiii. 1 ad fin.):

per “scortationes” et “adulteria” in Verbo intelliguntur falsificationes veri et adulterationes boni (videatur supra, n. 141. 161): quapropter a Domino vocantur

“Generatio adultera” (*Matth.* xii. 39; *Marc.* viii. 38):

Et quoque illi “pleni hypocrisi, iniquitate et immundicie” (*Matth.* xxiii. 27, 28):

Et quod per traditiones suas falsificaverint Verbum (*Matth.* xv. 1-6; *Marc.* vii. 1-14):

*et apertis verbis apud Johannem,*

“Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere; ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit, quia non veritas in illo; quando loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendacium loquens est et pater ejus” (viii. 44):

per “mendacium” intelligitur falsum ex malo; per “diabolum” extincio omnis boni; per “homicidam” extincio omnis veri; per “patrem” intelliguntur tam qui ab inferno quam qui a generatione ista prius usque a primis temporibus vixerunt; “ex propriis loqui” est ex innato. Quod sic omne ecclesiae apud illos deperditum fuerit, ac ideo rejecti, constat apud *Esaiam*,

“Dominus [<sup>[1]</sup>]Jehovah Zebaoth removens ex Hierosolyma et ex Iudeah baculum et [<sup>[2]</sup>]scipionem, omnem baculum panis, et omnem scipionem aquae, fortem et virum belli, judicem et prophetam, et divinatorem et senem: . . . nam impegit Hierosolyma et Iudeah cecidit, quia lingua eorum et opera eorum contra Jehovah ad rebellandum oculis gloriae Ipsius” (iii. 1, 2, 8):

“removere omnem baculum panis et omnem [<sup>[2]</sup>]scipionem aquae” significat omne bonum amoris et verum fidei, a quibus vita spiritualis; “panis” est bonum amoris, et

“aqua” est verum fidei, ac “baculus” et “scipio” sunt potentiae, et inde omnia vitae spiritualis: “removere fortē et virū belli” significat omnem resistantiam contra mala et falsa; removere “judicem et prophetam” significat omne bonum et verum doctrinae; removere “divinatorem et senem” significat omnem intelligentiam et sapientiam: “lingua eorum et opera eorum contra Jehovam ad rebellandum oculis gloriae Ipsius” significat quod omne doctrinæ eorum et vitae eorum sit prorsus contra Divinum Verum; “lingua” est doctrina, “opera” sunt vita, “oculi gloriae Jehovae” sunt Divinum Verum, “rebellare” est contra illud esse. Apud eundem,

“[1] Quid faciendum amplius vineae meae?” “Judicate..inter Me et inter vineam meam: quid faciendum [amplius] vineae meae quod non fecerim in illa? Quare exspectavi ut faceret uvas, sed fecit labruscas: et notum faciam vobis, quid Ego faciam vineae meae, removendo sepem ejus ut sit ad depascendum, perrumpendo maceriem ejus ut sit ad conculationem; ponam eam in desolationem,....ut ascendet sentis et vepris; immo nubibus praecipiām, ut non faciant pluere super eam pluviam” (v. 3-6):

per “vineam” hic intelligitur ecclesia apud illam gentem; per “Exspectavi ut faceret uvas sed fecit labruscas” significatur quod pro bonis veri quae ecclesiae apud illam fuerint mala falsi; per “removere sepem ejus ut sit ad depascendum, perrumpendo maceriem ut sit ad conculationem,” significatur destructio ejus quoad bona et vera, ut invadant mala et falsa, quae sunt “sentis et vepris” quae ascendent; per “Nubibus praecipiām ut non faciant pluere super illam pluviam” significatur quod ulterius non aliqua receptio veri et boni illis per Verbum e caelo.

[f.] De destructione ecclesiae apud illam gentem etiam agitur apud *Esaiam* (cap. vii. 17-19, seq.), apud *Jeremiam* (cap. i. 15), et multis aliis in locis. Propterea etiam gens illa ejecta est e terra Canaane, primum gens Israelitica et postea gens Judaica; et hoc quia per “terram Canaanem” significatur Canaan caelestis, quae est caelum et ecclesia. Qualis utraque illa gens fuit, describitur plene in sensu interno in capitibus xxxii. et xxxiii. *Exodi*, ubi agitur de vitulo aureo quem sibi fecerunt, propter quem Jehovah voluit illos consumere, et aliam generationem ex Mose exsuscitare (quorum omnium explicatio videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 10393-10512, et n. 10523-10557). Qualis gens Judaica fuit, descri-

bitur etiam in sensu interno in capite xxxviii. *Geneseos*, ubi agitur de ortu eorum, qui fuit ex Canaanitide et ex scor-tatione cum nuru ; tres enim stirpes eorum fuerunt, una ex muliere Canaanitide, quam Jehudah sumpsit sibi in uxorem, et binae ex Thamare quae nurus Jehudae, cum qua concubuit ut cum scorto (quorum explicatio etiam videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 4813-4930). Qualis illa gens fuit, etiam describitur per Judam Ischarioth, nam ille repreaesentavit gentem Judaicam quoad ecclesiam ; duodecim enim discipuli Domini repreaesentaverunt ecclesiam Domini in communi, et quisque aliquod universale essentialie ejus, et Judas Ischarioth repreaesentavit illam qualis apud Judacos. (Praeter haec videantur quae in *Arcanis Caelestibus* de illa gente scripta sunt, quae sunt sequentia :—Quod ecclesia repreaesentativa apud gentem Judaicam instituta fuerit, sed quod in ipsa gente nulla ecclesia fuerit, n. 4899, 4912, 9304. Quod ideo quoad ipsam gentem fuerit repreaesentativum ecclesiae, et non ecclesia, n. 4281, 4288, 4311, 4500, 6304, 7048, 9320, 10396, 10526, 10531, 10998. Quod gens Israelitica et Judaica non electa fuerit, sed recepta ut ecclesiam repreaesentaret, ob contumaciam qua patres eorum et Moses institerunt, n. 4290, 4293, 7051, 7439, 10430, 10535, 10632. Quod cultus eorum mere externus fuerit, absque omni cultu interno, n. 1200, 3147, 3479, 8871. Quod prorsus non scirvent interna cultus, nec scire voluerint, n. 301-303, 3479, 4429, 4433, 4680, 4844, 114847, 10396, 10401, 10407, 10694, 10701, 10707. Quomodo considerant interna cultus, ecclesiae et Verbi, n. 4865. Quod interiora eorum, quae sunt cogitationis et affectio-nis, fuerint foeda, amoribus sui et mundi ac avaritia plena, n. 3480, 9962, 10454-10457, 10462-10466, 10575. Quod ideo illis non detecta fuerint interna ecclesiae, quoniam illa profanavissent, n. 2520, 3398, [2]3479, 4289. Quod Verbum illis prorsus occlusum fuerit, et quod adhuc sit, n. 3769. Quod videant Verbum ab extra et non ab intra, n. 10549-10551. Quod ideo internum eorum, quando in cultu, occlusum fuerit, n. 8788, 8806, 9320, 9380, 9377, 9962, [3]10396, 10401, 10407, 10492, 10498, 10500, 10575, 10629, [4]10694. Quod usque gens illa p[re]al[ia]is talis fuerit, ut potuerit esse in sancto externo, clauso interno, n. 4293, 4311, 4903, 9373, 9377, [5]9380. Status eorum tunc, n. 4311. Quod conservati sint propter Verbum in lingua originali, et quia tales esse potuerunt, n. 3479. Quod sanctum externum eorum a Domino miraculose elevatum sit in caelum, et sic interiora cultus, ecclesiae et Verbi ibi percepta, n. 3480, [6]4307, 4311, 6304, 8388, [7]10493, [10499.] 10500, 10602. Quod hoc ut fieret, per media externa coacti sint stricte observare ritus et statuta in externa forma, n. 3147, 4281, 10149. Quia in sancto externo absque interno potuerunt esse, quod sancta ecclesiae et caeli repreaesentare potuerint, n. 3479, 3881, 4208, 6306, [8]6589, 9377, 10430, 10500, 10570. Quod usque sancta illos non affecerint, n. 3479. Quia nihil refert qualis persona est quae repreaesentat, quoniam repreaesentatio spectat rem, non autem personam, n. 665, 1097, 1361, 3147, 3881, 4208, 4281, 4288, 4292, 4307, 4444, 4500, 6304, 7048, 7439, [9]8588, 8788, 8806. Quod gens illa pejor alii gentibus fuerit, describitur qualis, etiam ex Verbo utriusque Testamenti, n. 4314, 4316, 4317, 4444, 4503, 4750, 4751, 4815, 4820, 4832, 5057, 5998, 7248, 8819, 9320, 10454-10457, 10462-10466. Quod tribus Jehudae abiverit in pejus quam reliquae tribus, n. 4815. Quam crudeliter tractaverunt gentes ex jucundo, n. 5057, 7248, 9320. Quod gens illa corde idololatra fuerit, ac p[re]al[ia]is coluerit alios deos, n. 3732, 4208, 4444, 4825, 5998, 6877, 7401, 8301, 8871, 8882. Quod etiam cultus eorum in ipsa gente spectatus fuerit idololatricus, quia externus absque interno, n. 4281, 4825, 8871, 8882. Quod Jehovah modo quoad nomen coluerit, n. 6877, 10559-10561, 10566 : et solum propter miracula, n. 4299. Quod erronee cogi-tent qui credunt quod Judaei in fine ecclesiae convertendi sint, et reducendi in terram Canaanem, n. 4847, 7051, 8301. Plura loca e Verbo de illa re allata, quae tamen intelligenda sunt secundum sensum internum, ita aliter quam secundum litteram, n.

7051. Quod Verbum quoad sensum externum propter illam gentem immutatum fuerit, non tamen quoad sensum internum, n. 10453, 10461, 10603, 10604. Quod Jehovah e Monte Sinai apparuerit eis secundum quale eorum, in igne consumente, densa nube et in fumo sicut fornacis, n. 1861, 6832, 8814, 8819, 9434. Quod Dominus appareat unicuius secundum ejus quale, ut ignis vivificans et recreans illis qui in bono sunt, ac ut ignis consumens illis qui in malo, n. 934, 1861, 6832, 8814, 8819, 9434, 10551. Quod una ejus gentis origo sit ex Canaanitide, et quod binae reliquae ex scortatione cum nuru, n. 1167, [1]4818, 4820, [4825,] 4874, [2]4899, 4913. Quod per illas origines significatum sit qualis conjunctio illorum cum ecclesia esset, quod nempe sicut cum Canaanitide et cum scortatione cum nuru, n. 4868, 4874, 4899, 4911, 4913. De statu eorum in altera vita, aliqua, n. 939, 940, 5057. Quoniam gens illa, tametsi talis, repreaesentabat ecclesiam, et quia Verbum apud illam et de illa conscriptum est, ideo Divina caelestia per nomina eorum significata sunt, ut per Reubenem, Schimeonem, Levi, Jehudam, Ephraimum, Josephum, et reliquos: quod per "Jehudam" in sensu interno significetur Dominus quoad amorem caelestem, ac regnum caeleste Ipsi⁹, n. 3654, 3881, 5583, 5603, 5782, 6363. Explicatur propheticum Israelis de Jehudah, in quo agitur de Domino, *Genes.* xl ix. 8-12, n. [3]6362-6381. Quod "tribus Jehudae" et "Judea" significet ecclesiam caelestem, n. 3654, 6364. Quod duodecim tribus repreaesentaverint et inde significaverint omnia amoris et fidei in complexu, n. 3858, 3926, 4060, 6335: inde quoque caelum et ecclesiam, n. 6337, 6637, 7836, 7891. Quod significant secundum ordinem quo nominantur, n. 3862, 3926, 3939, 4603, seq. 6337, 6640. Quod duodecim tribus divisae fuerint in duo regna, ut Judaei repreaesentarent regnum caeleste, ac Israelitae regnum spirituale, n. 8770, 9320. Quod per "semen Abrahami," "Isaci" et "Jacobi" significant bona et vera ecclesiae, n. [4]3373, 10445.)

### **434[a]. "Ex tribu Reubenis duodecim millia signati."**

Quod significet lucem veri ex illo amore, et quod omnes qui in illa sunt, in caelo sint et in caelum veniant, constat ex significatione "tribus Reubenis," quod sint qui in luce veri sunt, de qua sequitur; ex significatione "duodecim millium," quod sint omnia et omnes (de qua supra, n. 430), hic omnes qui in luce veri ex bono amoris in Dominum, qui amor significatur per "tribum Jehudae" (ut mox supra, n. 433, ostensum est); et ex significatione "signatorum," quod sint illi qui in caelo sunt et in caelum veniunt (de qua etiam mox supra, n. [427[a],] 433[a]). Prius dictum est quod duodecim tribus Israelis repreaesentaverint et inde in Verbo significant omnia ecclesiae, et quod unaquaevis tribus aliquod universale esseſtiale ejus, et quod "Jehudah" significet amorem in Dominum; quod autem "Reuben" significet lucem ex illo amore, in sequentibus videbitur. "Reuben," et inde tribus ab illo nominata, in sensu supremo significat Dominum quoad praevidentiam seu praescientiam; in sensu interno, fidem spiritualem et intellectum veri; ac in externo, visum: et quia "Reuben" in sensu interno significat fidem et intellectum, etiam significat lucem veri, nam fides existit ex luce veri, ac intellectus illustratur ex illa; nam ubi lux veri est, ibi est intellectus et est fides. Simile per "Reubenem" seu tribum ejus significatur quod per "Petrum" apostolum; nam duodecim

apostoli similiter ac duodecim tribus Israelis repraesentaverunt omnia ecclesiae, et quisque apostolus aliquod universale essestiale ejus; et quia Petrus simile repraesentabat quod Reuben, ideo ille primus apostolorum erat, sicut Reuben erat primus filiorum Jacobi. (Quod "Petrus" significet verum in luce et fidem, videatur supra, n. 9. 411[a].) Quod Reuben fuerit primus filiorum Jacobi, et quod inde tribus ab illo dicta in primo loco in plerisque locis in Verbo nominetur, erat causa quia primogenitus erat; et per "primogenituram" in Verbo significatur verum ex bono, seu quod idem, verum in luce, et inde fides ex charitate; verum enim et quod fidei est, primum apparet homini, intrat enim per auditum in memoriam, et inde evocatur in cogitationem, et quod homo cogitat hoc visu interiori videt et appercipit; et quod primum videtur et appercipitur, hoc primum est sed modo apparenter, non autem actualiter: bonum est actualiter primogenitum seu primum ecclesiae, quoniam verum existit ex bono; format enim se bonum in veris, ac se per vera sistit videndum, quare verum est bonum in forma; inde est quod dicatur verum ex bono et fides ex charitate, quod enim est ex aliquo, hoc illud est in imagine, ac in se spectatum est bonum formatum et natum; hoc itaque est primogenitum in sensu spirituali Verbi. Praeterea apud infantes est bonum innocentiae, quod primum a Domino infunditur, ex quo homo primum fit homo; et quia bonum est amoris, et homo super amorem suum non refle<sup>c</sup>tit, sed super cogitationem ex memoria, et quia bonum non prius habet quale quam cum formatum est in vera, et absque quali nihil percipitur, inde est quod ignoretur quod bonum sit primum et primogenitum; bonum enim primum concipitur a Domino apud hominem, et gignitur per vera, in quibus bonum est in sua forma et effigie. Praeterea sciendum est quod vera quae ab homine in ejus infantia et pueritia hauriuntur ex Verbo, doctrina inde et praedicatione, appareant quidem ut vera, sed usque non sunt vera apud illum; sunt modo sicut cortices absque nucleo, seu sicut corporis et faciei forma absque anima et vita: haec non prius fiunt vera quam cum recipiuntur voluntate, sic enim primum recipiuntur ab homine et apud illum incipiunt vivere; voluntas enim est ipse homo, et omne bonum est voluntatis, ac omne verum est intellectus inde. Ex his constare potest unde est quod tribus

Jehudae, per quam significatur bonum amoris in Dominum, primo loco nominetur; et quod dein tribus Reubenis, per quam significatur verum in luce ex illo bono. Sciendum est quod omnis lux, in qua apparet verum, sit a luce caeli quae a Domino; et lux caeli est ex Divino Bono Divini Amoris Ipsius; lux caeli est Divinum Bonum in forma. Illa duo in caelo unum sunt, ac ut unum recipiuntur ab angelis, et quoque ut unum recipienda sunt ab homine, ut homo communionem habere possit cum angelis. (Sed haec ample ostensa videantur in *Arcanis Caelestibus*, nempe quod cum homo regeneratur, verum primo loco sit et bonum secundo non actualiter sed apparenter, at quod cum homo regeneratus est bonum primo loco sit et verum secundo actualiter et perceptibiliter, n. 3324, 3325, 3330, 3336, 3494, 3539, 3548, 3556, 3563, 3570, 3576, 3603, 3701, 4243, <sup>II</sup>4245, 4247, 4337, 4925, 4926, 4928, 4930, 4977, 5351, 6256, 6269, 6273, 8516, 10110: ita quod bonum sit primum et ultimum regenerationis, n. 9337. Quia verum primo loco apparet esse, et bonum secundo, cum regeneratur homo, seu quod idem, cum homo fit ecclesia, quod propter illam apparentium ab antiquis controversum sit num verum fidei vel num bonum charitatis sit primogenitum ecclesiae, n. 367, 2435. Quod bonum charitatis sit primogenitum ecclesiae actualiter, at verum fidei modo apparenter, n. 3325, 3494, 4925, 4926, 4928, 4930, 8042, 8080. Quod etiam per "primogenitum" in Verbo significetur primum ecclesiae, cui prioritas et superioritas, n. 3325. Quod ideo Dominus dicitur "Primogenitus," quia in Ipso et ab Ipso omne bonum amoris, charitatis et fidei, n. 3325.) Quoniam verum apparenter primo loco est, ideo Reuben primogenitus erat, et nominatus est a *visu*, ut patet apud *Mosen*,

"Concepit Lea et peperit filium, et vocavit nomen ejus Reuben, quia dixit quod *vidit* Jehovah afflictionem meam; quia nunc amabit me vir meus" (*Gen. xxix. 32*):

haec tametsi historica sunt usque tamen sensum spiritualem continent; nam omnia et singula quae in Verbo sunt, ex spirituali mundo sunt quia ex Domino; quae dum in mundum naturalem e caelo demissa sunt, induita sunt sensu naturali correspondente, qualis est sensus litterae Verbi: quare per nativitates filiorum Jacobi significantur nativitates spirituales, quae sunt quomodo nascitur bonum et verum apud hominem cum regeneratur a Domino. Unde per "Concepit Lea et peperit filium" significatur conceptio et partus spiritualis; per "vocavit nomen Reuben" significatur quale ejus; per quod "dixit, quod vidit Jehovah," significatur in supremo sensu praevidentia, in interno fides, in interiori intellectus, et in externo visus, hic fides a Domino; per "afflictionem meam" significatur status perverniendi ad bonum; "quia nunc amabit me vir meus" significat quod inde bonum veri. (Sed haec explicata videantur in *Arcanis Caelestibus*, n. 3860-3866.)

[*b.*] *Reuben* in lingua originali significat visum; et “visus” in sensu spirituali significat intellectum veri et fidem, et in sensu supremo Divinam praevidentiam. (Ut constare potest ex his quae de significacione “videre” et “visus” in *Arcanis Caelestibus* ostensa sunt; quae sunt, Quod “visus” in sensu supremo, in quo de Domino, significet praevidentiam, n. 2807, 2837, 2839, 3686, 3854, 3863, 10428: quod “visus” in sensu interno significet fidem, quoniam visus spiritualis est visus ex fide, et quoniam illa quae fidei sunt videntur in mundo spirituali, n. 897, 2325, 2807, 3863, 3869, 5420, 10705: quod etiam “videre” significet intelligere et percipere verum, n. 2150, 2325, 2807, 3764, 3863, 3869, 10705. Quod visus internus sit intellectus, et quod hic videntur per oculos corporis; et quod visus intellectus sit ex luce caeli, n. 1524, 3138, 3167, 4408, 5114, 6608, 8707, [1]9128, 9399, 10569.) Quod “Reuben” significet verum ex bono seu fidem ex charitate, etiam constare potest ex “dudaim,” quod in agro invenit, et dedit matri suae; de qua re ita apud *Mosen*,

“Ivit Reuben in diebus messis triticorum, et invenit dudaim in agro, et adduxit illa ad Leam matrem suam; et dixit Rachel ad Leam, Da queso mihi de dudaim filii tui: et dixit illi, An parum sumpsisse te virum meum, et sumes etiam dudaim filii mei? Et dixit Rachel, Idcirco cubabit cum te nocte hac pro dudaim filii tui. Et venit Jacobus de agro in vespera, et exivit Lea obviam ei, et dixit, Ad me venies, quia conducendo conduxi te in dudaim filii mei: et cubuit cum illa in nocte illa,...et concepit et peperit Jacobo filium” *Jisaschar* (*Gen. xxx. 14-18*):

qui non scit quid “dudaim” significant, tum quid Reuben, Jacob, Lea et Rachel repraesentabant, prorsus non sciturus est cur talia acciderant, et quod in Verbo memorata sint; at quod Divinum in sensu litterae non apparens insit, constare potest, quia est in Verbo, in quo omnia et singula Divina sunt. Divinum quod his inest, patet ex sensu spirituali eorum: in hoc sensu “dudaim” significant conjugium boni et veri, Reuben repraesentat verum ex bono, Jacob ecclesiam quoad verum, Lea et Rachel ecclesiam quoad bonum, sed Lea ecclesiam externam, et Rachel ecclesiam internam: quare per “dudaim” a Reubene inventa significatur conjugiale quod est veri cum bono; et quia id conjugiale est inter verum et bonum in interno seu spirituali homine, quod facit ecclesiam internam, et usque id verum datur primum in externo seu naturali homine quod facit ecclesiam externam, ideo dudaim inventa sunt a Reubene, per quem repraesentabatur verum ex bono, et primum data Leae matri suae, per quam repraesentabatur ecclesia externa sed usque a Lea data sunt Racheli, per quam repraesentabatur ecclesia interna, propterea ut Lea cubaret cum Jacobo. (Sed haec amplius explicata videantur in *Arcanis Caelestibus*, n. [2]3940-3952.)

[c.] Quoniam Reuben reprezentabat verum ex bono, seu fidem ex charitate, ideo etiam

Ille exhortatus est fratres suos, ne occiderent Josephum, volens liberare illum e manu eorum: et valde doluit cum Josephus non inventus est in fovea (*Genes. xxxvii. 21, 22, 29, 30*)

(quae etiam explicata videantur in *Arcanis Caelestibus*, n. 4731-4738, et n. 4761-4766). Quoniam "Reuben" seu tribus ejus significabat verum ex bono seu fidem ex charitate, ideo .

Castra illius tribus in deserto erant ad meridiem, et castra ad meridiem vocabantur "castra Reubenis" (*Num. ii. 10-16*);

castrametationes enim tribuum Israelis reprezentaverunt ordinationes societatum angelicarum in caelo; et societas angelicae habitant in plagiis secundum status eorum quoad bonum et verum (videatur supra, n. 422[a]), ac in plaga meridionali ibi habitant qui in luce veri ex bono sunt; et quia tribus Reubenis reprezentabat verum ex bono seu verum in luce, ideo castrametata est tribus Reubenis ad meridiem. Quoniam verum ex bono, quod tribus Reubenis reprezentabat, est in naturali homine, ideo tribui Reubenis data est hereditas trans Jordanem

(Videatur *Num. xxxii. 1 ad fin.*: *Deut. iii. 12-20*: *Josuae xiii. 1 ad fin.*; *cap. xviii. 7*):

terra enim Canaan reprezentabat et inde significat in Verbo ecclesiam, ac regio ejus trans Jordanem ecclesiam externam, et regio ejus cis Jordanem ecclesiam internam, et Jordanes fluvius limitem inter illas; ac verum ex bono seu fides ex charitate facit ecclesiam; verum ex bono in naturali homine facit ecclesiam externam; et quia tribus Reubenis hoc ecclesiae reprezentabat, ideo illi tribui data est hereditas trans Jordanem. Cur datae sunt hereditates trans Jordanem etiam tribui Gadis et dimidiae tribui Menasses, dicetur in sequentibus. Coniunctio utriusque ecclesiae, nempe externe et internae, quae est sicut coniunctio naturalis et spiritualis hominis, reprezentabatur, et in sensu spirituali describitur per

Altare, quod filii Reubenis, Gadis et Menassis aedificabant juxta Jordani, de quo lis erat inter has tribus et reliquias; sed dictum quod altare illud esset pro teste, ut illi, tametsi trans Jordanem habitent, usque servirent Jehovahae coniunctim cum reliquis; quare vocabant illud altare, "Testis inter nos quod Jehovah Deus" (de qua re apud *Josuam*, *cap. xxii. 9 ad fin.*):

“Jordanes” enim significabat medium inter externum et internum ecclesiae; “terra Canaan cis Jordanem” significabat ecclesiam internam, et illa “trans Jordanem” ecclesiam externam, quam etiam tribus Reubenis, Gadis et Menassis, quae ibi hereditates suas noctae sunt, repraesentabant; et “altare” illud significabat cultum communem utriusque ecclesiae, et sic coniunctionem. Quod “Reuben” significet verum in naturali homine, constat etiam ex prophetico Debora et Baraki in *Libro Iudicum*,

“In classibus Reubenis sunt magni, statuta cordis: quare sedes inter sarcinas ad audiendum sibila gregum? classibus Reubenis, ubi magni, pervestigationes cordis, Gilead in transitu Jordanis <sup>[1]</sup>habitans” (*v. 15-17*):

haec nemo intellecturus est, nisi sciat quid in prophetico illo agitur, et quid per “classes,” “Reubenem,” “sarcinas,” “sibila gregum,” et per “Gilead” significatur; agitur ibi de ecclesia apud filios Israelis vastata; et per “classes Reubenis” significantur omnia tam vera quam bona quae in naturali homine; per “sarcinas” significantur cognitiones et scientifica ibi; per “sibila gregum” significantur illorum perceptiones et cogitationes; ac per “Gilead” significatur naturalis homo: ex quibus intellectis patet quid per illa in sensu spirituali intelligitur; nempe quod dum ecclesia destruxta est, naturalis homo cum illis quae inibi separatus sit a spirituali homine, cum tamen ei coniunctus erit; et cum coniunctus, quod ibi vera sint ex bono, per quae pugnabit contra falsa ex malo, naturalis enim homo pugnabit contra illa ex spirituali homine; per “statuta cordis” et per “pervestigationes cordis” <sup>[2]</sup>significantur vera ex bono quae ibi ex spirituali homine, “cor” enim significat bonum amoris, “statuta” et “pervestigationes cordis” sunt omnia quae ex bono in spirituali homine determinantur et ordinantur in naturali. Haec de Reubene dicta sunt, quia tribus ejus habitavit trans Jordanem in Gilead; nec fuit coniuncta Debora et Barako cum pugnarunt contra Siseram, sed solum Isaschar et Sebulon; per “Siseram” enim in sensu spirituali intelligitur falsum ex malo destruens ecclesiam. Per “Reubenem” significatur lux veri et inde intellectus Verbi apud *Mosen*,

“Vivat Reuben et non moriatur; erit tamen homines ejus numerus” (*Deut. xxxiii. 6*):

per "Reubenem" ibi intelligitur intellectus Verbi illustratus per lucem e caelo; et quia pauci sunt qui recipiunt illustrationem, ideo dicitur, "Erit tamen homines ejus numerus;" "numerus" significat paucum et paucos.

[d.] Quod "Reuben" significet verum ex bono seu fidem ex charitate, constare etiam potest ex sensu opposito, in quo etiam nominatur. In eo sensu significat "Reuben" verum separatum a bono, seu fidem separatam a charitate: ac verum absque bono non est verum aliter quam modo quoad vocem et sonum; est enim scientificum residens in memoria naturalis hominis, ita solum in introitu ad hominem, et non intra illum in ejus vita. Memoria naturalis hominis est modo introitus ad illum, nec fit verum apud illum priusquam vult illud et facit illud; tunc primum intrat, et accipit vitam; prius nec influit lux e caelo et illustrat. Simile est cum fide separata ex charitate, nam verum est fidei et bonum est charitatis. Quod "Reuben" in opposito sensu significet fidem separatam a charitate constare potest ab adulterio ejus cum Bilha concubina patris sui, de qua ita apud *Mosen*,

"Factum est in residendo Israel in terra" Ephrath Bethlehem, "et ivit Reuben, et cubuit cum Bilha concubina patris sui; et audivit Israel" (*Genes. xxxv. 22*):

per "Ephratam Bethlehem" significatur ecclesia spiritualis, quae est in veris ex bono seu in fide ex charitate; bonum charitatis rejicere a veris fidei, significatur per adulterium Reubenis; nam profanatur verum quando non conjungitur cum suo bono, quod est bonum charitatis, sic enim conjungitur cum amore sui et mundi, quod est adulteratio: omnia etiam adulteria (quorum plura recensentur in *Levit. cap. xviii. vers. 6-23*) correspondent adulterationibus boni et veri. Quod adulterium a Reubene commissum correspondeat fidei separatae a charitate, notum et testatum mihi factum est ex auditis et visis in mundo spirituali, ubi sphaera talis adulterii percipitur prodire ex illis qui doctrina et vita separaverunt charitatem a fide. Quoniam hoc etiam significatum est per "Reubenem," ideo primogenitura ei adempta est a patre ejus, ac data Josepho et ejus filiis. Quod adempta fuerit Reubeni, patet ab his patris ejus verbis,

"Reuben primogenitus meus, tu robur meum, et principium virium mearum, excellens eminentia et excellens valore: levis sicut aqua, ne excellas, quia ascendisti cubilia patris tui, tunc profanasti; stratum meum ascendit" (*Genes. xl ix. 3, 4*):

per "Reubenem primogenitum meum" significatur fides quae apparet priori loco, seu verum ex bono natum; per "Tu robur meum, et principium virium mearum," significatur quod per illud potentia bono, et prima potentia vero; per "excellens eminentia et excellens valore" significatur quod inde gloria et potestas: per "levis sicut aqua" significatur quod fides separata a charitate non talis sit; per "ne excellas" significatur quod ei nec gloria et potestas; per "quia ascendisti cubilia patris tui" significatur quia verum fidei separatum a bono charitatis foedam conjunctionem habet; per "tunc profanasti" significatur quod sic coniunctum amori sui et mundi ac inde malo, quod profanum; per "stratum meum ascendit" significatur quod contaminaverit bonum spirituale in naturali. (Sed haec plene explicata videantur in *Arcana Caelestibus*, n. 6341–6350.) Quod primogenitura ideo data fuerit duobus filiis Josephi, Ephraimo et Menassi, intelligitur per haec verba Israelis patris ad Josephum,

"Nunc duo filii tui nati tibi in terra Aegypti antequam veni... in Aegyptum, mihi illi; Ephraim et Menasse sicut Reuben et Simeon erunt mihi" (*Genes. xl viii. 5*):

et in *Libro [Primo] Chronicorum*,

Reuben "est primogenitus; sed quia polluit stratum patris sui, data est primogenitura ejus filiis Josephi filii Israelis" (v. 1, 2):

per "Ephraimum" enim in Verbo simile significatur quod per "Reubenem," nempe intellectus veri et verum in luce; quod dicatur quod "Ephraim et Menasse erunt filii Israelis sicut Reuben et Simeon," est quia per "Reubenem" significatur intellectus veri et per "Simeonem" voluntas veri, similia etiam per "Ephraimum" et "Menassen." Ex his nunc constare potest, quodnam universale esse entia ecclesiae per "Reubenem" in Verbo significatur.

**435[a].** "Ex tribu Gadis duodecim millia signati."—Quod significet bonum vitae inde, constat ex representatione tribus Gadis, quod sit bonum vitae (de qua sequitur); et ex significatione "duodecim millium signatorum," quod sit quod omnes illi in caelo sint et in caelum veniant (de qua

supra in binis praecedentibus articulis). Antequam ex Verbo ostenditur quid per Gadem et per tribum ab illo nominatam in ecclesia repraesentabatur, aliquid dicetur quid intelligitur per bonum vitae, quod hic per "tribum Gadis" significatur:—Datur bonum vitae ex origine caelesti, ex origine spirituali, et ex origine naturali. Bonum vitae ex origine caelesti est bonum vitae quod fit ex bono amoris in Dominum per vera ex illo bono; bonum vitae est effectus illorum: hoc bonum vitae est quod hic per "tribum Gadis" significatur; quare dicitur bonum vitae inde, nempe ex bono amoris in Dominum quod per "tribum Jehudae" significatur, per vera ex illo bono quae per "tribum Reubenis" significantur. Bonum vitae ex origine spirituali est bonum vitae quod fit ex bono charitatis erga proximum per vera ex illo bono; hoc bonum vitae intelligitur per "Menassen." Duodecim enim tribus Israelis hic divisae sunt in quatuor classes, et sunt tres tribus in qualibet classe; quae tres in serie significant talia quae plene a principio ad finem seu a primo ad ultimum constituunt ipsum universale esseentiale ecclesiae quod per primam tribum significatur; tres tribus primum nominatae, nempe tribus Jehudae, Reubenis et Gadis, significant illa quae constituunt plene bonum caeleste; tres autem tribus sequentes, nempe tribus Ascheris, Naphthali et Menasses, significant illa quae constituunt plene bonum spirituale; similiter tribus postea sequentes. Sunt etiam tria quae plene constituunt et formant unumquodvis universale esseentiale; nempe, bonum amoris, verum ex illo bono, et inde bonum vitae; bonum vitae est effectus illorum, nam nisi tertium sit quod producitur, bina priora non dantur; hoc est, nisi bonum vitae sit, bonum amoris et verum ex illo bono non dantur. Haec tria sunt sicut causa finalis, causa efficiens, et effectus; bonum amoris est causa finalis, verum ex illo bono est causa efficiens seu per quod bonum efficit, et bonum vitae est effectus in quo priores causae existunt; quae non existunt nisi effectus sit in quo existant et subsistant. Sunt etiam tria illa sicut pulsus cordis, respiratio pulmonum, et actio corporis; haec unum faciunt; nam si non corpus agit aut se non agi patitur, ut fit cum homo moritur, duo illa cessant: simile est cum bono amoris, vero ex illo bono, et bono vitae; bonum amoris est instar cor-

dis, etiam intelligitur per "cor" in Verbo; verum ex illo bono est instar pulmonum, etiam intelligitur in Verbo per "spiritum" et "animam;" et bonum vitae est instar corporis in quo illa agunt et vivunt: similia tria sunt in unaquavis re quae existit, et cum tria illa simul existunt est formatio plena. Quid per "Gadem" seu per "tribum Gadis" in omni sensu significatur, primum dicetur: per "Gadem" in supremo sensu significatur Dominus quoad omnipotentiam et omniscientiam, in sensu interno bonum veri, et in sensu externo opera inde quae sunt bonum vitae. Quod talia per "Gadem" significantur, est quia in omnibus et singulis Verbi est sensus intimus, internus, et externus: in sensu intimo est solus Dominus, agitur enim ibi de Ipso, de glorificatione Humani Ipsiū, de ordinatione caelorum, subjugatione inferorum, et de instauratione ecclesiae ab Ipso; quare singulæ tribus significant Dominum quoad aliquod Ipsiū attributum et opus, in sensu intimo: in sensu autem interno agitur de caelo et de ecclesia, et traditur doctrina: Verbum vero in sensu externo est quale est in sensu litterae. Quod tres sensus in Verbo sint, est quia tres caeli sunt: sensus intimus seu caelestis est pro intimo seu tertio caelo; sensus internus seu spiritualis est pro medio seu secundo caelo; et sensus externus seu spiritualis naturalis est pro primo seu ultimo caelo. Quod "tribus Gadis" in hoc loco *Apocalypses*, ubi duodecim tribus nominantur, significet bonum vitae, est quia in ordine sequitur post Jehudam et Reubenem, ac per "Jehudam" significatur bonum amoris, per "Reubenem" verum ex illo bono, inde per "Gadem" significatur bonum vitae; nam ex bono amoris, per vera ex illo, existit bonum vitae, est enim bonum vitae tertium in ordine quod sequitur, nam est effectus illorum, ut supra dictum est.

[*b.*] Quoniam bonum vitae est bonum naturalis hominis, ideo hereditas tribui <sup>[*a*]</sup>Gadis data est trans Jordanem, et simul tribui Reubenis et dimidiae tribui Menassis ibi; terra enim, quae trans Jordanem erat, significabat ecclesiam externam (ut in superiori articulo ostensum est), et ecclesiae externae sunt illa quae procedunt ex naturali homine: ipsa ecclesia in se spectata est in interno seu spirituali homine, externa autem in externo seu naturali, quae tamen unum agent sicut causa et effectus. Quod tribui <sup>[*a*]</sup>Gadis here-

ditas data sit trans Jordanem, constat apud *Mosen*,

Data est hereditas Reubenii, Gadi et dimidiae tribui Menassis citra Jordanem, ubi terra pecoris; ac data est cum conditione, si armati transirent cum reliquis ad acquirendum terram Canaanem (*Num.* xxxii. 1 ad fin.; cap. xxxiv. 14):

porro,

"Reubenitis et Gaditis dedi Gilead usque ad fluvium Arnonis, intra flumen et terminum, et usque ad Jabbokum flumen, terminum filiorum Ammonis; tum planitiam et Jordanem et terminum a Cinnereth usque ad mare, planitiam, mare salis, infra aquaeductus Pisgae versus ortum" (*Deutr.* iii. 16, 17):

et apud *Fosuam*,

"Dedit Moses . . . filiis Gadis, . . . ut esset illis terminus Jaeser, et omnes urbes Gileadis, et dimidium terrae filiorum Ammonis usque ad Arorem, quae ante facies Rabbae, tum a Chesbone usque ad Ramath Mizpae et Betonim," etc. (xiii. 24-28).

Quid per "Gadem" significatur, non modo constare potest ex locis in Verbo ubi Gad nominatur, sed etiam a terris quae datae tribui illi in hereditatem, ubi illae quoque in Verbo nominantur, sicut ubi nominantur Chesbon, Jaeser, Rabba, Ramath Mizpae, fluvius Arnonis, Cinnereth, aqueductus Pisgae, et plura; quid illae terrae in sensu spirituali significant, nemo scire potest nisi sciatur quid significant "tribus Reubenis," "Gadis" et "dimidia tribus Menassis," quibus illae terrae datae sunt in possessionem; significant enim talia quae in sensu lato et stricto significantur per illas tribus:—Sicut apud *Jeremiam*,

"Contra filios Ammonis: . . . Num filii non Israeli? Num heres non illi? Quare ergo hereditavit rex eorum Gadem, et populus illius in urbibus ejus habitavit? Propterea ecce dies venientes, quibus audiari faciam contra Rabbath filiorum Ammonis clangorem belli, fietque in acervum desolationis, et filiae ejus igne comburentur, et hereditabit Israel heredes suos: . . . ejula Chesbon, quia devastata est Ai, clamate filiae Rabbae, accingite saccos, plangite et vagamini inter macerias; quia rex eorum in exilium abibit, sacerdotes et principes ejus simul" (xlix. 1-3):

qui non scit quid per "Gadem" et "Israelem" significatur, nec scire potest quid ibi significatur per "filios Ammonis," per "Chesbonem" et per "Rabbam;" erant enim Rabba, Chesbon et dimidium terrae Ammonis data tribui Gadis in hereditatem; quare per illas terras talia significantur in specie quae per "Gadem" in genere; nam dicitur, "Quare ergo hereditavit rex filiorum Ammonis Gadem, et populus illius in urbibus ejus habitavit?" Omnia enim

nomina terrarum, regionum, urbium, fluviorum et populo-  
rum in Verbo significant res ecclesiae: per "Gadem" ibi  
significatur bonum vitae secundum vera doctrinae, per  
"Israelem" ecclesia quoad verum, per "filios Ammonis"  
significantur falsificationes veri, per "Chesbonem" fructifi-  
catio veri in naturali homine, per "filias Rabbae" affec-  
tiones veri etiam in naturali homine, ac per "Ai" doctrina  
veri; ex his cognitis sequitur sensus spiritualis illorum  
verborum in hac serie: "contra filios Ammonis" significat  
contra falsificationes veri: "Num filii non Israeli? num  
heres non illi?" significat nonne in ecclesia sunt cognitio-  
nes veri et boni; "Israel" est ecclesia, "filii ejus" sunt  
vera, "heres" est bonum veri: "quare ergo hereditavit  
rex eorum Gadem, et populus illius in urbibus ejus habita-  
vit?" significat unde est quod verum falsificatum destruxer-  
it bonum vitae, et quoque perverterit doctrinalia secun-  
dum quae vita: "ecce dies venientes quibus audire faciam  
contra Rabbath filiorum Ammonis clangorem belli, fietque  
in acervum desolationis," significat destructionem illius  
doctrinae nempe falsificati veri, et destructionem illorum  
qui in illa sunt; "et filiae ejus igne comburentur" signi-  
ficat quod affectiones illius fient concupiscentiae mali; "et  
hereditabit Israel heredes suos" significat quod peritura  
ecclesia quoad bona: "ejula Chesbon, quia devastata est  
Ai," significat quod non amplius fructificatio veri ex bono,  
quia deperdita est doctrina veri; "clamate, filiae Rabbae,  
accingite saccos, plangite," significat quod non amplius  
affectiones veri; "et vagamini inter maccerias" significat  
cognitionem et vitam ex falsis; "quia rex eorum in ex-  
iliū abivit" significat quia verum non amplius; "sacer-  
dotes ejus et príncipes ejus simul" significat quod non  
amplius bona et vera boni. Ex his patet quod per "terras  
hereditatis Gadis" similia in specie significantur quae per  
"Gadem" in genere, et quod terrarum in Verbo nominata-  
rum significaciones noscantur ex significacione tribuum  
quibus datae sunt in hereditatem. Aliud quid intelligitur  
per terras quae dicuntur dandae tribui Gadis in hereditatem  
apud *Ezechielem* (cap. xlviij. 27): quod non tribus Gadis  
intellecta sit, sed tale ecclesiae quod per "Gadem" signifi-  
catur, patet; nam tribus Gadis non tunc fuit, nec erit.  
Quod per "Gadem" significetur bonum vitae ex veris

doctrinae, constat ex benedictione illius tribus a Mose,

"Gadi dixit, Benedictus qui latitudinem dedit Gadi; sicut leo habitat, et rapit brachium, etiam verticem; et videt primitias sibi; ibi namque portio legislatoris absconditi; unde venerunt capita populi; justitiam Jehovahe fecit, et <sup>[1]</sup>judicia cum Israele" (*Deutr. xxxiii. 20, 21*):

per "Gadem" hic describitur bonum vitae secundum vera ex Verbo, et influxus caeli in id bonum; influxus veri in id bonum a Domino, significatur per "Benedictus qui latitudinem dedit Gadi;" per "latitudinem" significatur verum, per "Gadem" bonum vitae, per "Benedictum" Dominus; quod tutus sit a falsis significatur per "sicut leo habitat;" quod nutriatur a veris externis et internis, significatur per "rapit brachium etiam verticem," "brachium" enim et "vertex" in sacrificiis illa significabant; quod ex primariis, significatur per "vidit primitias sibi;" vera Divina quae inibi latent, significantur per "ibi namque portio legislatoris absconditi;" intelligentia inde, significatur per "unde venerunt capita populi;" bona opera inde, significantur per "justitiam Jehovahe fecit;" et vera ecclesiae inde, significantur per "judicia Ejus cum Israele." Quod per "Gadem" significetur bonum vitae, est quia nominatus est a *turma* (*Gen. xxx. 10, 11*), nam *Gad* in lingua Hebraea significat turmam, ac per "turam" in sensu spirituali significantur opera, et bonum vitae consistit in faciendo bona quae sunt opera (de qua re videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 3934). Quid autem significatur per "Gadem" in benedictione patris ejus Israelis, quae talis apud *Mosen*,

"Gad, turma depopulabitur illum, et is depopulabitur calcaneum" (*Gen. xlix. 19*),

videatur explicatum in *Arcanis Caelestibus* (n. [2]6403-6406); tum quid significatur per haec apud *Esaiam*,

"Vos qui deseritis Jehovaham, qui obliviscimini montis sanctitatis meae; qui disponitis Gadi mensam, et qui impletis Menio libamen" (*Ixv. 11*) (n. 6405 ibi).

**436.** Ex his nunc constare potest quid per tres tribus primum nominatas, "Jehudam," "Reubenem" et "Gadem," significatur in specie, tum quid per tres illas in complexu; nomina enim personarum et locorum in Verbo significant res, non modo unumquodvis singillatim suam rem, sed

etiam in complexu rem in serie. Res in serie quam significant tria haec nomina, "Jehudah," "Reuben," et "Gad," est quod in intimo seu tertio caelo sint omnes qui in amore in Dominum sunt, et ex illo in veris, et per haec in bono vitae: sunt enim illis tres gradus vitae aperti; intimus est ubi residet amor in Dominum, medius ubi vera ex illo bono, et ultimus ubi bonum vitae. Sunt apud unumquemvis hominem tres gradus vitae: intimus gradus est apertus apud illos qui in tertio caelo sunt; aperitur enim immediate a Domino apud illos qui in amore in Ipsum sunt, nam est per amorem conjunctio et inde receptio; ex eo est quod sint in omnibus veris, quae vident in se, et per haec sunt in bono vitae. (Quod tres gradus vitae sint apud unumquemvis angelum, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 33, 34: et quod tertius gradus apertus sit apud illos qui in tertio caelo sunt, n. 208, 209; quales sunt angeli tertii caeli, n. 24-26, 267, 270, 271.)

## VERSUS 6.

**437.** "Ex tribu Ascheris duodecim millia signati; ex tribu Naphthali duodecim millia signati; ex tribu Menassis duodecim millia signati."

6. "*Ex tribu Ascheris duodecim millia signati*," significat *charitatem erga proximum, et quod omnes qui in illa sunt, in caelo sint et in caelum veniant* [n. 438]; "*ex tribu Naphthali duodecim millia signati*," significat *regenerationem et temptationem* [n. 439]; "*ex tribu Menassis duodecim millia signati*," significat *bona vitae inde* [n. 440].

*Et quod omnes illi in caelo secundo sint et in id caelum veniant* [n. 441].

**438.** [*Vers. 6.*] "*Ex tribu Ascheris duodecim millia signati*."— Quod significet *charitatem erga proximum, et quod omnes qui in illa sunt, in caelo sint et in caelum veniant*, constat ex significazione "tribus Ascheris," quod sit affectio spiritualis, quae est *charitas* (*de qua sequitur*); et ex significazione "duodecim millium signatorum," quod sint qui in caelo sunt, et in caelum veniunt (*ut supra*, n. 433[*a*]). Quod "tribus Ascheris" amorem erga proximum, qui *charitas* vocatur, significet, patebit ex sequentibus; etiam patet ex eo, quod duodecim tribus simul sumptae repraesentaverint caelum et ecclesiam, et quod inde in Verbo significant illa, et quod unaquaeviis tribus repraesentaverit et inde significet aliquod universale esse quod facit caelum et ecclesiam. Sunt in genere tria universalia essentialia quae faciunt; nempe, amor in Dominum, *charitas erga proximum, et fidei obedientia*: amor in Dominum significatur per tres primas tribus, nempe *Jehudae, Reubenis et Gadis* (*ut supra ostensum est*); *charitas erga*

proximum significatur per has tres tribus, nempe Ascheris, Naphthali et Menassis; fidei vero obedientia significatur per tres sequentes tribus, nempe Simeonis, Levi et Isascharis; conjunctio omnium illorum cum Domino significatur per ultimas tres tribus, nempe Zebulonis, Josephi et Benjaminis: haec in summa significantur per omnes has tribus in hoc ordine nominatas, nam significationes illarum sunt secundum ordinem in quo nominantur (ut supra, n. 431<sup>[c]</sup>, 435<sup>[a]</sup>, 436, dictum et ostensum est). Praeterea per "signatos" intelliguntur qui separati a malis et recepti in caelum, ac per tres primas tribus intelliguntur qui recepti in caelum supremum seu tertium, ubi omnes sunt in amore in Dominum; per tres subsequentes tribus, de quibus nunc, intelliguntur qui recepti in caelum medium seu secundum, ubi omnes sunt in charitate erga proximum; per tres vero adhuc sequentes tribus intelliguntur qui recepti in caelum ultimum seu primum, ubi sunt qui in obedientia quae fidei vocatur; perque tres ultimas tribus intelligitur receptio omnium illorum in tres caelos a Domino; sunt enim tres caeli, unum ab altero distinctum secundum gradus boni amoris. Ex his et illis primum constare potest quod per secundam hanc classem tribuum, seu per tres tribus, nempe Ascheris, Naphthali et Menassis, intelligantur illi qui in charitate erga proximum sunt; per "tribum Ascheris" charitas erga proximum, per "Naphthali" regeneratio eorum et per "Menassen" bonum vitae eorum. qui in illa. Quid autem "Ascher" significat in regno Domini seu in ecclesia, primum dicetur: "Ascher" significat beatum affectionum spiritualium, et inde ipsam affectionem spiritualē; et quia affectio spiritualis est quae vocatur amor erga proximum seu charitas, inde est quod per "Ascherem" hic charitas significetur; consequenter per "duodecim millia" ex illa tribu significantur hic omnes qui in charitate sunt, et sic in caelo secundo seu medio. Quod Ascher dictus sit ex *beato* seu *beatitudine*, constat non modo ex significatione vocis illius in lingua Hebraea, sed etiam ex dictis de illo ex Lea uxore Jacobi, cum natus, quae haec sunt,

"Peperit Silpah, ancilla Leae, filium secundum Jacobo; et dixit Leah,  
In beatitudine mea, quia beatificabunt me filiae; et vocavit nomen  
ejus Ascher" (*Gen. xxx. 12, 13*):

per "filias" quae beatificabunt, significantur affectiones veri spirituales quae faciunt ecclesiam, ex quibus omnis beati-

tudo interna quae caelestis, in qua beatitudine sunt illi qui in charitate erga proximum sunt; nam charitas erga proximum est affectio veri spiritualis (ut mox supra dictum est); affectio enim veri spiritualis est amare verum in sua essentia, hoc est, amare verum quia est verum: proximus etiam in spirituali sensu nec aliud est quam bonum et verum, et charitas est amor ejus (ut constare potest ex illis quae in *Doctrina Novae Hierosolymae*, De Amore erga Proximum, qui vocatur Charitas, n. 84—107, dicta et ostensa sunt: reliqua videantur explicata in *Arcanis Caelestibus*, n. [1]3936—3939). Quod “Ascher” significet beatum quod est amoris et charitatis, adhuc constare potest a benedictione ejus ab Israele patre, quae talis,

“Ab Aschere pinguis panis ejus, et ille dabit delicias regis” (*Gen. xl ix. 20*):

“ab Aschere” significat ab affectionibus caelestibus et spiritualibus, quae sunt amoris in Dominum et charitatis erga proximum; “pinguis panis ejus” significat jucundum ex bono; “et ille dabit delicias regis” significat amoenum ex vero. (Sed haec amplius explicata videantur in *Arcanis Caelestibus*, n. 6408—6410.) Simile etiam significatur per “Ascherem” in benedictione ejus a Mose, nempe jucundum affectionis veri ex Verbo, quae benedictio est talis,

“Ascheri dixit, Benedictus p[ro]e filii Ascher, sit acceptus fratribus suis, et intingens in oleum pedem suum; ferrum et aes calceus tuus; et sicut dies fama tua” (*Deutr. xxxiii. 24, 25*):

in benedictione filiorum Israelis a Mose continentur arcana de Verbo, et per “Ascherem,” qui ultimo loco ibi nominatur, significatur affectio spiritualis veri ex Verbo; quare dicitur “Benedictus p[ro]e filii Ascher, sit acceptus fratribus suis;” “filii” significant vera, et “fratres” ecclesiam ex illis, ac “benedictus” et “acceptus” dicuntur de affectione illorum: bonum amoris ex quo vera Verbi in sensu litterae, significatur per “intingens in oleum pedem suum;” per “pedem” significatur verum in ultimis, quod est verum sensus litterae Verbi, et per “oleum” significatur bonum amoris: quod ultimum Verbi sit verum et bonum naturale, significatur per “ferrum et aes calceus tuus;” verum naturale significatur per “ferrum,” et bonum naturale per “aes,” ac ultimum per “calceum: quod Verbum duraturum sit in aeternum, significatur per “Sicut dies fama tua.” (Quod “ferrum” significet verum naturale, videatur supra, n. 176; quod “aes” bonum

naturale, etiam supra, n. 70; et quod "calceus" ultimum naturalis, quod est sensuale, in *Arcanis Caelestibus*, n. 1748, [n]2162, 6844.) Quoniam "Ascher" significat jucundum affectionum, quale est illis qui in veris sunt ex sensu litterae, ideo

Castrametabatur illa tribus una cum tribu Danis et tribu Naphthali ad septentrionem (*Num.* ii. 25-31).

Per castrametationes filiorum Israelis in deserto repreäsentabantur ordinationes societatum angelicarum in caelis (videatur supra, n. 431[c]); et ibi ad septentrionem habitant qui in affectione cognitionum spiritualium sunt ex bono charitatis. Quod "Ascher" significet beatum spirituale, quod est beatum ex amore et charitate, etiam constare potest apud *Ezechielem*, ubi agitur de nova terra, et de nova urbe, ac terra ibi distribuitur ut hereditas inter omnes tribus Israelis, ac urbi designantur duodecim portae, una pro quavis tribu: de hereditate Ascheris agitur ibi, cap. xlviij. [n]1-3; et de portis, his verbis,

"Angulus versus mare <sup>[3]</sup>quingentae [ulnae] et quatuor millia: portae urbis tres; porta Gadis una, porta Ascheris una, porta Naphthali una: circuitus octodecim millia, et nomen urbis a die, Jehovah schammah" ([vers.] 34, 35):

per "terram," quae distribuetur in hereditatem, significatur ecclesia; per "filios Israelis" inter quos distribuenda, significantur omnia vera ex bono quae sunt ecclesiae in complexu; per "urbem" significatur doctrina veri ex bono amoris, quare illa vocatur "Jehovah schammah," seu "Jehovah ibi;" per "portas" significantur vera introducentia, quae sunt doctrinalia; per numerum "<sup>[4]</sup>quatuor millia et quingenta" significantur etiam omnia vera ex bono, et per "octodecim millia" omnia vera doctrinæ cingentia et tutantia. Ex quibus patet quod non modo omnia et singula ibi, usque ad numeros, significant res ecclesiae, sed etiam quod non aliqua tribus Israelis ibi intellecta sit, sed pro tribu nominata aliquod universale essecciale ecclesiae: ibi etiam constat quod per "Ascherem" significetur affectio veri spiritualis, quae unum facit cum charitate erga proximum. (Quod per "Ascherem" in supremo sensu significetur aeternitas, in interno felicitas vitae ex beato affectionum quae sunt amoris et charitatis, et in externo jucundum naturale inde, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 3938, 3939, 6408.)

**439. "Ex tribu Naphthali duodecim millia signati."**—Quod significet regenerationem et temptationem, constat ex representatione et inde significatione "Naphthali" et ejus tribus,

quod sit tentatio et status post illam ; et quia tentationes fiunt propter regenerationem, etiam regeneratio per "Naphthali" significatur. (Quod qui regenerantur tentationes subeant, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 187-201). Quod "Naphthali" et inde tribus ab illo nominata significet temptationem et statum post illam, proinde etiam regenerationem, constare potest ex Rachelis verbis quando Bilha ancilla ejus peperit illum, quae haec sunt :

"Et concepit adhuc et peperit Bilha ancilla Rachelis filium secundum Jacobo : et dixit Rachel, Luctationibus Dei luctata sum cum sorore mea, et valui ; et vocavit nomen ejus Naphthali" (*Gen. xxx. 7, 8*) :

"luctationes Dei" significant temptationes spirituales ; et quia Rachel reprezentabat ecclesiam internam quae spiritualis, et Leah ecclesiam externam quae naturalis, patet quid significatur per quod Rachel luctata sit cum sorore sua et quod valuerit, quod nempe spiritualis homo cum naturali pugnaverit ; omnis enim tentatio est pugna inter spiritualem hominem et naturalem ; spiritualis enim homo amat et vult illa quae caeli sunt, nam ille est in caelo, ac naturalis homo amat et vult illa quae mundi sunt, nam ille est in mundo ; inde desideria utriusque sunt opposita ; ex eo est collisio et pugna quae vocatur tentatio. Quod "Naphthali" significet temptationem et statum post illam, et inde regenerationem, constare adhuc potest ex sequentibus locis :—Ex benedictione ejus ab Israele patre,

"Naphthali cerva demissa, dans sermones elegantiae" (*Gen. xl ix. 21*) :

"Naphthali" hic significat statum post temptationem, qui status est plenus gaudio ex affectione quod spirituale et naturale ac bonum et verum conjuncta sint, conjuguntur enim per temptationes ; "cerva demissa" significat liberum affectionis naturalis ; "dans sermones elegantiae" significat laetitiam mentis. (Sed haec amplius explicata videantur in *Arcanis Caelstibus*, n. 6412-6414.) Et quoque ex benedictione ejus a Mose,

"Et Naphthali dixit, Naphthali satur beneplacito, et plenus benedictione Jehovahe ; occidentem et meridiem posside" (*Deut. xxxiii. 23*) :

etiam hic describitur status post temptationem, quod nempe impleantur omni bono amoris et veris inde ; nam post temptationes homo impletur gaudio, ac apud illum fructificatur bonum et multiplicatur verum ; impleri bono amoris intel-

ligitur per "satur beneplacito Jehovae;" et impleri veris inde, per "plenus benedictione Jehovae:" quod inde affectio veri ac illustratio, significatur per "Occidentem et meridiem posside," affectio veri per "occidentem," et illustratio per "meridiem;" quod dicatur "Occidentem et meridiem posside," est quia illi qui post instructiones in caelum elevantur, per occidentem feruntur ad meridiem, ita per affectio- nem veri in lucem veri. Simile significatur per "Naphthali" in Canticō Deboraē et Baraki, in *Libro Iudicūm*,

"Sebulon, populus devovit animam [suam] ad moriendum, et Naphthali, super altitudinibus agri" (v. 18):

erant illae binae tribus quae pugnarunt contra Siseram, principem exercitus Jabini regis Canaanis, et vicerunt, qui escentibus decem reliquis tribubus; et per id repreäsentabatur pugna spiritualis contra mala quae infestant ecclesiam, ut quoque constat ex cantico propheticō Deboraē et Baraki, in quo de illa re agitur; quod solum tribus Sebulonis et Naphthali pugnaverint, erat causa quia per "Sebulonem" significatur conjunctio boni et veri quae facit ecclesiam, et per "Naphthali" pugna contra mala et falsa infestantia illam et resistantia conjunctiōni boni et veri; et inde per utrumque significatur reformatio et regeneratio: per "altitudines agri" significantur interiora ecclesiae, e quibus pugna. Per "Sebulonem et Naphthali" simul, significatur etiam reformatio et regeneratio per tentationes,

Apud *Esaiam*, cap. viii. 22, 23 [B. A. viii. 22, cap. ix. 1]; cap. ix. 1 [B. A. 2]: et inde apud *Matthaeum*, cap. iv. 12-16.

In supremo autem sensu per "Sebulonem et Naphthali" significatur unitio Divini ac Humani in Domino; in supremo enim sensu agitur unice de Domino, in genere de glorificatione Humani Ipsius, ac de subjugatione inferorum et ordinatione caelorum ab Ipso: in hoc sensu nominantur Sebulon et Naphthali apud *Davidem*,

"Viderunt gressus tuos, Deus, gressus Dei mei, Regis mei in sanctuario; praecesserunt cantantes post pulsantes in medio virginum tympanizantium; in congregationibus benedicite Deo, Domino e fonte Israelis; ibi Benjamin parvus praest illis; principes Jehudae coetus eorum; principes Sebulonis, principes Naphthali: praecipit Deus tuus robur tuum; in due robur, Deus: hoc fecisti nobis e Templo tuo super Hierosolymam; Tibi adducent reges munus. Increpa feram arundinis, congregationem fortium, inter vitulos populorum; conculcans laminas argenti, dispersit populos, bella

desiderant. Venient pingues ex Aegypto; Aethiopia accelerabit manus suas Deo" (Ps. lxviii. 25-32 [*B. A. 24-31*]):

agitur ibi in sensu spirituali de adventu Domini, ac de glorificatione Humani Ipsius, tum de subjugatione infernorum, ac de salvatione inde. Celebratio Domini propter adventum Ipsius describitur in his verbis, "Viderunt gressus tuos, Deus, gressus Dei mei, Regis mei in sanctuario; praecesserunt cantantes post pulsantes in medio virginum tympanizantium; in congregationibus benedicite Deo, Domino e fonte Israelis:" (quid autem singula haec significant, explicata videantur supra, n. 340[*a*]:) innocentia Ipsius, ex qua omnia operatus est et peregit, significatur per "Benjamin parvus praeest illis;" Divinum Verum ex Divino Bono, significatur per "principes Jehudae coetus eorum;" glorificatio, seu unitio Divini et Humani ex propria potentia, per "principes Sebulonis et principes Naphthali;" quod inde Divina potentia Humano Domini, per "Praecepit Deus tuus robur tuum; inde robur, Deus; hoc fecisti nobis e Templo tuo super Hierosolymam;" per "Templum" ibi intelligitur Divinum Humanum Domini, et per "Hierosolymam" ecclesia pro qua: subjugatio infernorum significatur per "Increpa feram arundinis, congregationem fortium, inter vitulos populorum, conculcans laminas argenti, dispersit populos, bella desiderant;" "fera arundinis, et congregatio fortium" est scientificum naturalis hominis pervertens vera et bona ecclesiae; "vituli populorum" sunt bona ecclesiae; "laminae argenti" sunt vera ecclesiae; "dispersit populos, bella desiderant," significat pervertere et ratiocinari contra illa. Per subjugationem infernorum intelligitur subjugatio naturalis hominis, nam ibi sunt mala ex inferno; sunt enim ibi jucunda amoris sui et mundi, et sunt scientifica confirmantia illa; quae jucunda, quando pro fine sunt et prae-dominantur, sunt contra bona et vera ecclesiae: quod naturalis homo, quando subjugatus est, subministret scientifica concordantia, ac cognitiones veri et boni, significatur per quod "venient pingues ex Aegypto, Aethiopia accelerabit manus suas Deo;" "Aegyptus" est naturalis homo quoad scientifica, et "Aethiopia" est naturalis homo quoad cognitiones boni et veri. Ex his paucis constare potest quid significatur per "Naphthali" et ejus tribum in Verbo, quod nempe in supremo sensu propria potentia Domini,

ex qua subjugavit inferna, et glorificavit Humanum suum ; in sensu interno tentatio, et status post temptationem ; ac in sensu externo resistentia a naturali homine ; inde quoque per "Naphthali" significatur reformatio et regeneratio, quia hae sunt effectus temptationum.

**440[a]. "Ex tribu Menassis duodecim millia signati."**—

Quod significet bona vitae inde, constat ex representatione et inde significatione "tribus Menassis," quod sit voluntarium ecclesiae, et inde bonum vitae ; quod sit bonum vitae est quia hoc cum voluntario ecclesiae seu hominum ecclesiae unum facit ; quod enim homo vult, hoc facit dum potest ; factum enim non est nisi quam voluntas agens, ut constare potest ex eo, quod factum cessen quando voluntas, et quod perstet quamdiu voluntas ; quod voluntas hominis regenerati facit, hoc vocatur bonum vitae : inde nunc est quod quia per "Menassen" et ejus tribum significatur voluntarium ecclesiae, etiam significetur bonum vitae. Succedit etiam bonum vitae ex charitate erga proximum post regenerationem, quae significantur per "Ascherem et Naphthali," sicut effectus ex sua causa ; nam qui in charitate erga proximum sunt, regenerantur a Domino ; et qui regenerati sunt in bono vitae sunt, agunt enim ex charitate, et omnis actio ex charitate est bonum vitae. Sunt duo quae faciunt ecclesiam, nempe verum doctrinae et bonum vitae ; utrumque erit apud hominem ut sit homo ecclesiae : haec duo representata sunt, et inde significantur in Verbo, per "Ephraimum" et "Menassen," verum doctrinae per "Ephraimum," et bonum vitae per "Menassen." Verum doctrinae etiam vocatur intellectuale ecclesiae, ac bonum vitae vocatur voluntarium ejus ; nam verum est intellectus, et bonum est voluntatis : inde est quod etiam per "Ephraimum" et "Menassen" significantur intellectuale et voluntarium ecclesiae ; per "Ephraimum" intellectuale, et per "Menassen" voluntarium ejus. Ut talia representarentur et inde significarentur per Ephraimum et Menassen, nati sunt Josepho in terra Aegypti ; per "Josephum" enim significatur caeleste spirituale, seu ipsum regnum spirituale quod regno caelesti adjunctum est, et per "terram Aegypti" significatur naturale ; quare bonum voluntatis in naturali natum ex caelesti spirituali significatur per "Menassen," et verum intellectus in naturali etiam inde natum significatur per "Ephraimum."

De nativitate eorum ita legitur apud *Mosen*,

"Et Josepho natum, duo filii antequam venit annus famis, quos peperit ei Asenath filia Potiphaerae sacerdotis On : et vocavit Joseph nomen primogeniti Menasseh, quia oblivisci me fecit Deus omnis laboris mei, et omnis domus patris mei: et nomen secundi vocavit Ephraim, quia fructificari me fecit Deus in terra afflictionis meae" (*Gen. xli. 50-52*):

quid per illa verba in sensu spirituali intelligitur, videatur in *Arcanis Caelestibus* (n.<sup>[1]</sup>5347-5356); nempe quod per nomen primogeniti "Menasseh" intelligatur novum voluntarium in naturali et quale ejus, et per nomen secundi "Ephraim" novum intellectuale in naturali et quale ejus; seu quod idem, per "Menassen" bonum novi naturalis hominis, et per "Ephraim" verum ejus (videatur ibi n. 5351, 5354). Quod illa per "Menassen" et "Ephraimum" significantur, constare etiam potest ex eo, quod illi a Jacobo assumpti fuerint sicut Reuben et Simeon, de qua re ita apud *Mosen*,

"Dixit Jacob ad Josephum, . . . Nunc duo filii tui nati tibi in terra Aegypti, usque ad venire me ad te in Aegyptum, mihi illi ; Ephraim et Menasche sicut Reuben et Simeon erunt mihi ; . . . super nomine fratrum suorum vocabuntur in hereditate sua" (*Gen. xlvi. 3, 5, 6*):

quoniam per "Reubenem" significatur verum intellectu, quod est verum doctrinae, et per "Simeonem" significatur verum voluntate, quod est bonum vitae, ideo dicit Jacob, quod "Ephraim et Menasche essent illi sicut Reuben et Simeon," proinde "Ephraim" intellectuale verum, et "Menasche" voluntarium bonum. (Sed haec amplius explicata videantur in *Arcanis Caelestibus*, n. 6234-6241.) Simile etiam constare potest a benedictione Ephraimi et Menassis a Jacobo tunc Israele, quae talis,

Israel "benedixit Josepho, et dixit, Deus coram quo ambularunt patres mei, Abraham et Jischak, Deus pavens me ab illo usque ad diem hunc ; Angelus redimens me ab omni malo, benedicat pueris, et vocabitur in illis nomen meum, et nomen patrum meorum, Abrahami et Jischaki ; et crescant in multitudinem in medio terrae" (*Gen. xlvi. 15, 16*):

quod etiam hic per "Ephraimum" intelligatur verum intellectuale, et per "Menassen" bonum voluntarium, utrumque in naturali, videatur in *Arcanis Caelestibus* (n. 6274-6285). Et quoque a benedictione Ephraimi et Menassis a Mose, quae talis,

De Josepho, "Primogenito bovis ejus honor illi, et cornua monocerotis cornua ejus, his populos feriet una ad fines terrae ; et hi myriades Ephraimi et chiliades Menassis" (*Deut. xxxiii. 17*),

quae explicata videantur supra (n. 316[d] et 336[b]).

[b.] Quod “Ephraim” significet intellectum veri, et “Menasche” voluntatem boni, utrumque in naturali, constare etiam potest ex his locis:—Apud *Esaiam*,

“In excandescencia Jehovah Zebaoth obscurata est terra, et factus est populus sicut cibus ignis; vir fratri suo non parcent, et si deciderit ad dextram esuriet tamen, et si comedenter ad sinistram non saturabuntur; vir carnem brachii sui comedent, Menasche Ephraimum, et Ephraimus Menaschen; una illi contra” <sup>¶</sup>Jehovam (ix. 18–20 [B. A. 19–21]):

quod hic per quod “Menascheh comedet Ephraimum et Ephraimus Menaschen” significetur quod peritum sit omne bonum et verum ecclesiae, et quod bonum per falsum et verum per malum, videatur supra (n. 386[δ], ubi singula explicata sunt). Apud *Davidem*,

“Mihi Gilead et Mihi Menascheh, et Ephraim robur capitis mei; Jehudah legislator meus” (Ps. ix. 9 [B. A. 7], et cviii. 9 [B. A. 8]):

per “Menaschen” hic significatur bonum ecclesiae, per “Ephraimum” verum ejus, et per “Gilead” naturale; et quoniam potentia Divina est vero ex bono in naturali, ideo dicitur “Ephraim robur capitis mei:” quod Divina potentia sit per verum ex bono in naturali, est quia naturale est ultimum, in quod interiora, quae sunt spiritualia et caelestia, influunt, ac ubi simul sunt et subsistunt; sunt itaque ibi in pleno, in quo et ex quo est omnis operatio Divina; inde est quod Verbi sensui litterae, quia is est naturalis, insit potentia Divina (de qua videatur supra, n. 346; et in *Arcanis Caelestibus*, n. 983<sup>b</sup>): ex his constare potest unde est quod Ephraim dicatur “robur capitis Jehovah:” quod Jehudah dicatur “legislator Ipsius,” est quia per “Jehudam” significatur Divinum Verum internum, sen Verbum in sensu spirituali, ac simile per “legislatorem” et “legem.” Apud eundem,

“Pastor Israelis, adverte aurem, qui ducis sicut gregem Josephum; qui sedes super cherubis, effulge; coram Ephraimo, Benjamine et Menasche excita potentiam tuam, ac ito in salutem nobis” (Ps. lxxx. [2,] 3 [B. A. 1, 2]):

ex sensu spirituali patet quod haec verba contineant supplicationem ad Dominum ut instruat illos qui ab ecclesia, ac ducat per vera ad bonum, ita ad caelum; Dominus dicitur “Pastor Israclis” ex eo quod instruat et ducat; quare dicitur “Qui ducis sicut gregem Josephum;” per “Jo-

sephum" intelliguntur illi ab ecclesia qui in veris ex bono sunt: "qui sedes super cherubis" significat Dominum supra caelos, unde emittit lucem quae illustrat mentes; quare dicitur "Effulge:" ut lux veri penetret usque ad illos qui in naturali vero et bono sunt, ita ad ultimos in ecclesia, significatur per "Coram Ephraimo, Benjamine et Menasche excita potentiam tuam;" per "Ephraimum" intelliguntur illi qui in naturali vero; naturale verum est quale est verum Verbi in sensu litterae; per "Menaschen" intelliguntur qui in naturali bono, quod est jucundum faciendi bonum et discendi verum; per "Benjaminem" intelligitur conjunctivum veri et boni, seu medium conjungens in naturali; per "excitare potentiam" intelligitur usque eo penetrare luce; ut salventur, significatur per "Ito in salutem nobis." Quoniam omne bonum quod est naturali homini, influit a Domino per spiritualem, et absque illo influxu non datur aliquid bonum in naturali; et quia per "Menaschen" representabatur et inde significatur bonum in naturali homine ex origine spirituali, ideo data est tribui illi hereditas trans seu extra Jordanem et quoque cis seu intra Jordanem; nempe dimidiae tribui trans seu extra Jordanem, et dimidiae tribui cis seu intra Jordanem

(Videatur *Num.* xxxii. 33, 39, 40: *Deutr.* iii. 13: *Jos.* xiii. 29–31; cap. xvii. 5–13, 16–18):

per terram trans seu extra Jordanem repraesentabatur et significabatur ecclesia externa, quae est apud homines in naturali homine; per terram autem cis seu intra Jordanem representabatur et significabatur ecclesia interna, quae est apud homines in spirituali homine (de qua re videatur supra, n. 434[*c*] ): ac bonum est quod facit ecclesiam; ac id bonum influit immediate e spirituali homine in naturalem, et absque illo influxu non est ecclesia apud hominem; haec causa est quod tribui Menassis, per quam significabatur bonum ecclesiae, data sit hereditas tam intra quam extra Jordaniem. Quod bonum spirituale influat in bonum naturale immediate, in verum autem naturale mediate, videatur in *Arcanis Caelestibus* (n. 3314, 3573, 3576, 3616, 3969, 3995, 4563); et inde quod parallelismus sit inter bonum spirituale et bonum naturale, non autem inter verum spirituale et verum naturale (n. 1831, 1832, 3514, 3564). Quod "Menaschh" significet bonum ecclesiae seu bonum vitae, quod idem est cum bono

voluntatis, constare potest ex repraesentatione et inde significatione "Ephraimi," quod sit verum ecclesiae, seu verum doctrinae, quod idem est cum vero intellectus; erant enim fratres, et bonum ac verum in Verbo dicuntur fratres. (Quod "Ephraim" significet verum doctrinae, ac inde intellectuale ecclesiae, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 5354, ubi plura loca e Verbo, ubi Ephraim nominatur, allata et explicata sunt; ac praeterea ibi, n. 3969, 6222, 6234, 6238, 6267, 6296.)

**441.** Ostensum est quod per "tribum Ascheris" significetur charitas erga proximum, quae est ipsum spirituale internum eorum qui in secundo seu medio caelo sunt, et quod per "tribum Menassis" significetur bonum vitae, quod est spirituale externum fluens ex spirituali interno eorum; tentatio autem, quae per "tribum Naphthali" significatur, est medium uniens, internum enim et externum uniuntur per temptationes: ex his patet quid tres hae tribus in suo ordine involvunt. Sciendum est quod utrumque tam internum quam externum, unum cum altero concordans, erit apud hominem et apud angelum ut in caelo sit; non potest aliquis solum in uno esse, et in caelo; nempe solum in interno, aut solum in externo: internum enim est sicut anima et externum sicut corpus; anima nihil potest operari nisi per corpus, et corpus nihil potest operari nisi ex anima; quare internum, nisi externum correspondet seu correspondenter concordat, jacet invalidum et sicut extinctum; externum enim erit <sup>[1]</sup>in quo et per quod operabitur, sicut anima in suo corpore et per illud; et externum, nisi internum sit cui correspondeat, jacet sicut mortuum, internum enim erit ex quo operabitur externum. Haec dicta sunt ut sciatur quod per "Ascherem" significetur internum, et per "Menaschen" externum correspondens; ut quoque supra, quod per "Jehudam" significetur internum, et per "Gadem" <sup>[2]</sup>externum correspondens. Simile est in omni re; quare in homine est internum et externum, internum quod ejus spirituale vocatur, et externum quod ejus naturale; unum se conjungit cum altero per correspondentias; inde quale unum est, tale est alterum, et omne quod non per correspondentias unum facit cum altero, dissipatur et perit.

## VERSUS 7.

**442.** "Ex tribu Simeonis duodecim millia signati; ex tribu Levi duodecim millia signati; ex tribu Isascharis duodecim millia signati."

7. "Ex tribu Simeonis duodecim millia signati," significat obedientiam, et quod omnes qui in illa, in caelo sint et in caelum veniant [n. 443]; "ex tribu Levi duodecim millia signati," significat bona opera [n. 444]; "ex tribu Isascharis duodecim millia signati," significat fidem et salutem [n. 445].

**443[a].** [Vers. 7.] "**E**x tribu Simeonis duodecim millia signati."—Quod significet obedientiam, et quod omnes qui in illa, in caelo sint et in caelum veniant, constat ex representatione et inde significatione "tribus Simeonis," quod sit obedientia (de qua sequitur); et ex significatione "duodecim millium signatorum," quod sint omnes qui in caelo sunt et in caelum veniunt (de qua supra). Tribus Simeonis, Levi et Isascharis, qui nunc recensentur et tertiam classem signatorum constituunt, significant illos qui in primo seu ultimo caelo sunt et in id veniunt: nam, sicut supra dictum est, agitur hic de omnibus qui in caelo sunt et in caelum veniunt; et quia caeli tres sunt, tertium seu intimum, secundum seu medium, ac primum seu ultimum, ideo agitur distincte de illis qui in tertio, qui in secundo, et qui in primo sunt. Illi qui in tertio seu intimo caelo sunt et in id veniunt, significantur per "Jehudam, Reubenem et Gadum," qui ideo primam classem signatorum constituunt; illi qui in secundo seu medio caelo sunt et in id veniunt, significantur per "Ascherem, Naphthalin et Menassen," qui ideo secundam classem signatorum constituunt; illi autem qui in primo seu ultimo caelo sunt et in id veniunt, significantur per "Simeonem, Levin et Isascharem," qui ideo nunc tertiam classem signatorum constituunt. Hi qui ad primum seu ultimum caelum pertinent, sunt omnes in obedientia faciendi vera et bona, quae praecepta sunt in Verbo, aut in doctrina ecclesiae in qua nati sunt, aut a magistro seu antistite a quo audiverunt hoc aut illud verum et bonum esse, et quod faciendum. Sunt plerique ex illis non in ipsis veris, sed in falsis ex ignorantia; quae tamen falsa acceptantur a Domino sicut vera, quia bonum vitae pro fine habent, et per id abstenserunt mala quae falsis solent adhaerere; (de his falsis, et de iis qui in illis sunt, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 21;) hi itaque sunt in ultimo seu primo caelo.

At qui in medio seu secundo caelo sunt, illi omnes sunt in affectione spirituali sciendi et intelligendi verum et bonum, et in affectione faciendi illud; qui autem in intimo seu tertio caelo sunt, illi omnes sunt in amore: sed de his et de illis supra actum est. Quod per "Simeonem" et ejus tribum significantur qui in obedientia, est quia Simeon, pater tribus, nominatus est ab *audire*, et "audire" significat obedire: ut constare potest ex verbis Leae matris ejus cum illum peperit, quae haec sunt:

Et Leah "concepit adhuc et peperit filium, et dixit, Quia audivit Jehovah quod exosa ego, et dedit mihi etiam hunc; et vocavit nomen ejus Simeon" (*Gen. xxix. 33*).

(Quae explicata videantur in *Arcanis Caelestibus*, n. 3867-3872: et quod "audire" significet obedire, ibi, n. 2542, 3869, 4653-4660, 5017, 5471, 5475, 7216, 8361, 8990, 9311, 9397, 9926, 10061; et supra, n. 14, 108, 249.) Quoniam per "Simeonem" significatur obedientia, etiam significatur fides, nam fides fit fides apud hominem quando obedit et facit praecepta; antequam hoc fit, apparet cognitio talium quae homo hausit ex Verbo, ex doctrina ecclesiae et ex predicatione, sicut fides, sed non est fides priusquam homo facit illa; antea est modo cogitationis ex memoria, in qua nihil voluntatis est; proinde nihil hominis, voluntas enim est ipse homo: quare cum homo facit id seu obedit, tunc intrat voluntatem, ita ipsum hominem, et fit fides. Haec fides, quae est obedientia, etiam significatur per "Petrum," quando nominatur "Simon;" ac fides quae est affectio veri, per "Petrum" cum nominatur "Simon filius Jonae"

(Ut *Matt. xvi. 17-19*, seq.: *Marc. i. 16-18*, 36; cap. xiv. 37, 38: *Luc. v. 3-11*; cap. vii. 40-43; cap. xxii. 31-33, seq.; cap. xxiv. 34: *Joh. i. [1]41-43* [*B. A. 40-42*]; cap. xxi. [2]15-21).

Quoniam per *Simeonem* in lingua Hebraea significatur auditio et auscultatio et inde obedientia, ut supra dictum est, ac per "filium Jonac" significatur verum ex bono, per "Petrum" autem ipsum verum; ideo nunc vocatur a Domino "Petrus," nunc "Simon Petrus," nunc "Simon filius Jonae:" quod talia per illa nomina significantur, quisque potest videre ex eo, quod appellatus sit a Domino nunc "Petrus," nunc "Simon," nunc "filius Jonac," quod non factum est absque causa et significatione: ipse sermo ad illum tunc id manifestat; prout quando confessus est Dominum esse Filium Dei, et ei ideo dati sunt claves regni caelorum, vocatur "Simon

filius Jonae" (*Matth.*<sup>[1]</sup> xvi. 17, seq.), ac vocatur "Petrus," sicut Ipse Dominus saepius apud *Prophetas*: similiter vocatur "Simon filius Jonae" cum Dominus ad illum dixit, "Amasne Me?" et ille respondit, "Amo Te:" at mox cum se avertit a Domino, et indignatus quod Johannes, per quem significatur bonum charitatis, secutus Jesum, vocatur "Petrus" (*Joh.* xxi. 15-21); per "Petrum" tunc significatur verum absque bono, seu fides separata a charitate. Ex his constare potest quod simile per "Simonem," cum Petrus ita nominatur, significetur, quod per "Simeonem" filium Jacobi, nempe obedientia, fides charitatis, affectio veri, et in genere verum ex bono: *Simon* enim in lingua Hebraea significat auditionem, auscultationem et obedientiam; et *Jona* in eadem lingua columbam, quae in sensu spirituali significat bonum charitatis, et "filius Jonae" verum boni illius, seu fidem charitatis; "petra" autem, ex qua Petrus nominatus est, significat verum ac fidem, et in opposito sensu falsum et non fidem (*videatur supra*, n. 411).

[*b.*] Quod "Simeon" filius Jacobi, ac tribus ab illo nominata significet obedientiam, ac verum voluntate et inde fidem, constare etiam potest ex sensu opposito, in quo significat non obedientiam ac falsum voluntate, et inde fidem separatam a voluntate, quae non est fides; nam pleraque in Verbo etiam sensum oppositum habent, in quo significant contraria. In hoc sensu nominatur Simeon ab Israele patre in prophetia de filiis suis, his verbis,

"Simeon et Levi fratres, instrumenta violentiae machaerae eorum: in secretum eorum ne veniat anima mea, in congregazione eorum ne uniatur gloria mea; quia in ira sua occiderunt virum, et in benefacito suo enervarunt bovem: maledicta ira eorum quia vehemens, et excandescens eorum quia dura: dividam eos in Jacobo, et dispergam eos in Israele" (*Gen.* xl ix. 5-7):

"Simeon et Levi fratres" hic significant fidem separatam a charitate; "instrumenta violentiae machaerae eorum" significat quod doctrinalia serviant ad destruendum opera charitatis, ita ipsam charitatem; "in secretum eorum ne veniat anima mea" significat quod bonum spirituale non scire velit mala quae voluntatis eorum; "in congregazione eorum ne uniatur gloria mea" significat quod nec verum spirituale scire velit falsa cogitationis eorum; "quia in ira sua occiderunt virum" significat quod se averterint prorsus a veris, et in aversione extinxerint fidem; "et in bene-

placito suo enervarunt bovem" significat quod ex prava voluntate prorsus debilitaverint bonum externum quod charitatis; "maledicta ira eorum quia vehemens" significat aversionem gravem a bono et inde damnationem; "et excandescientia eorum quia dura" significat aversionem a vero inde; "dividam eos in Jacobo" significat quod illa fides ab ecclesia externa sit exterminanda; "et dispergam eos in Israele" significat quod ab ecclesia interna. (Sed haec plenius explicata videantur in *Arcanis Caelestibus*, n. 6351-6361.) Quod tres primi filii, nempe Reuben, Simeon et Levi, a patre Israele rejecti et damnati fuerint, est causa quia in prophetia illa agitur de instauratione ecclesiae; et ecclesia non instauratur per fidem separatam a charitate, sed a vero et bono quae a Domino: lapsa enim erat ecclesia etiam eo tempore in errorem quod solum scire Verbum, ac dicere quod id sanctum sit, esset essentiale ecclesiae, et non vita seu charitas; et quod Deus caeli et terrae alius esset quam Dominus: ideo in prophetia illa rejiciuntur tres filii primogeniti Reuben, Simeon et Levi, quoniam per "Reubenem" significatur sola fides, per "Simeonem" fides absque charitate, et per "Levin" non bonum charitatis; proinde per illos tres in serie, non ecclesia: quando enim assumitur sola fides pro essentiali salutis, tunc illico rejicitur charitas, et spectatur sicut nullius essentiae et valoris quoad salutem; et quia illi tres haec tria significaverunt, ideo rejecti sunt ab Israele patre, per quem significatur ecclesia. Tres illi etiam perdiderunt repraesentativum ecclesiae; Reuben per id,

Quod concubuerit cum Bilha ancilla et concubina patris sui (*Gen.* xxxv. 22);

ac Simeon et Levi, per

Quod occiderint Chamorem, filium ejus Sechemum, ac totam urbem, quae erat gens ex Chamore, ex sola causa quia amavit sororem eorum Dinam (*Gen.* xxxiv. 1 ad fin.);

per quod factum in sensu spirituali significatur quod illi duo filii Jacobi, hoc est, id ecclesiae quod per binos illos repraesentatum est, extinxerint verum et bonum Ecclesiae Antiquae, quae ecclesia adhuc superstes erat apud Chamoris gentem; per id factum enim in sensu spirituali significabatur quod fides separata a charitate extinguat omne verum et bonum ecclesiae: id itaque est, quod in specie intelligitur per Israelis verba, "In secretum eorum

ne veniat anima mea, in congregazione eorum ne uniatur gloria mea, quia in ira sua occiderunt virum, et in <sup>10</sup>beneplacito suo enervarunt bovem;" per "virum" enim in Verbo significatur verum ac intelligentia, et per "bovem" bonum morale et naturale. (Sed haec amplius explicata videantur in *Arcanis Caelestibus*, n. 4426-4522.) Et ideo quoque Simeon praeteritur in Benedictione Mosis (*Deut. xxxiii.*) ; et loco ejus memorantur Ephraim et Menasche, per quos significantur verum et bonum ecclesiae. Sed tametsi Simeon et Levi tales fuerunt, usque alibi significant fidem charitatis et charitatem, Simeon fidem charitatis et Levi charitatem; immo tribus Levi facta est sacerdotium: nam nihil refert qualis persona est quae reprezentat, modo in cultu externo sit secundum leges et statuta, nam reprezentatio non spectat personam sed rem, et apud personam non plus requirit quam externum in cultu (de qua re videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 663, 1097, 1361, 3147, 3670, 3881, 4208, 4281, 4288, 4292, 4309, 4444, 4500, 6304, 7048, 7439, 8588, 8788, 8806, 9229): quare etiam "tribus Simeonis" in hoc loco *Apocalypses*, et quoque alibi in Verbo, significat obedientiam, fidem charitatis, affectionem veri, et in genere verum ex bono, ut supra dictum est. (Quod "Simeon" et ejus tribus, dum in bono sensu nominatur, significet in supremo sensu providentiam, in interno fidem voluntate, in interiori obedientiam, et in externo auditum, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 3869.)

**444[a]. "Ex tribu Levi duodecim millia signati."**—Quod significet bona opera, constat ex represtatione et inde significatione "Levi" et ejus tribus, quod sit amor spiritualis, qui vocatur charitas erga proximum. Quod "tribus Levi" hic significet bona opera, est quia amor spiritualis seu charitas consistit in bonis praestandis, quae sunt bona opera. Ipsa charitas in se spectata est affectio veri et boni; et ubi illa affectio est, ibi est vita secundum vera et bona, nam affectio absque vita secundum vera et bona, quibus afficitur, non datur: si putatur dari et adesse, est affectio naturalis et non spiritualis; quae affectiones in eo differunt, quod affectio naturalis pro fine habeat se et mundum (quare vera et bona, quibus afficitur, <sup>12</sup>amat propter sui famam, ut lucretur honores et opes; et tunc vita secundum doctrinalia quae didicerat, est modo a semet assumpta ut appareat, et sic simulata ac interius hypocrita), at affectio spiritualis pro fine habet Dominum, caelum et vitam aeternam, quae spectat in veris et bonis, ita amat vera et

bona spiritualiter: et cum haec affectio apud hominem est, tunc homo amat cogitare illa et velle illa, proinde vivere secundum illa; vivere secundum vera et bona intelligitur in Verbo per "facere," ac ipsa vita per "facta" et "opera," quae toties memorantur in Verbo: haec itaque sunt quae per "Levin" et ejus tribum in ecclesia apud' Judaeos representata et significata sunt. Quia haec affectio est ipsum essentiale ecclesiae, ideo tribus Levi sacerdotium facta est; ac ideo ejus baculus in Tentorio conventus floruit amygdalis; et ideo illi tribui non data est hereditas sicut reliquis tribubus, sed inter singulas. Quod tribus Levi sacerdotium facta sit, notum est, nam non modo Aharon factus est summus sacerdos, sed etiam filii ejus post eum, et omnes Levitae dati sunt illis ad ministrandum. Quod Moses et Aharon fuerint ex tribu Levi, videatur *Exod.* vi. 20; <sup>[1]</sup>*Num.* xviii. 2; et quod Levitae facti sint ministri Aharonis et ejus filiorum, apud *Mosen*,

Acceptata est tribus Levi in sacerdotium, ut custodirent custodiam totius congregationis coram Tentorio conventus, ad serviendum servitum Habitaculi: ac dati sunt Levitae Aharoni, et acceptati loco omnis primogeniti. Et porro de ministeriis et functionibus eorum (*Vnum.* iii. 1 ad fin.).

Quod sacerdotium isti tribui datum fuerit, erat causa quia reprezentabat amorem et charitatem, et inde amorem et charitatem significabat; amor et charitas est affectio boni et veri spiritualis, nam affectio dicitur de amore in suo continuo, est enim affectio continuum amoris. Simile etiam in Verbo significatur per "sacerdotium" et "ministerium" ejus; illa enim affectio est essentiale ecclesiae, nam ubi illa est ibi est ecclesia, et ubi illa non est ibi nec est ecclesia: nam affectio boni et veri est ipsa vita spiritualis homini, quando enim homo afficitur bono et vero, tunc est in bono et vero quoad vitam; ipsa cogitatio ejus tunc non est nisi affectio in varia forma, nam quicquid homo cogitat hoc trahit ex affectione; cogitare absque affectione nemo potest. Inde nunc est quod tribus Levi facta sit sacerdotium. Simile dicitur de Levitis apud *Ezechielem*, ubi agitur de nova terra, nova urbe, et novo templo

(*Cap. xl. 46; cap. xlivi. 19; cap. xliv. 15; cap. xlvi. 11, 12*).

Quoniam "tribus Levi" reprezentabat et inde significabat

charitatem actu, ita bona charitatis, quae sunt bona opera,  
ideo

Baculus Levi, super quo scriptum fuit nomen Aharonis, positus in Tentorio conventus coram Testimonio florebat amygdalis (*Num.* xvii. 17-26 [*B. A.* 2-11]):

per "amygdalas" enim significantur bona charitatis; ex his enim apud hominem florent omnia ecclesiae; nam cum bona charitatis sunt apud hominem, est intelligentia et fides, est enim homo in affectione intelligendi quod scit ex Verbo, et in voluntate faciendi secundum quod scit. Quoniam omnibus rebus ecclesiae inerit bonum charitatis ut in illis sit ecclesia, et quia ipsa affectio boni et veri, quae est charitas, dat intelligere, ac instruit omnes, ideo tribus Levi non modo sacerdotium facta est, sed etiam non ei data est sors et hereditas sicut reliquis tribubus, verum inter omnes

(Ut constat apud *Mosen*, *Num.* xxxv. 1 ad fin.; et apud *Josuam*, cap. xxii. 1 ad fin.):

quare dicitur apud *Mosen*,

"Non contigit Levitis pars et hereditas cum fratribus suis; Jehovah Ipse hereditas ejus" (*Deutr.* x. 9):

et quia, ut dictum est, quisque homo discit scientiam, intelligentiam et sapientiam secundum affectionem boni et veri quae est apud illum, ideo dicitur apud *Mosen*,

"Jehovah Deus elegit" filios Levi "ad ministrandum Ipsi, et ad benedictum in nomine Ipsius; et juxta os eorum erit omnis lis et omnis plaga" (*Deutr.* xxi. 5);

per quae in sensu spirituali significatur quod affectio boni et veri, quae est charitas, ministret Domino, ac doceat illa quae ecclesiae et cultus sunt, ac discernat falsa a veris et mala a bonis; nam per "filios Levi" in sensu spirituali significatur affectio boni et veri, quae est charitas. Ex his constare potest quod tribus Levi electa sit in sacerdotium, et quod ei data sit hereditas inter omnes tribus; non quod illa tribus melior esset reliquis, sed quia representabat charitatem actu et bona opera, quae sunt effectus omnis boni et veri apud hominem.

[*b.*] Quod "tribus Levi" bona charitatis, quae sunt bona opera, in Verbo significet, etiam constare potest a sequentibus his locis:—Apud *Jeremiam*,

"In diebus illis et in tempore illo germinare faciam Davidi germen iustum, et faciet judicium et justitiam in terra: in diebus illis servabitur Jehudah, et <sup>[1]</sup>Israel habitabit secure; hoc nomen quod vocabunt Illi, Jehovah Justitia nostra:....non excidetur Davidi vir sedens super throno domus Israelis, ac sacerdotibus Levitis non excidetur vir a coram faciebus meis, offerens holocaustum et adolens mincham, et faciens sacrificium omnibus diebus. ....Si irritum reddideritis foedus meum diei et foedus meum noctis,...etiam foedus meum irritum fiet cum Davide servo meo, ut non sit illi filius regnans, et cum Levitis sacerdotibus ministris meis. Sicut non numeratur exercitus caelorum, et non mensuratur arena maris, ita multiplicabo semen Davidis servi mei, et Levitas ministros meos" (xxxiii. 15-17, [18.] 20-22):

agitur ibi de adventu Domini, qui est "germen Davidis," et qui vocabitur "Jehovah Justitia nostra:" quod tunc "servabitur Jehudah, et <sup>[1]</sup>Israel habitabit secure," significat quod tunc salvandi qui in amore in Ipsum sunt; et quod tunc illi qui in charitate erga proximum sunt non infestabuntur a malis et falsis, significatur per quod "tunc <sup>[1]</sup>Israel habitabit secure": quod "non excidetur Davidi vir sedens super throno domus Israelis" significat quod tunc Divinum Verum procedens a Domino perpetuo in ecclesia regnaturum sit, "thronus domus Israelis" est ecclesia ubi regnat; "[ac sacerdotibus Levitis] non excidetur vir a coram faciebus meis offerens holocaustum, adolens mincham et faciens sacrificium," significat quod tunc perpetuo erit cultus ex bono amoris et charitatis et ex veris fidei; per "Levitae" significantur illi qui in eo cultu sunt, per "holocaustum" significatur cultus ex bono amoris, per "mincham" cultus ex bono charitatis erga proximum, et per "sacrificium" cultus ex veris fidei: "si irritum reddideritis foedus meum diei et foedus meum noctis" significat si non observarent duo illa quae faciunt conjunctionem cum Domino, nempe amorem et fidem; "foedus" est conjunctio, "foedus dici" est conjunctio per amorem, "foedus noctis" est conjunctio per fidem: "etiam foedus meum irritum fiet cum Davide servo meo, ut non sit illi filius regnans, et cum Levitis sacerdotibus ministris meis," significat quod tunc non illis Divinum Verum et Divinum Bonum; "Levitae sacerdotes ministri" sunt illi qui in bono amoris in Dominum sunt et in cultu inde; "sicut non numeratur exercitus caelorum, et non <sup>[2]</sup>mensuratur arena maris," significat cognitiones veri et boni in spirituali et naturali homine; "exercitus caelorum" sunt cognitiones illae in

spirituali homine, et "arena maris" sunt cognitiones illae in naturali homine: "ita multiplicabo semen Davidis servi mei, et Levitas ministros meos," significat multiplicationem Divini Veri ac fructificationem Divini Boni apud illos qui conjunctionem cum Domino habent; hic ut alibi per "Levitas sacerdotes" significantur illi qui in bono amoris et charitatis sunt, ac in sensu abstracto significatur ipsum illud bonum. Apud *Malachiam*,

"Ecce Ego mittens angelum meum, qui parabit viam ante Me, et subito veniet ad Templum suum Dominus quem vos quacritis, et Angelus foederis quem vos desideratis:.... Ille enim sicut ignis conflatoris et sicut smegma fullonum: et sedebit conflans et purgans argentum, et purificabit filios Levi et defaecabit eos sicut aurum et argentum; ut sint adferentes Jehovahe minchah in justitia: tunc suavis erit Jehovahe minchah Jehudae et Hierosolymae, juxta dies saeculi et juxta annos priores" (iii. 1-4):

quid haec in sensu spirituali significant, videatur explicatum supra (n. 242[*d*] <sup>[1]</sup> et 433[*A*]); et ibi quod per "filios Levi" intelligantur omnes qui in bono charitatis et inde in bono fidei sunt: agitur ibi de Domino venturo; Divinum Humanum Ipsius est quod intelligitur per "Templum suum" ad quod Jehovah Dominus venturus: quod purificaturus illos qui in bono charitatis et inde in bono fidei sunt, intelligitur per quod "purificabit et defaecabit filios Levi;" quod non filii Levi intelligantur, patet, nam dicitur quod "tunc purificabit et defaecabit illos," et quod "tunc suavis erit Jehovahe minchah Jehudae et Hierosolymae," et notum est quod Dominus non purificaverit et defaecaverit Levitas, et quod non suavis fuerit Domino minchah Jehudae et Hierosolymae; nam prorsus contra Dominum fuerunt, et tunc cultus per sacrificia et minchas abrogabatur; per "Jehudam" enim ibi intelliguntur omnes qui in bono amoris in Dominum sunt, et per "Hierosolymam" intelligitur ecclesia quae in veris doctrinae (videatur supra, n. 433). Apud *Mosen*,

Moses "de Levi dixit, Thummim tui et Urim tui, viro sancto tuo quem tentasti in Massa, contendisti cum eo apud aquas Meriba; qui dixit patri suo et matri sua, Non vidi <sup>[2]</sup>vos, et fratres suos non agnovit, ac filios suos non novit: custodient verbum tuum, et foedus tuum servabunt, docebunt iudicia [tua] Jacobum et legem tuam Israelem; ponent suffitum in nasum tuum, et holocaustum super altare tuum, .... et opus manuum ejus accepta; percute lumbos insurgentium contra eum, et osorum ejus, ut non resurgent" (*Deuter.* xxxiii. 18-21).

haec in Benedictione filiorum Israelis a Mose, in qua agitur de Verbo, quia hoc per "Mosen" in sensu repraesentativo significatur, ac per "Urim et Thummim" significatur Divinum Verum elucens ex Divino Bono, ita Verbum; ac per "Levin" ibi intelligitur affectio veri spiritualis; per "virum sanctum quem tentarunt in Massa et ad aquas Meriba," intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, nam "Petra," ad quam illa tentatio fiebat, significat Dominum, et "aquaie inde" Divina vera; per "patrem et matrem" quibus dixit "Non vidi <sup>in</sup>vos," significatur Ecclesia Israelicita, quae non agnovit Dominum; ecclesia dicitur "pater" ex bono et "mater" ex vero: per "fratres suos" quos non agnovit, et per "filios" quos non novit, intelliguntur bona et vera ecclesiae quae apud illos non erant; "fratres" sunt bona et "filii" sunt vera: sed quia "filii Levi" significant bona et vera ecclesiae, et in genere affectionem veri et boni spiritualem, ideo dicitur de illis quod "custodient Verbum, foedus servabunt, judicia docebunt Jacobum et legem Israelem," per quod significatur quod illi qui in affectione veri spirituali sunt, faciant Verbum ac doceant bona et vera ecclesiae; ipsa enim affectio veri spiritualis facit et docet, nam Dominus in illam influit et facit bonum apud hominem et docet verum apud illum; "Verbum" ibi est Divinum Verum, "custodire illud" est facere, "foedus" est conjunctio per id cum Domino, "judicia" sunt vera doctrinae ex Verbo, "lex" est bonum veri, "Jacobus" et "Israel" sunt ecclesia: cultus ex veris doctrinae significatur per "ponere suffitum in nasum," et cultus ex bono amoris per "ponere holocaustum super altare;" dissipatio falsorum per vera significatur per "percutere lumbos insurgentium contra illum;" ac dissipatio malorum per "percutere lumbos osorum ut non resurgent." Haec de Levi dicta sunt, quia Divinum Verum, quod est Verbum, non apud alios datur quam apud quos est affectio veri spiritualis; affectio veri spiritualis est amare ipsum verum, et aestimare id supra omne bonum mundi, quia per id est homini vita aeterna; nam vita aeterna non per alia media implantatur homini quam per vera, consequenter per Verbum, nam per hoc docet Dominus vera. Affectio veri spiritualis, quae est amare vera supra omne bonum mundi, ita describitur a Domino apud *Matthaeum*,

"Simile est regnum caelorum homini negotiatori, quaerenti pulchras margaritas, qui cum invenisset unam pretiosam margaritam, abiens vendidit omnia quae habuit et emit eam" (xiii. 45, 46):

"margarita" significat verum. (Quod non aliunde sit homini vita eterna quam per vera ex bono quod a Domino, videatur in *Doctrina Novae Hierosolyme*, n. 24 fin.) Quod "Levi" significet amorem et charitatem, constat ex Leae matris ejus verbis cum peperit illum, quae haec sunt,

Et Leah "concepit adhuc et peperit filium, et dixit, Nunc hac vice adhaerabit vir meus ad me, quia peperi ei tres filios; propterea vocavit nomen ejus Levi" (*Gen. xxix.* 34):

"concepit adhuc et peperit filium" significat conceptionem et partum spiritualem; "et dixit, Nunc hac vice adhaerabit vir meus ad me," significat amorem spiritualem per quem conjunctio, seu charitatem; "quia peperi ei tres filios" significat successivum; "propterea vocavit nomen ejus Levi" significat conjunctionem per amorem, et quale ejus. (Sed haec ulterius explicata videantur in *Arcanis Caelestibus*, n. 3873-3877.) *Levi* significat adhaesionem, et "adhaesio" conjunctionem per amorem spiritualem. Tres filii Leae ordine nati, "Reuben," "Simeon," et "Levi," significant in serie prima et primaria essentialia ecclesiae; nempe verum intellectu, verum voluntate, et verum actu, similia cum tribus discipulis Domini, nempe Petro, Jacobo et Johanne; "Petrus" enim significat verum intellectu, "[<sup>ii</sup>]Jacobus" verum voluntate, et "Johannes" verum actu, quod est bonum vitae seu bonum charitatis: et "adhaesio," quae in lingua originali dicitur *Levi*, significat conjunctionem per amorem et charitatem. (Quod adhaesio id significet, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 3875.) Quod "Levi" in supremo sensu significet Dominum quoad amorem et misericordiam, constat apud *Malachiam*,

"Ut cognoscatis quod miserim ad vos praeceptum hoc, ut sit foedus meum cum Levi; . . . foedus meum fuit cum illo vitae et pacis, quae dedi illi timore, ut timeret Me, ideo propter nomen meum timuit ille sibi: lex veritatis fuit in ore ejus, et perversitas non inventa est in labiis ejus; in pace et rectitudine ambulavit Mecum, multosque avertit ab iniuitate: labia sacerdotis . . . quaerent [legem] ex ore ejus, quia Angelus Jehovahe Zebaoth Ille. At vos recessistis a via, impingere fecistis multos in lege, corruptis foedus Levi" (ii. 4-7[8]):

per "Levi" hic in supremo sensu intelligitur Dominus quoad Divinum Humanum, nam dicitur de Levi quod "lex veritatis fuerit in ore ejus, et perversitas non inventa in

labiis ejus," quod "labia sacerdotis quaerent [legem] ex ore ejus, quia Angelus Jehovahe Zebaoth Ille :" quare per "foedus Levi" intelligitur conjunctio cum Domino per amorem et charitatem ; "foedus vitae et pacis" significat illam conjunctionem ; per "timorem," qui praedicatur etiam de Illo, significatur amor ; quod "labia sacerdotis quaerent [legem] ex ore ejus" significat quod omne verum doctrinæ sit ab Ipso, et apud illos qui in amore in Ipsum sunt : ex Divino Vero quod Dominus docet in Verbo et per Verbum vocatur "Angelus Jehovahe :" quod "recesserint a via, impingere fecerint multos in lege, corruperint foedus Levi," significat quod ecclesia quae fuit apud Israelitas perverserit vera Verbi et inde bona vitae, et sic perdiderint conjunctionem cum Domino ; "via" significat vera doctrinæ, "lex" bona ejus, et "foedus Levi" conjunctionem cum Domino. Ex his constare potest quid in sensu repraesentativo significatur per "Levin" et ejus tribum ; quod nempe bonum charitatis, quod est bonum vitae, tum affectio boni et veri spiritualis, ac in supremo sensu Dominus quoad amorem spiritualem.

[c.] Quoniam pleraque in Verbo etiam sensum oppositum habent, ita quoque Levi et ejus tribus ; et in eo sensu significat "Levi" malum falsi quod oppositum est bono charitatis, ac vitam absque charitate, proinde non charitatem erga proximum ; hoc significatur per "Levin" in Prophetia de filiis suis ab Israele patre :

"Simeon et Levi fratres, instrumenta violentiae machaerae eorum : in secretum eorum ne veniat anima mea, in congregacione eorum ne uniatur gloria mea"; quia in ira sua occiderunt virum, et in beneplacito eorum enervarunt bovem : maledicta ira eorum quia vehemens, et excandescientia eorum quia dura : dividam eos in Jacobo, et dispergam eos in Israele" (*Gen. xl ix. 5-7*) ;

sed haec videantur explicata in superiori articulo (n. 443<sup>[d]</sup>), ubi actum est de Simeone. Hoc oppositum etiam significatur per "Levitam" a Domino in parabola de Vulnerato a Latronibus, quae hic explicanda est, quia ibi agitur de charitate erga proximum, et quia Dominus ibi per correspondencias locutus est a principio ad finem, quae hactenus ignotae sunt :—Apud *Lucam*,

Legisperitus "volens se ipsum justificare, dixit ad Jesum, Quis est meus proximus? Excipiens Jesus dixit, Homo quis descendit a Hierosolyma in Jerichuntem, et in latrones incidit, qui etiam exuerunt

eum, et plagas infligentes abiverunt, relinquentes eum cum semimortuus esset: et forte sacerdos quis descendit in eadem via, sed videns eum praeteriit; similiter etiam Levita cum esset apud locum, veniens et videns praeteriit: Samarita autem quidam iter faciens venit ad eum, et videns eum visceribus commotus est; quare accedens obligavit vulnera ejus, infudit oleum et vinum, deinde tollens eum super proprium jumentum duxit in diversorium, et curam ejus habuit; insuper crastino die exiens extraxit duos denarios et dedit hospiti, ac dixit illi, Curam ejus habe, nam quocunque insuper insumpseris, quando reversus fuero, restituam tibi. Quis ergo trium horum videtur tibi proximus fuisse ejus qui inciderat in latrones? Hic dixit, Qui fecit misericordiam cum illo. Et dixit Jesus, Abi tu, quoque fac similiter" (x. 29-37):

agitur ibi de charitate erga proximum, et de bonis operibus, per quae charitas est in suo effectu et in suo pleno: "Hierosolyma" ibi significat ecclesiam ubi vera doctrina, et "Jericho" illam ubi cognitiones veri et boni; "sacerdos" inde significat illos quibus nullus amor in Dominum est, et "Levita" illos quibus nulla charitas erga proximum, quales erant eo tempore in Hierosolyma; "Samarita" autem significat gentes quae in bono charitatis fuerunt; "homo descendens e Hierosolyma in Jericho" significat illos qui instrui voluerunt in ecclesiae veris et cognitionibus: "latrones" in quos incidit, significant illos tunc in ecclesia perversa, qualis eo tempore erat Judaica; "qui exuentes eum, plagis affixerunt et semimortuum reliquerunt," significat quod illum veris orbaverint ac falsis imbuierint, et sic illum quoad spiritualem vitam in tantum laeserint ut vix aliqua vita spiritualis superesset; "exire" in Verbo significat orbare veris, "infligere plagas" significat mentem et vitam spiritualem falsis laedere, et "semimortuus" significat dum paene expers illius vitae esset: "visceribus commoveri" significat misericordiam et charitatem ab interiori; misericordia etiam et charitas unum faciunt: "obligare vulnera, et infundere oleum et vinum," significat parare medelam contra falsa quae laeserant ejus vitam per bonum amoris et verum fidei instruendo; "oleum" in Verbo significat bonum amoris, et "vinum" bonum et verum fidei: "tollere super proprium jumentum" significat secundum intellectum suum quantum posset, nam "equis" significat intellectum, similiter "jumentum;" "ducere in diversorium, et curam ejus habere," significat ad illos qui plus instructi sunt in cognitionibus boni et veri; "diversorium" est ubi emuntur cibi et potus, per quos significantur cognitiones boni et veri, ac inde nutritio spiritualis quae

datur per instructionem : quod “dederit hospiti duos denarios, et dixerit illi, Curam ejus habe, nam quocunque insuper insumpseris, ego, quando reversus fuero, restituam tibi,” significat omnia charitatis quantum valuit et potuit. Ex his nunc constare potest quid “Levi,” “tribus ejus,” et “Levitae” in utroque sensu significant. (Plura de repraesentatione et inde significatione “Levi,” et tribus ab illo nominatae, videantur in *Arcanis Caelestibus*, n. 3875-3877, 4497, 4502, 4503, 6352, 10017.)

**445. “Ex tribu Isascharis duodecim millia signati.”**—Quod significet *fidem et salutem*, constat ex repraesentatione et inde significatione “Isascharis” et ejus tribus, quod sit id quod facit caelum et salutem apud hominem, nam *Isaschar* in lingua originali significat mercedem, et id quod facit caelum et salutem apud hominem est amor et fides; inde utrumque hoc per “Isascharis tribum” significatur: in Verbo enim pluries nominatur “merces,” ut quod “accepturi mercedem” et per illam intelligitur vita aeterna, salus, et a plerisque gaudium caeleste; haec in sensu proximo etiam per “mercedem” significantur. Sed quia homini licet cogitare de vita aeterna, salute et gaudio caelesti, si vitam secundum praecepta Domini agit, sed usque non licet ei animum intense tenere in mercede, (tunc enim pro fine habet mercedem, et facile labitur in cogitationem quod per vitam suam mereatur caelum et salutem, et haec cogitatio facit ut intueatur semet in singulis, quae intuitio removet illum a caelo, nam homo quantum sui in factis spectat, tantum non caelum,) inde est quod per “mercedem” in Verbo significatur id in quo caelum et salus est, ita in genere amor et fides, et inde intelligentia et sapientia; in his est salus et caelum, proinde gaudium caeleste, quantum homo non de mercede cogitat. Ex his constare potest quid per “Isascharem” et ejus tribum significatur. Quod hic significetur fides, est quia per “tribum Simeonis” significatur obedientia, et per “tribum Levi” significantur bona opera, et qui in bonis operibus ex obedientia sunt, illi in fide sunt: qui autem in bonis vitae ex affectione veri et boni spirituali sunt, illi in charitate sunt; et qui in bonis vitae ex affectione caelesti sunt, illi in amore in Dominum sunt. Ita quoque angeli distinguuntur in caelis: in intimo seu tertio caelo sunt qui in bonis vitae ex affectione caelesti sunt; in medio seu secundo caelo sunt qui in bonis vitae ex affectione

spirituali sunt; ac in ultimo seu primo caelo qui in bonis operibus ex obedientia sunt. Hi quoque dicuntur in fide esse; nam credunt secundum captum suum illa quae audiunt ex Verbi sensu litterae et ex praedicatore, nec vident et percipiunt num vera sunt: quare cogitatio eorum de credendis vocatur fides; id enim proprie fides vocatur quod creditur absque visu intellectuali et perceptione num ita sit; quare possunt credere falsum aequa ac verum: at cum videtur et percipitur quod creditur, tunc non dicitur fides sed apperceptio et perceptio; intellectus enim illustratus a Domino videt, et voluntas afficitur, et actus ex utroque sequitur. Quod per "Isascharem" et ejus tribum hic significetur fides, est quia per tres has tribus, ex quibus singulis duodecim millia signati sunt, intelliguntur omnes qui in ultimo seu primo caelo sunt; et qui in hoc caelo sunt, dicuntur in bonis operibus ex obedientia, et in fide esse: multi etiam ex illis vocant fidem solam essentiale salutis; sed usque illam non separant a bonis operibus; dicunt enim quod eis detur fides a Domino quia in bonis operibus sunt, et si non in his essent quod non daretur fides: qui autem fidem a bonis operibus separant, et dicunt illam esse unicum salutis medium, et quod salventur per illam utcunque vivunt, et hoc confirmant per vitam, illi non in ultimo caelo sunt, sed in inferno. Qui spectant animo mercedem propter bona quae faciunt, et sic ponunt meritum in operibus, intelligitur per "Isascharem" in prophetico Israelis de filiis suis:

"Isaschar asinus osseus, cubans inter sarcinas, et videbit quietem quod bona, et terram quod amoena, et inclinabit humerum suum ad bajulandum[, et erit tributo serviens]" (*Gen. xl ix. 14, 15*):

"Isaschar" ibi significat mercedem seu remunerationem propter opera; "asinus osseus" significat servitium infimum; "cubans inter sarcinas" significat vitam inter opera; "et videbit quietem quod bona" significat opera boni absque remuneratione plena felicitate; "et terram quod amoena" significat quod in illa felicitate sint qui in regno Domini; "et inclinabit humerum suum ad bajulandum" significat quod usque omni opera laboret; "et erit tributo serviens" significat ut mercatur. (Sed haec amplius explicata in *Arcanis Caelestibus*, n. 6387—6394, videantur.) Illi autem qui non in bonis, quae praestant, ponunt meritum spectando ad mercedem, sed caelum

et felicitatem vitae aeternae ponunt in cogitando et volendo bene et inde in agendo bene, ac in affectione veri et boni spirituali quae est apud illos qui in conjugio caelesti sunt, hoc est, in conjugio boni et veri, illi intelliguntur per haec apud *Mosen*,

“Sebuloni dixit, Laetare Sebulon in exitu tuo, et Isaschar in tentoriis tuis; populos in montem vocabunt; ibi sacrificabunt sacrificia justitiae, quia affluentiam maris sugent, et obtecta occultorum arenarum” (*Deutr. xxxiii. 18, 19*):

haec dicta sunt de illis qui in conjugio boni et veri sunt, nempe in veris quoad intellectum et cogitationem, ac in bonis quoad voluntatem et affectionem: “Sebulon” illud conjugium significat, et “Isaschar” affectionem veri et boni: “laetari in exitu” significat quod eis jucundum sit in omnibus genuinis veris ac bonis (“exitus” significat omnia, quia ultimum, effectum et conclusum); “laetare in tentoriis” significat in omniciu; “vocare populos in montem” significat quia illi sunt in caelo ubi bonum amoris; “sacrificare sacrificia justitiae” significat cultum ex veris quae ex bono; “affluentiam maris sugere” significat ex Verbo haurire vera doctrinæ, et inde intelligentiam; “et obtecta occultorum arenarum sugere” significat spiritualia quae latent in sensu litterarum Verbi. Quoniam “tribus Jehudæ, Isascharis et Sebulonis” significabant caelum ubi bonum amoris, “tribus Jehudæ” ipsum illud bonum, “tribus Isascharis” affectionem ejus, et “Sebulon” conjunctionem ejus cum veris, ideo

Illæ tres tribus castrametabantur ad orientem Tentorii conventus (*Num. ii. 3-10*);

“ad orientem” enim in caelo habitant qui in bono amoris sunt, et inde in affectione boni et veri, ac in conjugio seu conjunctione eorum, nempe in veris quoad doctrinam et in bonis quoad vitam.

#### VERSUS 8.

**446.** “Ex tribu Sebulonis duodecim millia signati; ex tribu Josephi duodecim millia signati; ex tribu Benjaminis duodecim millia signati.”

8. “*Ex tribu Sebulonis duodecim millia signati*,” significat conjunctionem illorum qui in tertio caelo cum Domino [n. 447]; “*ex tribu Josephi duodecim millia signati*,” significat conjunctionem illorum qui in secundo caelo cum Domino [n. 448]; “*ex tribu Benjaminis duodecim millia signati*,” significat conjunctionem illorum qui in ultimo caelo cum Domino [n. 449].

**447.** [Vers. 8.] “*Ex tribu Sebulonis duodecim millia signati.*”— Quod significet *conjunctionem illorum qui in tertio caelo cum Domino*, constat ex repraesentatione et inde significatione “Sebulonis” et tribus ab illo nominatae, quod sit *conjunctione illorum qui in tertio caelo cum Domino*; Sebulon enim in lingua Hebraea dictus est a *cohabitatione*, et “cohabitatio” in sensu spirituali significat *conjunctionem*, qualis est illorum qui se amant: quod hic “Sebulon” significet *conjunctionem illorum qui in tertio caelo cum Domino*, est quia per novem tribus praecedentes significantur omnes illi qui in caelis sunt et in caelos veniunt: ac caeli sunt tres, intimum, medium et ultimum, ac nemo in caelum venit nisi quem Dominus Sibi conjungit; quare per has tres tribus ultimo memoratas significatur *conjunctione cum Domino*, per “tribum Sebulonis” *conjunctione illorum qui in tertio caelo cum Domino*, per “tribum Josephi” *conjunctione illorum qui in secundo caelo cum Domino*, et per “tribum Benjaminis” *conjunctione illorum qui in ultimo caelo cum Domino*. “Sebulon” in supremo sensu significat unionem ipsius Divini ac Divini Humani in Domino; in sensu interno, *conjunctionem Domini cum caelo et cum ecclesia*, et in specie *conjunctionem boni et veri ibi*, nam haec *conjunctione* facit *conjunctionem illorum qui in tribus caelis sunt et in ecclesia cum Domino*; Dominus enim influit apud illos cum bono amoris et charitatis, et conjungit id veris quae apud illos, et per id conjungit Sibi angelum et hominem: haec sunt quae per “cohabitationem,” ex qua Sebulon dictus est, significantur. Quod haec per “Sebulonem” significantur, videri potest in *Arcanis Caelestibus* (n. 3960, 3961), ubi explicata sunt Leae matris ejus verba cum illum peperit, quae haec sunt,

“Et concepit Leah, et peperit filium sextum Jacobo; et dixit Leah, Dotavit me Deus dote bona; vice hac cohabitabit mihi vir meus, quia peperi illi sex filios; et vocavit nomen ejus Sebulon” (*Gen. xxx. 19, 20*).

Ex his significationibus “Sebulonis” constare potest quid per illum significatur in sequentibus locis:—Ut in propheta Israelis de filiis suis,

“Sebulon ad portum marium habitabit, et is ad portum navium, et latus ejus super ad Sidonem” (*Gen. xlix. 13*):

per “Sebulonem” ibi significatur *conjunctione boni et veri*,

quae etiam conjugium caeleste vocatur; "habitare ad portum marium" significat conjunctionem spiritualium cum veritatibus naturalibus ("maria" sunt scientifica quae sunt veritates naturales): "habitare ad portum navium" significat conjunctionem spiritualem cum doctrinalibus ex Verbo ("naves" sunt doctrinalia et cognitiones omnium generum); "latus super ad Zidonem" significat extensionem ad cognitiones boni et veri ex caelesti regno. (Sed haec amplius explicata videantur in *Arcanis Caelestibus*, n. 6382-6386.) Similiter in prophetia Mosis de filiis Israelis,

"Sebuloni dixit, Laetare Sebulon in exitu tuo, et Isaschar in tentoriis tuis: populos in montem vocabunt, ibi sacrificabunt sacrificia iustitiae, quia affluentiam maris sugent, et obiecta occultorum arenae" (*Deuter. xxxiii. 18, 19*);

quod "Sebulon" etiam hic conjugium boni et veri significet, videatur in superiori articulo (n. 445), ubi haec prophetia explicata est. Similiter in prophetia Debora et Baraki in *Libro Iudicum*,

"Ex Machir descendentes legillatores, et ex Sebulone trahentes sceptrum scribae:... Sebulon populus qui devovit animam ad moriendum, et Naphthali super altitudinibus agri: venerunt reges, pugnarunt, tunc pugnarunt reges Canaanis in Thaanach juxta aquas Megiddo; quaestum argenti non cuperunt; e caelo pugnarunt, stellae de viis pugnarunt cum Sisera" (v. 14, 18-20):

agitur in hoc prophetico de pugna veri ex bono contra falsum ex malo; per "regem Canaanis" regnantem in Chazor, et per "Siseram" ejus exercitus principem, qui contra Barakum et Deboram pugnabant, significatur falsum mali, et per "Barakum et Deboram" verum boni; et quia "tribus Naphthali et Sebulonis" significabant pugnam ex vero quod ex bono, "tribus Naphthali" pugnam, et "tribus Sebulonis" conjunctionem boni et veri, ideo solum hæbinæ tribus ad pugnandum assumptæ sunt, et non reliquæ (videatur *Judic. iv. 6*): quod haec pugna talia significaverit, constare potest a prophetia a Barako et Debora enuntiata, quae in sensu spirituali agit de victoria veri ex bono supra falsum ex malo, ac de purificatione et reformatione ecclesiae: hic itaque "Ex Machir descendentes legillatores," significat quod vera boni profluant ex bono vitae, "Machir" enim simile significat cum "Menasse," quoniam Machir erat filius Menassis (*Genes. l. 23*; *Fos. xiii. 31*); et "legillatores" significant illos qui in veris boni sunt, et

abstracte vera boni: "et ex Sebulone trahentes sceptrum scribae" significat ex coniunctione veri et boni intelligentiam; "Sebulon" significat hic ut supra coniunctionem veri et boni, et "sceptrum scribae" intelligentiam: "Sebulon populus qui devovit animam suam ad moriendum, et Naphthali super altitudinibus agri," significat pugnam per vera in naturali homine, quae ex spirituali et ejus influxu et coniunctione; "altitudines agri" significant interiora quae sunt spiritualis hominis, ex quibus naturalis homo pugnat: "venerunt reges, pugnarunt, tunc pugnarunt reges Canaanis," significat falsa mali contra quae pugna; "in Thaanach juxta aquas Megiddo" significat falsa illa, et quale eorum: "quaestum argenti non ceperunt" significat quod nihil veri ex bono ceperint et abstulerint ("argentum" est verum ex bono): "e caelo pugnarunt, stellae de viis suis pugnarunt cum Sisera," significant pugnam per cognitiones veri et boni, quae per caelum a Domino ("stellae" sunt cognitiones illae, et "viae" sunt vera). Per "Sebulonem et Naphthali" etiam significatur coniunctio veri et boni per pugnam contra falsa et mala, et inde reformatio, apud *Matthaeum*,

Jesus "relinquens Nazarethum, veniens habitavit in Kapernaum maritima, et in finibus Sebulonis et Naphthali: ut impleretur quod dictum est per [Esaiam] prophetam dicentem, Terra Sebulonis et terra Naphthali ad viam maris trans Jordanem, Galilaea gentium; populus sedens in tenebris vidi lumen magnum, et sedentibus in regione et umbra mortis lux exorta [illis] est. Ex hoc incepit Jesus praedicare et dicere, Poeniteat vos, appropinquavit enim regnum caelorum" (iv.<sup>[1]</sup>13-17: *Esai.*viii. 23 [*B.A.* ix. 1]; cap. ix. 1 [*B.A.* 2]):

quod haec apud *Esaiam* dicta sint de Domino, patet, nam dicitur, "Ut impleretur quod dictum est per [Esaiam] prophetam; quare "terra Sebulonis et terra Naphthali, atque Galilaea gentium," significant instaurationem ecclesiae apud gentes quae in bono vitae sunt et recipiunt vera, ita in coniunctione eorum, ac in pugna contra mala et falsa; quod instauratio ecclesiae et reformatio gentium talium per illa intelligatur, etiam patet ex eo, quod dicatur "trans Jordanem, Galilaea gentium," et quoque "populus sedens in tenebris vidi lumen magnum, et sedentibus in regione et umbra mortis lux exorta est." Per "Sebulonem et Naphthalin" in supremo sensu significatur unio ipsius Divini ac Divini Humani Domini per tentationes in Se admis-

sas et victorias ex propria potentia, apud *Davidem*, Ps. lxviii. 27-29 (quae explicata videantur supra, n. 439). Quia talia per "Sebulonem" significabantur, ideo

Tribus Jehudae, una cum tribu Isascharis et cum tribu Sebulonis castrametabantur ad orientem circum Tentorium conventus (*Num.* ii. 3-10);

castrametationes enim filiorum Israelis circum Tentorium conventus repraesentabant et inde significabant ordinatio-nes societatum angelicarum in caelo, et ad orientem in caelo sunt qui in coniunctione cum Domino per amorem in Ipsum; tribus enim Jehudae repraesentabat amorem in Dominum, et tribus Sebulonis coniunctionem cum Ipso.

**448[a].** "*Ex tribu Josephi duodecim millia signati.*"—Quod significet coniunctionem illorum qui in secundo caelo cum Domino, constat ex repraesentatione et inde significatione "Josephi" et ejus tribus, quod sit spirituale regni et ecclesiae Domini; quod hic per "Josephum" significetur coniunctio eorum qui in secundo caelo cum Domino, est quia per "Josephum" significatur regnum spirituale Domini, et hoc regnum constituit secundum caelum: sunt enim duo regna, ex quibus caelum, regnum caeleste et regnum spirituale; regnum caeleste consistit ex illis qui in tertio seu intimo caelo, et regnum spirituale ex illis qui in secundo seu medio caelo. Quod coniunctio eorum qui in eo sunt, per "Josephum" significetur, est quia id caelum per "Josephum" significatur, et quia in hac quarta classe tribuum agitur de coniunctione omnium qui in caelis sunt et in caelos veniunt cum Domino, et illa coniunctio significatur per "tribum Sebulonis," quae est prima tribus illius classis; et prima tribus cuiusvis classis et seriei indicat rem de qua agitur in sequentibus, quam etiam in genere sequentes retinent, hic itaque coniunctionem: inde est quod "tribus Sebulonis" significet coniunctionem illorum qui in tertio caelo cum Domino, "tribus Josephi" coniunctionem illorum qui in secundo caelo cum Domino, et "tribus Benjaminis" coniunctionem illorum qui in primo caelo cum Domino. Quod "Josephus" repraesentaverit et inde in Verbo significet Dominum quoad Divinum spirituale, et in sensu respectivo regnum spirituale, constare potest ex omnibus illis quae in Verbo tam Historico quam Prophetico de illo memorata et dicta sunt: in Verbo Historico

de Josepho dicitur

Quod somniaverit somnium, quod undecim manipuli circumdederint ejus manipulum, et incurvaverint se ei: tum quod sol et luna, et undecim stellae, ei se incurvaverint (*Gen. xxxvii. 4-11*);

per quae in sensu proximo intelligitur quod fratres ejus ac parentes venturi in Aegyptum, ac ut dominum terrae ibi veneraturi; sed in sensu spirituali per illa significatur quod ecclesia quae per Jacobum et per filios ejus repraesentabatur, se submissura Domino; nam per "Josephum," ut dictum est, repraesentatur Dominus quoad Divinum spirituale, et in sensu respectivo regnum spirituale Domini in caelo et in terra: regnum spirituale Domini in terra est ecclesia spiritualis; haec ecclesia est quae in sensu interno intelligitur per Jacobum et per ejus filios, quando fuerunt in Aegypto. Postea per "Josephum" describitur instauratio ecclesiae quae a filiis Israelis repraesentanda erat; quare etiam Josephus delatus est in Aegyptum, et dominatum super totam illam terram obtinuit, et illuc invitavit patrem suum et fratres suos, ac nutritivit eos, et quamdiu dominus terrae fuit; per terram Aegypti repraesentabatur ecclesia spiritualis in naturali, ac per Jacobum et filios ejus ecclesia spiritualis: sed finis repraesentationis ecclesiae spiritualis in naturali per Aegyptum fuit cum Moses natus est, ac incepit filios Israelis ex Aegypto educere. (Sed haec, quia plura sunt et varia, exposita sunt in *Arcanis Caelestibus*.) Representatio Domini quoad Divinum spirituale, et inde repraesentatio regni spiritualis Domini, continetur in his verbis apud Mosen,

"Dixit Pharao ad servos suos, Num inveniemus sicut hunc virum, in quo spiritus Dei? Et dixit Pharao ad Josephum, Postquam cognoscere fecit Deus tibimet omne hoc, nemo intelligens et sapiens sicut tu; tu eris super domo mea, et super ore tuo osculabitur omnis populus meus; tantum solo magnus ero prae te. Et dixit Pharao ad Josephum, Vide, dedi te super omnem terram Aegypti: et removit Pharao annulum suum super manu sua, et dedit illum super manum Josephi, et vestivit eum vestibus byssi; et posuit torquem auri super collum ejus, et vehi fecit eum in curru secundario qui sibi, et clamaverunt ante eum Abrech, et dando eum super omnem terram Aegypti: et dixit Pharao ad Josephum, Ego Pharao; praeter te non extollet vir manum suam et pedem suum in omni terra Aegypti" (*Gen. xli. 38-44*.)

(quae explicata in *Arcanis Caelestibus*, a n. [15306-5329 videantur].)

[*b.*] Dicitur quod per Josephum in supremo sensu repraesentetur Dominus quoad Divinum spirituale: quare

primum dicetur quid per Divinum spirituale Domini intellegitur. Caelum distinguitur in duo regna, quorum unum vocatur regnum caeleste, et alterum regnum spirituale. Ipsum Divinum procedens a Domino facit caelum, et Divinum procedens a Domino est Divinum Bonum unitum Divino Vero. Omnes in caelo qui recipiunt Divinum Bonum plus quam Divinum Verum, illi constituunt regnum caeleste Domini; omnes autem qui recipiunt Divinum Verum plus quam Divinum Bonum, illi constituunt regnum spirituale Domini: quare Divinum Domini quod recipitur ab angelis in caelesti regno Domini, vocatur Divinum caeleste, ac Divinum Domini quod recipitur ab angelis in regno spirituali Domini, vocatur Divinum spirituale; at sciendum est quod Divinum a Domino procedens ita dicitur ex receptione, et non quod duo Divina, caeleste et spirituale, procedant; nam Divinum Bonum, quod a receptione vocatur Divinum caeleste, ac Divinum Verum, quod a receptione vocatur Divinum spirituale, ita unita procedunt ut non sint duo sed unum. (Verum haec amplius exposita videantur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 20-28, ubi actum est De duobus Regnis, in quae tres Caeli distincti sunt; et n. 13, 133, 139, ubi actum est de Divino procedente, quod sit Divinum Bonum unitum Divino Vero, et quod duo sint modo apud recipientes.) Quod Dominus quoad Divinum spirituale, et inde regnum spirituale significetur per "Josephum," constat adhuc ex sequentibus his locis:—In benedictione filiorum Israelis a patre,

"Filius fecundae Josephus, filius fecundae juxta fontem, filiae, incedit super murum; et exacerbabunt illum, et jaculabuntur, et odio habebunt illum sagittarii; et sedebit in valido arcus sui, et roborabuntur brachia manuum illius a manibus potentis Jacobi; inde Pastor Lapis Israelis a Deo patris tui, et juvabit te, et cum Schaddai, et benedic tibi benedictionibus caeli desuper, benedictionibus abyssi jacentis infra, benedictionibus uberum et uteri: benedictiones patris tui praevalebunt super benedictionibus genitorum meorum, usque ad desiderium collum saeculi; erunt capiti Josephi, et vertici Naziraei fratrum illius" (*Gen. xl ix. 22-26*):

"filius fecundae Josephus" significat regnum spirituale et ecclesiam spiritualem Domini, ac in supremo sensu Dominum quoad Divinum spirituale; "filius fecundae supra fontem," significat fructificationem a veris quae ex Verbo ("filius fecundae" est fructificatio a veris, et "fons" est Verbum); "filiae, incedit super muro," significat ad pugnandum ex veris quae ex bono contra falsa quae ex malo; "murus" est verum tutans: "et exacerbabunt illum" sig-

nificat resistantiam a falsis; "et jaculabuntur" significat quod ex falsis pugnabunt; "et odio habebunt illum sagittarii" significat quod omni hostilitate a falsis doctrinae, "jacula" enim et "sagittae," ita "jaculatores" et "sagittarii," significant pugnam ex veris contra falsa doctrinae, hic autem ex falsis doctrinae contra vera: "et sedebit in valido arcus," significat quod tutus erit ex veris doctrinae pugnantibus contra falsa; "arcus" est doctrina: "et roborabuntur brachia manuum ejus" significat potentiam virium pugnandi; "a manibus potentis Jacobi" significat ab omnipotentia Divini Humani Domini: "exinde Pastor Lapis Israelis" significat quod inde omne bonum et verum spirituale in regno; "a Deo patris tui" significat quod Deus Antiquae Ecclesiae; "et cum Schaddai" significat Dominum benefactorem post tentationes; "et benedic tibi benedictionibus caeli desuper" significat bonis et veris ab interiori; "benedictionibus abyssi cubantis infra" significat cognitionibus veri et boni, ac scientificis confirmantibus, ab exteriori; "benedictionibus uberum et uteri" significat affectiones earum spirituales et conjunctionem: "benedictiones patris tui praevalebunt super benedictionibus genitorum meorum" significat quod ecclesia illa, quae per "Josephum" significatur, sit ex vero et bono spirituali; "usque ad desiderium collium saeculi" significat ex amore mutuo caelesti; "erunt capiti Josephi" significat quod illa quoad interiora; "et vertici Naziraei fratum ejus" significat et quoad exteriora. (Sed haec amplius explicata in *Archanis Coelestibus*, n. 6416-6438, videantur.) In benedictione filiorum Israe lis a Mose,

"Josepho dixit, Benedicta a Jehovah terra illius, de pretiosis caeli, de rore, de abyssu etiam jacente infra, et de pretiosis proventuum solis, et de pretiosis producti mensium, et de primis montium orientis, et de pretiosis collium saeculi, et de pretiosis terrae et plenitudinis ejus; et beneplacitum habitantis in rubo, venient capiti Josephi, et vertici Naziraei fratum ejus" (*Deutr. xxxiii. 13-17*):

describitur ibi ecclesia spiritualis Domini apud illos qui in doctrina veri sunt ex Verbo, et in vita secundum illam: "terra Josephi" significat illam ecclesiam; "benedicta de pretiosis caeli, de rore, de abyssu etiam jacente infra," significat ex Divinis veris ex Verbo in spirituali homine, et ex influxu ejus in naturalem: "pretiosa caeli" sunt Divina vera spiritualia seu quae in spirituali homine, "ros" signi-

ficat influxum inde, et "abyssus jacens infra" significat naturalem hominem ubi cognitiones veri et boni ad perceptionem, ac scientifica confirmantia: "de pretiosis proventuum solis, et de pretiosis producti mensium," significat ex veris profluentibus ex caelesti regno Domini, et ex veris profluentibus ex spirituali regno Domini; "pretiosa solis" sunt vera ex regno caelesti, "pretiosa mensium" sunt vera ex regno spirituali, "proventus" et "productum" sunt quae profluunt: "de primitiis montium orientis, et de pretiosis collum saeculi," significat vera genuina qualia fuerunt in Antiquissima Ecclesia, et qualia in Antiqua; "montes orientis" significant Antiquissimam Ecclesiam quae fuit in amore in Dominum; illa ecclesia describitur per "montes orientis," quia "mons" significat amorem et "oriens" Dominum; "colles saeculi" significant Antiquam Ecclesiam quae fuit in charitate erga proximum; haec ecclesia describitur per "colles saeculi," quia "colles" significant charitatem erga proximum: (quod "montes" et "colles" illa significant, videatur supra, n. 405:) "et de pretiosis terrae et plenitudinis ejus" significat ecclesiam externam spiritualem, quae est apud illos qui vivunt secundum cognitiones veri ac boni; "terra" est ecclesia illa, et "plenitudo" sunt cognitiones in externo homine: "et beneplacitum habitantis in rubo" significat Dominum quoad Divinum spirituale, quod ab Ipso illa omnia: "venient capiti Josephi, et vertici Naziraei fratrum ejus," significat quoad interiora et quoad exteriora (ut supra).

[e.] *Apud Sachariam,*

"Potentem faciam domum Jehudae, et domum Josephi salvabo;...., hinc erunt sicut potens Ephraim, et laetabitur cor eorum sicut vino" (x. 6, 7):

per "domum Jehudae" hic intelligitur ecclesia quae in amore in Dominum, quae vocatur ecclesia cælestis; et per "Josephum" intelligitur ecclesia quae in bono charitatis et veris fidei, quae vocatur ecclesia spiritualis; quoniam vera illius ecclesiae potentiam ex bono habent, ideo dicitur quod "erunt sicut potens Ephraim," nam "Ephraim" significat verum ex bono in naturali homine, cui vero est potentia: gaudium eorum ex veris significatur per quod "laetabitur cor eorum sicut vino;" "vinum" significat verum ex bono. *Apud Ezechielem,*

Jehovah dixit, "Fili hominis, sume tibi lignum unum, et scribe super illud, Jehudae et filiis Israelis et sociis ejus: deinde sume tibi lignum unum, et scribe super illud, Josephi, lignum Ephraimi, et omnis domus Israelis....; postea coniunge illa unum cum altero tibi in lignum unum, ut sint unum ambo in manu <sup>[1]</sup>mea. ....Ego accepturus lignum Josephi quod in manu Ephraimi et tribuum Israelis sociorum ejus, et addam illos super lignum Jehudae, et faciam eos in lignum unum, et erunt unum in manu mea,....et faciam eos in gentem unam in terra, in montibus Israelis, et Rex unus erit omnibus illis in Regem, et non erunt amplius duae gentes, et non dividentur amplius in duo regna iterum" (xxxvii. 16, 17, 19, 22):

per "Jehudam" etiam hic significatur ecclesia caelestis quae in bono amoris, et per "Josephum" ac "Ephraimum" significatur ecclesia spiritualis quae in bono charitatis et in veris fidei: quod binae illae ecclesiae apud Dominum una ecclesia erunt, sicut bonum et verum sunt, intelligitur per "Faciam eos in lignum unum, et unum erunt in manu mea, et faciam eos in gentem unam in terra, et Rex unus erit omnibus illis in Regem; et non erunt amplius duae gentes, et non dividentur amplius in duo regna." (Sed etiam haec videantur explicata supra, n. 433[b].) Apud *Davidem*,

Deus "redemisti brachio tuo populum tuum, filios Jacobi et Josephi" (Ps. lxxvii. 16 [B. A. 15]):

per "filios Jacobi et Josephi" intelliguntur illi qui in bono vitae secundum religiosum suum sunt; per "Jacobum" in Verbo intelligitur ecclesia externa, quae est apud illos qui in bono vitae sunt; et per "Josephum" hic intelliguntur Menasseh et Ephraim, nam dicitur "Redemisti filios Josephi," per quos intelliguntur qui quoad externum hominem in bono et vero sunt, ita quoad vitam; (quod Menasseh et Ephraim, qui "filii Josephi," illos significant, videatur supra, n. 440;) "redimere illos brachio" significat ex omnipotentia salvare, nam illi qui tales fuerunt, salvi sunt a Domino per adventum Ipsiis in mundum; non enim aliter salvari potuerunt. Apud *Obadiam*,

"In monte Zionis erit ereptio, et erit sanctitas; tunc heres erit domus Jacobi hereditatum eorum; et fiet domus Jacobi ignis, et domus Josephi flamma, et domus Esavi in stipulam, ut accendant hos et comedant hos, ut non sit residuus domui Esavi" (vers. [17.] 18):

per "Esavum" et ejus "domum" intelliguntur illi qui credunt se intelligentes et sapientes esse non ex Domino sed ex semet; nam in versu octavo in eo capite dicitur, "Perdam sapientes ex Edomo, et intelligentes ex monte Esavi;"

qui sunt qui se confirmaverunt in talibus quae favent amoribus suis ex sensu litterae Verbi: per "domum Jacobi" et per "domum Josephi" intelliguntur qui in bono vitae secundum vera doctrinae sunt; per "domum Jacobi" qui in bono vitae, et per "domum Josephi" qui in veris doctrinae: per "montem Zionis" ubi erit "ereptio et sanctitas," significatur amor in Dominum, a quo salvatio et a quo Divinum Verum: quod "domus Jacobi heres erit hereditatum domus et montis Esavi," et quod "domus Jacobi erit illi ignis, et domus Josephi flamma," significat quod loco illorum qui per "Esavum" intelliguntur successuri qui in bono vitae secundum vera doctrinae sunt; nam in mundo spirituali fit ita, quod qui in fastu ex propria intelligentia fuerunt, et se confirmaverunt ex Verbo in talibus quae favent amoribus sui et mundi, occupent tractus et montes, et sibi faciunt ibi instar caeli, credentes quod caelum illis sit prae aliis; sed exacto tempore ejiciuntur locis suis, et ibi succedunt qui in bono vitae secundum vera doctrinae ex Domino sunt (*de qua re videatur opusculum De Ultimo Iudicio*); inde constare potest quid in sensu interno significatur per quod "domus Jacobi erit heres hereditatum eorum," et quod "erit ignis, domus Josephi flamma, et domus Esavi stipula."

*Apud Amosum,*

"Qui modularunt super nablio, sicut David excogitant sibi instrumenta cantus, qui bibunt ex scyphis vini, et primitiis oleorum se ungunt, sed super confractione Josephi non afficiuntur dolore" (vi. 5, 6):

agitur ibi de illis qui affectiones bonas in externis simulant, et ex Verbo plura adducunt ad confirmandum, et tamen interius mali sunt; simulare in externis affectiones bonas significatur per "modulari super nablio, excogitare sibi instrumenta cantus, ac primitiis oleorum se ungere;" adducere plura ex Verbo ut appareant, significatur per "bibere ex scyphis vini;" quod nihil current vera doctrinae ecclesiae, si vel ecclesia per falsa periret, significatur per "super confractione Josephi non afficiuntur dolore;" per "Josephum" intelligitur ecclesia spiritualis, quae est apud illos qui in veris doctrinae sunt. *Apud Davidem,*

"Pastor Israelis, adverte aurem, ducens sicut gregem Josephum; insiden<sup>t</sup> cherubis, effulge; coram Ephraim, Benjamin et Menasse exalta potentiam tuam, ac ito in salutem nobis" (Ps. lxxx. 2, 3 [*B. A. 1, 2*]):

per "Josephum" etiam hic significatur ecclesia spiritualis, quae est apud illos qui in veris ex bono sunt, hoc est, in veris doctrinae etiam quoad vitam: quid per "Ephraim," "Benjamin" et "Menasse" ibi intelligitur, explicatum est supra (n. 440[*b*]). Apud *Amosum*,

"Sic dixit Jehovah domui Israelis, Quaerite Me et vivetis; . . . ne <sup>[i]</sup>invadat sicut ignis domum Josephi, et comedet et nemo extingueat: . . . odio habete malum, et diligite bonum, et stabilitate in porta judicium, forte miserebitur Jehovah [Deus] Zebaoth reliquiarum Josephi" (v. 4, 6, 15):

per "domum Israelis" significatur ecclesia spiritualis, et per "domum Josephi" ecclesia illa quoad vera doctrinae; quod peritura sint vera doctrinae nisi in affectione boni et veri sint et in vita secundum illa, intelligitur per "ne <sup>[i]</sup>invadat sicut ignis domum Josephi;" et [per] quod "Jehovah miserturus sit reliquiarum ejus," [intelligitur] et conservaturus apud illos vera doctrinae residua; si vivunt secundum bona et vera ex Verbo, intelligitur per "odio habete malum, diligite bonum, et stabilitate in porta judicium." Apud *Davidem*,

"Extollite cantum, et date tympanum, citharam amoenam cum nablio, clangite in mense buccina, in feria ad diem festi nostri; quia statutum Israeli hoc, . . . testimonium Josepho posuit, in exeundo Illo contra terram Aegypti; labia non neveram audivi" (Ps. lxxxi. 3-6 [*B. A. 2-5*]):

"extollere cantum, dare tympanum, citharam amoenam cum nablio," significat confessionem ex veris spiritualibus et caelestibus, et jucunda affectionis veri et boni (videatur supra, 323[*b*], 326[*d*]": "clangite in mense buccina, in feria ad diem festi nostri," significat cultum ex jucundo affectionum illarum; "statutum Israeli hoc, et testimonium Josepho posuit" significat quod illa essent novae ecclesiae apud filios Israelis institutae quae in veris doctrinae; "in exeundo Illo contra terram Aegypti, labia non neveram audivi," significat quando vetus ecclesia destructa est, in qua tunc falsa doctrinae ("labia non nota" significant falsa doctrinae): Aegyptus enim, quando Josephus erat dominus ibi, repreäsentabat ecclesiam quae in cognitionibus veri et boni, et in scientiis confirmantibus; at cum incipiebant filios Israelis odio habere et male tractare, tunc repreäsentabat Aegyptus ecclesiam destrunctam, in qua mere falsa; nam dicitur quod

Surrexerit rex novus super Aegyptios, qui non novit Josephum (*Exod.* i. 8):

quare etiam Aegyptii cum Pharaone, qui persecuti sunt filios Israelis, submersi sunt in mare Suph.

[d.] Quod per “Josephum” in sensu supremo intelligatur Dominus quoad Divinum spirituale, constat etiam apud *Davidem*,

“In servum venditus est Josephus, affixerunt in compede pedem ejus, in ferrum venit anima ejus, usque ad tempus quo veniret verbum ejus, et sermo Jehovae probavit eum; misit rex et solvit eum, dominator gentium aperuit eum; posuit in dominum domui sue, et dominantem in omnem possessionem suam, ad vincendum principes illius juxta arbitrium suum, et seniores illius ut erudiret: tunc venit Israel in Aegyptum, et Jacob peregrinus factus est in terra Chami” (*Ps. cv. 17-23*):

describitur per “Josephum” Dominus, quomodo cum in mundum venit receptus est, et quomodo tentatus, et dein quod factus sit Dominus caeli et terrae, ac subjugaverit inferna, ordinaverit caelos et instauraverit ecclesiam: quomodo receptus et tentatus, describitur per quod “in servum venditus sit,” “affixerint in compede pedem ejus,” et quod in “ferrum veniret anima ejus;” quod “in servum venditus sit” significat quod tam vilis aestimatus sit; quod “affixerint [in] compede pedem ejus” significat quod sicut vincitus et in carcere quia non amplius bonum naturale; quod “in ferrum veniret anima ejus” significat quod ita quia non amplius verum naturale sed falsum: quod vicerit inferna per Divinum Verum <sup>[1]</sup>ex Divino suo, describitur per “usque ad tempus quo veniret verbum ejus, et sermo Jehovae probavit eum;” “verbum illius” significat Divinum Verum, et “sermo Jehovae” Divinum Bonum ex quo Divinum Verum: quod sic Dominus comparaverit Humano suo ex Divino suo potestatem super omnia caeli et terrae, describitur per quod “misit rex et solvit eum, dominator gentium aperuit eum, posuit in dominum domui sue, et dominantem in omnem possessionem suam;” per “regem” qui misit et per “dominatorem gentium,” qui aperuit, significatur Divinum Verum ac Divinum Bonum quae in Ipso et ab Ipso; per “regem” Divinum Verum et per “dominatorem Divinum Bonum;” nam Dominus ex Divino Vero in Verbo vocatur “Rex,” et ex Divino Bono “Dominus,” tum “Dominator;” per “domum” super qua positus, sig-

nificatur caelum et ecclesia quoad bonum, et per "possessionem" caelum et ecclesia quoad verum: (per haec simile significatur quod per Ipsius Domini verba, quod omnia Patris sua sint et omnia sua Patris, et quod data sit Ipsa potestas super caelum et terram, *Joh.* xvii. 10; *Matth.* xxviii.<sup>[1]</sup> 18:) quod ex Divino suo detineat caelos a falsis et teneat in veris, et sic det <sup>[2]</sup> illis intelligentiam et sapientiam, describitur per quod "vinciret principes ad arbitrium, et seniores illius erudiret;" per "principes" significantur illi qui in veris, et per "seniores" qui in intelligentia et sapientia: quod tunc ecclesia in terris ab Ipso instaurata sit, intelligitur per "tunc venit Israel in Aegyptum;" per "Israelem" significatur ecclesia, instauratio enim ecclesiae a Domino repraesentata est per filios Israelis quod venirent in Aegyptum, tum quod Dominus cum infans in Aegyptum deductus sit (*Matth.* ii. 14, 15; *Hosch.* xi. 1): quod omnia ecclesiae tunc perierint, intelligitur per quod "Jacob peregrinus factus sit in terra Chami;" per "Jacobum" significatur ecclesia apud omnes qui in bono vitae sunt, et per "terram Chami" significatur ecclesia destructa. Hic et alibi in Verbo per "Israelem" et "Jacobum" non intelliguntur filii Israelis et posteri Jacobi, sed omnes illi, ubique erant et sunt, apud quos ecclesia; sicut per "Jehudam" in Verbo non intelligitur gens Judaica, sed ecclesia ab illis qui in amore in Dominum sunt (de qua res supra, n. 433); nam apud filios Israelis seu posteros Jacobi non fuit aliqua ecclesia, sed solum repraesentabatur ecclesia; quare per illos significantur omnes qui ab ecclesia sunt, et hoc non solum in propheticis Verbi sed etiam in historicis ejus, ut in praecedentibus ostensum est: quare etiam per "Josephum" et ejus tribum non Josephus et Josephi tribus intelligitur, sed in supremo sensu Dominus quoad Divinum spirituale, et inde in sensu respectivo regnum spirituale Domini in caelis et in terris, tum quoque illa quae faciunt regnum illud, quae sunt vera doctrinae. Quoniam apud *Ezechielem* describitur nova ecclesia spiritualis a Domino instauranda, quae ecclesia cum ejus doctrina intelligitur per "novam urbem," "novum templum," et "novam terram," ideo dicitur,

"Hic terminus ad quem hereditatis terram, juxta duodecim tribus Israelis, Josepho funes" (*cap. xlviij. 13*):

per "Josephum" significatur Ecclesia spiritualis, et per "funes" coniunctio, et praedicatio ex illa tribu ad reliquas, et reliquarum ad illam; ac per "duodecim tribus Israelis" significantur omnia ecclesiae illius.

**449[a]. "Ex tribu Benjaminis duodecim millia signati."**—

Quod significet coniunctionem illorum qui in ultimo caelo cum Domino, constat ex representatione Benjaminis ac tribus ab illo nominatae, quod sit spirituale caeleste in naturali homine, simile quod Josephus in spirituali: spirituale caeleste est verum coniunctum bono; nam verum in se spectatum est spirituale, ac bonum est caeleste; inde per "Benjaminem" et ejus tribum significatur coniunctio veri et boni in naturali, hic itaque coniunctio eorum qui in ultimo caelo cum Domino; in ultimo enim caelo sunt qui in naturali bono et vero ex spirituali et caelesti. Illi qui in ultimo caelo sunt, vel spirituales naturales vel caelestes naturales sunt; spirituales naturales ibi pertinent ad spirituale regnum Domini, et caelestes naturales ibi pertinent ad caeleste regnum Domini; quare spirituales naturales communicant cum secundo caelo, ubi omnes sunt spirituales, caelestes autem naturales communicant cum tertio caelo, ubi omnes sunt caelestes (ut in superiori articulo dictum est). Ex his constare potest quid "Josephus" et quid "Benjamin" fratres in Verbo significant. Quoniam "Benjamin" significat verum coniunctum bono in naturali homine, et inde verum coniunctum bono apud illos qui in ultimo caelo sunt, ideo quoque ille ultimo natus est Jacobo, et vocatus ab illo "filius dextrae," nam *Benjamin* in lingua originali significat filium dextrae; et quoque natus est in Bethlehem, per quam urbem etiam significatur verum coniunctum bono in naturali. Quod natus sit in Bethlehem, videatur *Gen. xxxv. 16-19*. Ultimo natus est, quia naturale consistens ex vero coniuncto bono est ultimum ecclesiae apud hominem: sunt enim apud hominem tres gradus vitae, intimus, medius et ultimus; intimus gradus est in quo sunt illi qui in intimo seu tertio caelo, medius gradus est in quo sunt illi qui in medio seu secundo caelo, et ultimus gradus est in quo sunt illi qui in ultimo seu primo caelo; quare illi qui in intimo gradu sunt vocantur caelestes, qui in medio vocantur spirituales, qui autem in ultimo gradu sunt vocantur vel spirituales naturales vel caelestes.

tes naturales ; conjunctio horum in ultimo caelo significatur per "Benjamin :" (de tribus illis gradibus vitae apud hominem et angelum, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 33, 34, 38, 39, 208, 209, 211, [1]435:) inde nunc est, quod ille Jacobi filius ultimo natus sit. Quod vocatus sit "filius dextrae," est quia per "filium" significatur verum, et per "dextram" significatur potentia veri ex bono ; et omnis potentia in spirituali mundo est vero quod ex bono in naturali homine : quod in hoc sit omnis potentia quae est spirituali homini, est quia in spirituali homine est causa efficiens, et in naturali est effectus, et omnis potentia causae efficientis se per effectum exserit : (quod omnis potentia spiritualis hominis sit in naturali et per naturale, videatur in *Arca-nis Caelestibus*, n. 9836:) inde nunc est quod "Benjamin" dictus sit, hoc est, "filius dextrae ;" et quia simile significatur per "Bethlehem," nempe verum conjunctum bono in naturali homine, ideo quoque David ibi natus est, et quoque unctus in regem (*1 Sam.* xvi. 1-14; cap. xvii. 12); nam David ut rex reprezentavit Dominum quoad verum ex bono, et id quoque "rex" significat (videatur supra, n. 29, 31, 205); ac ideo quoque Dominus natus est in Bethlehem (*Matth.* ii. 1, 5, 6), quia natus est Rex, et apud Ipsum ex nativitate verum conjunctum bono fuit. Omnis enim infans nascitur naturalis ; et naturale, quia sensibus externis et mundo proximum est, primum aperitur ; et id apud omnes homines est ignorans veri et cupiens mali, at solum apud Dominum erat id appetens bonum et desiderans verum ; quia affectio regnans apud hominem est ex patre, est enim anima ejus ; at apud Dominum erat affectio seu anima ex Patre ipsum Divinum, quod est Divinum Bonum Divini Amoris. Quoniam "Benjamin" et ejus tribus significat verum conjunctum bono in naturali homine, ideo

Ei sors in terra Canaane erat inter filios Jehudae et inter filios Josephi ; et quoque illi tribui cessit Hierosolyma, ubi tunc Iebusaei, in hereditatem (*Jos.* xviii. 11-28) ;

sic ut filii Benjamini habitaverint ibi cum Judaeis, qui illam urbem dein occupaverunt. Causa quod cesserit sors illi tribui inter filios Josephi, erat quia reprezentabat et inde significabat conjunctionem boni et veri ; per "Jehudam" enim significatur ecclesiae bonum, et per "Josephum" ecclesiae verum : quod illi tribui cesserit Hierosolyma, erat quia "Hierosolyma" significaret ecclesiam quoad doctrinam

nam et quoad cultum, et omnis doctrina ecclesiae est doctrina veri conjuncti bono, et omnis cultus secundum doctrinam fit per naturalem hominem; nam, ut supra dictum est, cultus est effectus ex causa efficiente in spirituali homine.

[b.] Ex his constare potest quid significatur per "Benjaminem" in his locis:—Apud *Jeremiam*,

Si sanctificatis Sabbathum, "intrabunt ex urbibus Jehudae, et ex circuitibus Hierosolymae, et ex terra Benjaminis, et ex planite, et ex monte, et ex meridie, adferentes holocaustum et sacrificium et mincham et thus" (xvii. 26):

quod haec propter sanctificationem Sabbathi, erat causa quia "Sabbathum" significabat unionem Divini ac Divini Humani in Domino, et in sensu respectivo conjunctionem Divini Humani Ipsius cum caelo et cum ecclesia, et in genere conjunctionem boni et veri (videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 8495, 8510, 10356, 10367, 10370, 10374, 10668, 10730); per "urbes Jehudae," per "circitus Hierosolymae" et per "terram Benjaminis" significantur vera conjuncta bono in naturali homine; per "urbes Jehudae" vera boni, per "circitus Hierosolymae" vera doctrinae in naturali homine, et per "terram Benjaminis" conjunction illorum; "urbes" enim significant vera, "Jehudah" bonum ecclesiae, "Hierosolyma" doctrinam veri, "circitus" illa quae circum aut infra sunt, quae sunt vera boni in naturali homine, et "terra Benjaminis" ecclesiam quoad conjunctionem illorum in naturali homine: "ex planite, ex monte et ex meridie," significat bonum et verum in naturali homine ex origine caelesti et ex origine spirituali; "planities" significat bonum et verum in naturali homine, quia in planitiebus seu infra montes et colles habitant illi qui in ultimo caelo, qui caelestes naturales et spirituales naturales, de quibus supra, vocantur; "mons" significat illos qui in bono caelesti, et "meridies" illos qui in bono spirituali et inde in luce veri: "adferre holocaustum, sacrificium, mincham et thus," <sup>10</sup> significat cultum ex bono caelesti et ex bono spirituali in naturali homine; "holocaustum" cultum ex bono caelesti, "sacrificium" cultum ex bono spirituali, "mincha et thus" bonum et verum boni in naturali homine: haec sunt quae per illa verba significantur; quid aliqui foret quod diceretur, quod si sanctificarent Sabbathum intraturi essent "ex urbibus

Jehudae, circuitibus Hierosolymae, e terra Benjaminis, ex planicie, monte et meridie"? et cur non ex universa terra Canaane? Quoniam singula illa significant talia quae caeli et ecclesiae sunt, ideo quoque alibi apud eundem Prophetam similia dicuntur:—Ut,

“In urbibus montis, in urbibus planitiei, et in urbibus meridiei, et in terra Benjaminis, et in circuitibus Hierosolymae, et in urbibus Jehudae, adhuc transibunt greges juxta manus numerantis” (*Jerem.* xxxiii. 13);

et alibi,

“Agros argento ement, idque scribendo in libello, . . . et attestari faciendo testes, in terra Benjaminis, et in circuitibus Hierosolymae, et in urbibus Jehudae, et in urbibus montis, et in urbibus planitiei, et in urbibus meridiei, quia convertam captivitatem eorum” (*Jerem.* xxxii. 8, 44):

in his locis similia quae supra per “terram Benjaminis,” “circuitus Hierosolymae,” “urbes Jehudae,” per “montem,” “planitem” et “meridiem,” significantur; ita per “Benjaminem” conjunctio veri et boni in naturali homine, proinde conjunctio veri et boni apud illos qui in ultimo caelo sunt. Apud eundem,

“Convenite, filii Benjaminis, e medio Hierosolymae, et . . . clangendo clangite buccinam, et super domo vineae accendite incendium, . . . quia malum prospicit a septentrione, et confractio magna” (*vi. 1*):

agitur ibi in sensu spirituali de ecclesia vastata quoad verum et bonum, quia contra Zionem et Hierosolymam; per “Zionem” enim significatur bonum ecclesiae, et per “Hierosolymam” verum ejus; et quia “filii Benjaminis” significant conjunctionem boni et veri, ideo ad illos dicitur quod “convenirent e medio Hierosolymae, et clangerent buccinam, et super domo vineae accenderent incendium;” “clangere buccinam” significat pugnam ex veris quae ex bono contra ecclesiam illam; “domus vineae” significat ipsam illam ecclesiam; ac “incendere incendium” significat destructionem ejus per malos amores: “septentrio,” a quo malum prospicit, significant falsum mali; et “confractio magna” significant dissipationem boni et veri. Apud *Davide*,

“Pastor Israelis, adverte aurem, qui ducis sicut gregem Josephum; qui sedes super cherubis, effulge; coram Ephraimo et Benjamini et Menasse excita potentiam tuam, et ito in salutem nobis” (*Ps. lxxx. 2, 3 [B. A. 1, 2]*):

per "Ephraimum, Benjaminem et Menassen" non intelliguntur Ephraim, Benjamin et Menasse, sed illi qui in naturali vero et bono sunt, et apud quos coniunctio eorum est (videatur supra, n. 440[δ], ubi haec explicata sunt). Apud eundem,

"In congregationibus benedicite Deo, Domino e fonte Israelis; ibi Benjamin parvus praest illis, principes Jehudae, principes Sebulonis et principes Naphtali" (Ps. lxxviii. 27, 28 [B. A. 26, 27]):

ibi nec Benjamin, nec principes Jehudae, Sebulonis et Naphtali intelliguntur, sed illa ecclesiae quae per istas tribus significantur; et per "Benjamin parvum" ibi significatur innocentia naturalis hominis; innocentia naturalis hominis est in coniunctione boni et veri ibi. (Sed etiam haec videantur explicata supra, n. 439.) In benedictione filiorum Israelis a Mose,

"Benjamini dixit, Dilectus Jehovahe, habitabit secure apud illum, obteget illum omni die, et inter humeros ejus habitans" (*Deut. xxxii. 12*):

per "Benjaminem" ibi significatur Verbum in sensu ultimo qui naturalis; nam in benedictione illa a Mose describitur Verbum, et per singulas tribus significatur aliquid ejus; et quia in sensu ultimo Verbi, qui est naturalis, inest coniugium boni et veri, ut plurimis in locis ostensum est, ideo dicitur "dilectus Jehovahe," et quod "habitet secure apud illum, et obteget illum omni die, et inter humeros ejus habitet;" "inter humeros habitare" est in securitate et in potentia. Quid significatur per "Benjaminem" in prophetia Israelis patris de filiis suis (*Gen. xlvi. 27*), explicatum est in *Arcanis Caelestibus* (n. [1]6439-6444): in illa prophetia de Benjamine ultimo agitur, quia ultimum ecclesiae et caeli per illum significatur; ultimum est naturale, in quo verum coniunctum est bono. Quia haec per "Benjaminem" significata sunt, ideo

Tribus Ephraimi, Menassis et Benjaminis circum Tentorium conventus in deserto ad occidentem castrametabantur (*Num. ii. 18-24*):

ac per tres illas tribus significantur omnes illi qui in naturali vero in bono sunt, et in coniunctione eorum; per "Ephraimum" significatur verum ibi, per "Menassen" bonum ibi (ut supra ostensum est), et per "Benjaminem" coniunctio eorum: quod illi castrematati sint "ad occidentem," erat quia ad occidentem et ad septentrionem in caelo habitant

qui in obscuro boni et in obscuro veri sunt, ita qui in naturali bono et vero; qui autem ad orientem et ad meridiem in caelo habitant, illi sunt in claro boni et veri (de qua re videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 141-153). Ex his nunc constare potest quid per "Benjaminem" in Verbo significatur, quod nempe conjunctio boni et veri in naturali homine, [ac] per bonum conjunctio cum spirituali, nam omne bonum quod bonum in naturali homine influit ex spirituali homine, hoc est, per spiritualem hominem a Domino; bonum in naturali homine absque illo influxu non datur; quare etiam per "Benjaminem" significatur conjunctio spiritualis hominis cum naturali, et per "Josephum" conjunctio caelestis hominis cum spirituali.

**450.** Inter duodecim has tribus, ex quarum unaquavis "duodecim millia signati" dicuntur, non memoratur tribus Danis, sed loco ejus tribus Menassis. Quod tribus Danis non memorata sit, est causa quia per illum tribum representati et significati sunt tales de quibus nunc sequitur in hoc capite, de quibus ita Johannes, "Post haec vidi, et ecce turba multa, quam numerare nemo poterat, ex omni gente et tribubus et populis et linguis, stantes coram throno, et coram Agno, induiti stolis albis, et palmae in manibus eorum" (vers. 9, seq.): sunt enim illi qui non in ipsis veris caeli et ecclesiac fuerunt, sed in bono vitae secundum doctrinalia suae religionis, quae quoad plurimam partem non genuina vera fuerunt, sed falsa; at usque acceptata a Domino sicut vera, quia in bono vitae fuerunt, ex quo falsa religionis eorum non tincta fuerunt malo, sed flexa ad bonum: quod illi loco tribus Danis assumpti sint, est quia tribus Danis erat ultima tribuum, ac ideo in regno Domini significat ultima, in quibus sunt qui in bono vitae et fidei sunt secundum religiosum suum in quo non genuina vera. (De tribu Danis videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 1710, [1]3920, 3923, 6396, 10335.)

## VERSUS 9, 10.

**451.** "Post haec vidi, et ecce turba multa, quam numerare illam nemo poterat, ex omni gente et tribubus et populis et linguis, stantes coram throno et coram Agno, induiti stolis albis, et palmae in manibus eorum. Et clamantes voce magna, dicentes, Salus Deo nostro sedenti super throno et Agno."

9. "Post haec vidi, et ecce turba multa," significat omnes illos qui in bono vitae secundum religionem suam, in qua non genuina vera [n. 452];

*"quam numerare illam nemo poterat,"* significat quod quale et quantum boni et veri apud illos solus Dominus sciat [n. 453]; *"ex omni gente et tribubus,"* significat omnes qui in bono sunt quoad vitam secundum doctrinalia suae religionis [n. 454]; *"et populis et linguis,"* significat omnes qui in falsis ex ignorantia, et ex variis religionibus [n. 455]; *"stantes coram throno et coram Agno,"* significat illos in regno Domini [n. 456]; *"induti stolis albis,"* significat quod tunc in veris, et in tutela contra falsa [n. 457]; *"et palmae in manibus eorum,"* significat et in bono vitae secundum illa [n. 458].

10. *"Et clamantes voce magna,"* significat adorationem ex bono veri, et inde gaudio cordis [n. 459]; *"dicentes, Salus Deo nostro sedenti super throno et Agno,"* significat confessionem quod vita aeterna sit a solo Domino [n. 460].

**452.** [Vers. 9.] *"Post haec vidi, et ecce turba multa."*—Quod significet omnes illos qui in bono vitae secundum religionem suam, in qua non genuina vera, constat ex eo, quod per "duodecim millia signatos ex unaquavis tribu" intellecti sint illi qui ab ecclesia, in qua genuina vera; nam per "duodecim tribus Israelis" intelliguntur illi qui in bonis et veris genuinis sunt, et abstracte omnia vera et bona ecclesiae; quare per hos, de quibus nunc agitur, intelliguntur illi qui in bono vitae sunt secundum religionem suam, in qua tamen non genuina vera. Quod hi per "turbam multam" intelligantur, constare etiam potest ex sequentibus in hoc capite, ubi dicitur quod sint illi "qui veniunt ex tribulatione magna" (vers. 14), hoc est, ex temptationibus; nam illi qui in bono vitae secundum religionem suam sunt, in qua non genuina vera, illi in altera vita temptationes subeunt, per quas discutiuntur falsa religionis eorum, ac implantantur loco eorum genuina vera (de qua re plura in sequentibus dicetur): exinde constare potest quinam sunt qui per "turbam multam," (de qua in sequentibus ad finem capituli agitur,) intelliguntur. Sciendum est quod nemo, sive intra ecclesiam ubi Verbum est sive extra illam ecclesiam sit, damnatur, qui bonam vitam agit secundum religionem suam; non enim eorum culpa est quod non sciant genuina vera: quare quia bonum vitae in se recondit affectionem sciendi vera, illi dum in alteram vitam veniunt facile recipiunt vera et imbuunt illa. Aliter prorsus illi qui malam vitam egerunt, et religionem nauci fecerunt. (Sed de illis qui in non genuinis veris sunt, ita qui in falsis ex ignorantia, et usque in bono vitae, actum est supra, n. 107, 195[a], 356; et in opere *De Caelo et Inferno*, ubi actum est de populis et gentibus extra ecclesiam in caelo: inque *Arcanis Caelestibus*, ubi sequentia; Quod falsa religionis dentur quae concordant cum bono, et quod dentur quae discordant, n. [9258,] 9259. Quod falsa religionis, si non discordant cum bono, non producant

malum, solum apud illos qui in malo sunt, n. [8311,] 8318. Quod falsa religionis non imputentur illis qui in bono sunt, sed illis qui in malo, n. 8051, 8149. Quod vera non genuina, et quoque falsa, consociari possint cum veris genuinis apud illos qui in bono sunt, non autem apud illos qui in malo, n. 3470, 3471, 4551, 4552, 7344, 8149, 9298. Quod falsa et vera consociantur per apparentias ex sensu litterae Verbi, n. 7344. Quod falsa verificantur a bono et mollescant, quia applicantur et deducuntur ad bonum, et removetur malum, n. 8149. Quod falsa religionis apud illos qui in bono sunt, recipiantur a Domino ut vera, n. 4736, 8149. Quod bonum, cuius quale est a falso religionis, acceptetur a Domino, si sit ignorantia, et in illa innocentia et finis bonus, n. 7887. Quod vera apud hominem sint apparentiae veri et boni imbutae fallaciis, sed quod usque Dominus adaptet illa genuinis veris apud hominem qui in bono vivit, n. 2053. Quod falsa in quibus bonum dentur apud illos qui extra ecclesiam sunt, et inde in ignorantia veri; etiam apud illos qui intra ecclesiam, ubi falsa doctrinae, n. 2589–2604, 2861, 2863, 3263, 3778, 4189, 4190, 4197, 6700, 9256.)

**453[a]. “Quam numerare illam nemo poterat.”**—Quod significet *quod quale et quantum boni et veri apud illos solus Dominus sciat*, constat ex significatione “numeri,” quod sit quale rei, inde “numerare,” quod sit nosse quale rei, hic quale boni et veri apud illos de quibus nunc agitur; quod etiam significet quod Solus Dominus id sciat, intelligitur per “quam numerare nemo poterat;” nullus enim homo et nullus angelus scit quale boni et veri in omni serie et nexu quod apud alterum, solum aliquid quod appareat ex illo in externis; et tamen omne quale est infinitae extensionis, conjungit enim se et consociat cum innumeris quae interius latent, et quae exterius resident, et quae a latere undequaque sunt: haec nemo videt quam solus Dominus; quare Dominus solus ordinat et disponit omnes secundum quale eorum; videt enim apud unumquemvis quale ejus, ita qualis est, et quid eventurum ei in aeternum; nam visus Domini, qui vocatur omniscientia, praevidentia et providentia, est aeternus: inde est, quod nemo sciat quale boni et veri est apud aliquem, quam solus Dominus. Quod scire quale boni et veri, significetur per “numerare,” appareat alienum; nam qui legit haec verba, manens in sensu litterae, non aliter cogitare potest quam quod intelligatur solum quod multitudo tanta fuerit ut numerari non potuerit; at usque in sensu spirituali “numerus” significat quale, et inde “numerare” significat scire quale, ac ordinare et disponere secundum illud: quia id per “numerare” significatur, ideo poena inficta est propterea quod David numeravit populum; dc qua re ita in *Libro Secundo Samuelis*,

“Addidit ira Jehovahe exardescere in Israelem; ideo incitavit Davidem contra eos, dicendo, Abi, numera Israelem et Iehudam: et.. dixit

ad Joabum, . . . Pervagare, age, omnes tribus Israelis a Dane usque ad Beerschebam, et numerate populum, ut noverim numerum populi." Dissuasit Joabus, sed praevaluit verbum regis. "Et percussit cor Davidis illum postquam numeraverat populum; et dixit David . . . Peccavi valde quod feci: verumtamen, Jehovah, transire fac iniquitatem servi tui, quia stulte egi valde: . . . quare propheta Gad missus est ad Davidem, denuntians ei tres poenas, ex quibus elegit pestem, ex qua mortui sunt septuaginta millia (xxiv. 1 ad fin.):

quis non scit quod non aliqua iniquitas sit in numerando populum, sed quod tanta iniquitas fuerit ut propterea denuntiatae fuerint Davidi tres poenae, ex quibus unam eligeret, et quod ex peste, quam elegit, septuaginta millia hominum mortui fuerint? Verum causa erat quia per "Israelem et Jehudam" repraesentabatur et inde significabatur regnum Domini in caelis et in terris, et per "numerare" significabatur nosse quale eorum, et secundum id ordinare et disponere, quod tamen solius Domini est: inde patet quod "numerare" in Verbo significet talia. Similiter per "numerare" apud *Mosen*,

"Cum sustuleris summam filiorum Israelis quoad numeratos eorum, et dabut quisque expiationem animae suae Jehovah in numerando illos, ut non sit in illis plaga in numerando illos" (*Exod. xxx. 12*):

etiam hic per "numerare" significatur nosse quale eorum seu quale ecclesiae apud illos, et secundum id ordinare et disponere; et quia hoc solius Domini est, ideo dicitur quod "quisque dabit expiationem animae suae Jehovah in numerando illos, ut non sit in illis plaga in numerando illos." (Sed haec fusius explicata videantur in *Arcanis Caelestibus*, n. 10216–10232.)  
Apud *Daniclem*,

Belsazar quia bibit vīnum ex vasis auri et argenti quae ex Templo Hierosolymae, exivit manus et scripsit in pariete, "Numeratus, numeratus es, appensus et dividentes, . . . Numeravit Deus regnum tuum et finivit illud" (v. 2, 5, 25, 26):

per "numeratus, numeratus" ibi significatur visus et exploratus quoad quale boni et veri; ac per "numeravit regnum" significatur ordinavit et disposuit. (Quid reliqua significant, videatur supra, n. 373.) Pariter apud *Esaiam*,

"Per emissionem dierum meorum abiturus sum ad portas inferni," (sepulchri,) "numeratus sum, residuum annorum meorum" (xxxviii. 10):

verba Hiskiae regis cum aegrotavit; et per "numeratus" significatur exploratus et conclusum. Quod "numerare"

et “numerari” aliud significet in sensu spirituali Verbi quam in littera seu in sensu ejus naturali, etiam constare potest ex eo, quod in caelo apud angelos ibi in idea eorum spirituali non sint numeri et mensurae, hoc est, quod non cogitent ex numeratione aut mensuratione, sed ex quali rei; quae cogitatio eorum cadit in numeros et in mensuras quando delabitur inde in sphaeram naturalem: et tamen Verbum scriptum est aeque pro angelis ac pro hominibus; quare angeli percipiunt per numeros ac per numerare in Verbo quale rei de qua agitur, cum homines intelligunt numeros et numerare; quod adhuc constare potest ex eo, quod unusquisque numerus in Verbo significet aliquid rei aut status (de qua re supra, n. 203, 336, 429, 430).

[*b.*] Quoniam aliquibus in locis in Verbo dicitur “numerare,” et per id significatur nosse quale rei, et secundum id ordinare et disponere, velim illa loca etiam in confirmationem adducere:—Apud *Esaiam*,

“Vox tumultus regnum gentium congregatarum; Jehovah Zebaoth numerans exercitum belli” (xiii. 4):

per “regna gentium congregatarum,” quarum tumultus, non intelliguntur gentes e regnis congregatae, est enim propheticum et non historicum; sed per “regna gentium congregatarum” significantur falsa mali quae fecerunt ut cohaerenter, et per “tumultus” eorum minae et cupiditates pugnandi contra vera; “regna” enim praedicantur de veris et in opposito sensu de falsis, ac “gentes” significant bona et in opposito sensu mala (videatur supra, n. 175, 331); et “tumultus” dicitur de cupiditate pugnandi, hic contra vera: “Jehovah Zebaoth numerans exercitum” significat ordinationem verorum ex bono a Domino contra falsa ex malo; Dominus in Verbo vocatur “Jehovah Zebaoth” ex veris et bonis pugnantibus contra falsa et mala; *Zebaoth* enim significat exercitus, et “exercitus” significant vera et bona caeli et ecclesiae; ac “numerare” significat ordinare illa; ac “bellum” pugnam spiritualem. Apud eundem,

“Tollite in altum oculos vestros, et videte quis creavit haec, qui eduxit in numerum exercitum eorum, omnes nomine vocat” (xl. 26):

per “exercitum caelorum” in sensu litterae intelliguntur sol, luna et stellae, nam illa vocantur “exercitus Jehovahe”

in Verbo; sed in sensu spirituali per "exercitum" significantur omnia bona et vera caeli et ecclesiae in complexu; nam per "solem" significatur bonum amoris, per "lunam" bonum fidei, et per "stellas" cognitiones boni et veri; inde patet quid significatur per "Tollite oculos vestros et videte quis creavit haec;" per "creare," cum de bonis et veris, significatur formare illa apud hominem, et illum regenerare; per "educere in numerum exercitum" significatur ordinare vera et bona secundum quale eorum apud quos sunt; "omnes nomine vocat" significat quod sciat omnium quale, et quod secundum id disponat; per "nomen" enim in Verbo significatur quale rei et status: ut quoque apud *Johannem*,

"Oves vocem Ipsius audiunt, et proprias oves vocat nomine tenus, et educit eas" (x. 3);

ubi etiam dicitur "educere et vocare nomine," ut supra apud *Esaiam*; et per illa significantur similia. (Quod "nomen" significet quale rei et status, videatur supra, n. 102, 135, 148.) Apud *Davidem*,

*Jehovah*, "qui numerat exercitum stellarum, omnes nominibus vocat" (Ps. cxlvii. 4):

per "numerare exercitum stellarum et omnes nominibus vocare" significatur nosse omnia vera et bona, et secundum quale eorum disponere illa in caelo et ecclesia: quid aliqui foret de *Jehovah* dicere, quod "numeret stellas, et illas vocet nominibus suis"? Apud *Jeremiam*,

"In urbibus montis, in urbibus planicie, et in urbibus meridiei, et in terra Benjaminis, et in circuitu Hierosolymae, et in urbibus Iudeae, adhuc transibunt greges juxta manus numerantis" (xxxiii. 13):

quid per "montem," "planitatem," "meridiem," "terram Benjaminis," "circitus Hierosolymae" et "urbes Iudeae," in sensu spirituali significatur, videatur mox supra (n. 449<sup>[6]</sup>, ubi explicata sunt): per "transire greges juxta manus numerantis" significatur quod erunt bona et vera interiora secundum ordinem et quale eorum in ecclesia; per "greges" enim significantur bona et vera interiora, sunt namque agni, oves, caprae, arietes, haedi, qui intelliguntur per "greges," per quos significantur bona et vera interiora, quae sunt bona et vera spiritualia; per "armenta" autem, quae consistunt ex vitulis, juvencis, vaccis et bobus, significantur bona et vera exteriora, quae sunt vera et bona natu-

**ralia.** (Quod ita sit, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 1565, 2566, 5912, 6048, 8937, 10609.) *Apud Davidem,*

"Laetabitur mons Zionis, et exultabunt filiae Jehudae propter judicia tua; circumdate Zionem, circumcingite eam, numerate turres ejus, ponite cor vestrum ad antemurale, distinguite palatia ejus, ut enaretis generationi sequenti" (Ps. xlviii. 12-14 [*B. A.* 11-13]):

per "montem Zionis" qui laetabitur, significatur ecclesia caelestis, in qua sunt qui in amore in Dominum; per "filias Jehudae" quae exultabunt, significantur affectiones boni et veri quae illis qui ab ea ecclesia; "propter judicia tua" significat propter Divina vera quae a Domino illis: "circumdate Zionem et circumcingere illam" significat ex amore amplecti illa quae istius ecclesiae sunt: "numerare turres ejus" significat expendere vera superiora seu interiora quae illius ecclesiae; "numerare" est videre et expendere quale eorum, et "turres" sunt vera superiora seu interiora: "ponere cor ad antemurale" significat amare vera exteriora tutantia illam ecclesiam contra falsa; "distinguere palatia ejus" significat percipere bona veri, "domus" enim sunt bona, et "palatia" sunt bona veri nobiliora: "ut enaretis generationi insequenti" significat permanentiam eorum in aeternum. *Apud Esaiam,*

"Qui ambulat in justitiis, et loquitur rectitudines, . . . regem in pulchritudine sua videbit, . . . spectabunt terram longinquitatum, cor tuum meditabitur terrorem; ubi scriba? ubi expendens? ubi numerans turres? Populum obfirmatum non videbis, populum profunditatum labii" (xxxiii. [15, 17,] 18, 19):

"ambulare in justitiis et loqui rectitudines" significat vivere in bono amoris et charitatis, ac cogitare et percipere vera, "ambulare" enim significat vivere, "justitia" praedicatur de bono, et "rectitudines" sunt vera; "regem in pulchritudine sua videbit" significat quod adepturi sapientiam, "rex" enim significat verum ex bono, "pulchritudo" ejus sapientiam, nam in hac est Divinum Verum in sua pulchra forma: "spectabunt terram longinquitatum" significat extensionem sapientiae in caelum, "terra" enim significat ecclesiam et quoque caelum, et "longinquitas" extensionem ibi: "cor tuum meditabitur terrorem; ubi scriba? ubi expendens? ubi numerans turres?" significat reminiscentiam status ecclesiae quando non intelligentia, non sapientia, et quando falsificatio veritatum interiorum;

“terror” est status ille, “scriba” est intelligentia, “expendens” est sapientia, “turres” sunt vera interiora; quale eorum destruere per falsifications significatur hic per “numerare illas:” “populum obfirmatum non videbis” significat illos qui in falsis mali, et abstrakte illa falsa: “populum profunditatum labii” significat falsa doctrinae confirmata usque ad apparentiam veri; “labium” significat doctrinae verum, hic falsum quod non visuri. Quod “numerare” etiam significet male disponere, proinde destruere per falsifications, constat apud eundem,

“Rupturas domus Davidis vidistis quod plurimae sint, et congregastis aquas piscinae inferioris, et domos Hierosolymae numerastis, ut destrueretis domos ad muniendum murum” (xxii. 9, 10):

per “domum Davidis” intelligitur ecclesia quoad vera doctrinae; et per “rupturas ejus” significantur falsa irrumptentia; per “congregare aquas piscinae inferioris” significatur colligere plura ex sensu litterae Verbi et ex naturali homine; “piscinae” in Hierosolyma significabant vera qualia sunt in Verbi sensu exteriori et interiori, “aqueae piscinae superioris” vera qualia sunt in sensu interiori Verbi, et “aqueae piscinae inferioris” vera qualia sunt in sensu exteriori, qui est sensus litterae Verbi; “aqueae” enim sunt vera, ac “piscinae” in Hierosolyma simile significant ac “lacus” et “maria” extra Hierosolymam, nempe collectionem eorum: per “domos Hierosolymae numerare” significatur falsificare bona veri, “domus” enim “Hierosolymae” significant bona veri ecclesiae, et “numerare” significat sinistre capere, male disponere, quod est false interpretari seu falsificare: “ut destrueretis domos ad muniendum murum,” significat destruere illa bona ad condendum doctrinam in qua mere falsa; “murus” est verum doctrinae tutans, hic falsificatum quia absque bono. Ex his constare potest quid significatur per quod “numerati sint dies,” “gressus,” “pili,” ut in sequentibus:—Apud Davidem,

“Ad numerandum dies nostros” (Ps. xc. 12):

apud *Hiobum*,

“Annon gressus meos numeras?” (xiv. 16:)

apud eundem,

“Nonne Ille videt vias meas, et omnes gressus meos <sup>[1]</sup>numerat?” (xxxii. 4:)

apud *Lucam*,

"Pili capitisi vestri omnes numerati sunt" (xii. 6, 7):

per "numerare" hic significatur nosse quale a minimo ad maximum, et secundum id ordinare et disponere, hoc est, providere. Quid per "dies," "gressus" et "pilos" significatur, alibi dictum et ostensum est.

**454. "Ex omni gente et tribubus."**—Quod significet *omnes qui in bono sunt quoad vitam secundum doctrinalia suae religionis*, constat ex significatione "gentis," quod sint qui in bono (de qua supra, n. 175, 331), hic qui in bono vitae: et ex significatione "tribuum," quod sint bona et vera ecclesiae in omni complexu (de qua etiam supra, n. 431); hic autem, quia agitur de illis qui in bono vitae sunt secundum religionem suam, per "tribus" significantur doctrinalia religionis quae credunt esse vera et bona; haec quoque in Verbo intelliguntur per "tribus," quando de illis agitur; at per "tribus Israelis," de quibus supra actum est, intelliguntur omnes qui in genuinis veris et bonis ecclesiae sunt, et abstracte illa vera et bona. Quare hic per "ex omni gente et tribubus" significantur omnes qui in bono sunt quoad vitam secundum doctrinalia suae religionis.

**455[a]. "Et populis et linguis."**—Quod significet *omnes qui in falsis ex ignorantia, et ex variis religionibus*, constat ex significatione "populorum," quod sint qui in veris doctrinae, ac in opposito sensu qui in falsis doctrinae (de qua supra, n. 175); hic autem qui in falsis doctrinae ex ignorantia, nam agitur hic de illis qui salvantur, tametsi ex doctrina religionis suae in falsis fuerunt: (nam salvantur omnes qui in bono vitae sunt secundum religionis suae dogmata, quae crediderunt vera esse, tametsi non vera sunt; nam non imputatur alicui falsum, qui secundum religionis suae dogmata bene vivit, quoniam ejus culpa non est quod non sciat vera: nam bonum vitae secundum religionem in se recondit affectionem sciendi vera, quae etiam discunt et recipiunt cum in alteram vitam veniunt; omnis enim affectio manet hominem post mortem, et affectio sciendi vera imprimis, quia haec est affectio spiritualis, et homo cum fit spiritus est sua affectio; quare tunc vera, quae desiderant, hauriunt, et sic recipiunt alte cordibus suis:) (quod falsa religionis, dum homo bene vivit, acceptentur a Domino ut vera, videatur supra, n.

452:) et ex significatione "linguarum," quod sint confessiones illorum ex religione; per "linguas" enim intelliguntur loquela, et "loquela" significat confessionem et religionem, ex causa quia lingua eloquitur et confitetur illa quae religionis sunt. In Verbo pluries dicitur "labium," "os" et "lingua;" et per "labium" significatur doctrina, per "os" cogitatio, et per "linguam" confessio: causa quod "labium," "os" et "lingua" talia significant, est quia illa externa hominis sunt per quae propalantur interna, ac interna sunt quae in interno seu spirituali sensu significantur. Verbum enim in littera consistit ab externis quae apparent coram oculis et percipiuntur sensibus; inde Verbum in littera est naturale, et hoc propterea, ut Divinum Verum, quod continet, ibi sit in ultimo, et sic in pleno: sed externa illa, quae sunt naturalia, comprehendunt in se interna, quae sunt spiritalia, quae itaque sunt quae significantur. Quod "linguae" significant confessiones ex religione et secundum religionis dogmata, constare potest ex sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

"Veniet tempus ad congregandum omnes gentes et linguas, ut veniant videantque gloriam meam" (lxvi. 18):

haec de adventu Domini; per "gentes et linguas" significantur omnes qui in bono vitae secundum religiones suas sunt; "linguae" significant religiones a confessione: quare dicitur, "ut veniant videantque gloriam meam;" "gloria" significat Divinum Verum, per quod ecclesia. Apud *Danielm*,

"Ecce cum nubibus caelorum [sicut] Filius hominis:.... Huic datum est dominium et gloria et regnum, ut omnes populi, linguae et gentes Ipsum colerent" (vii. [13.] 14);

quod per "Filium hominis," qui venturus in nubibus caelorum, intelligatur Dominus, constat; et per "nubes caelorum" intelligatur Verbum in littera, in qua dicitur venturus, quia Verbum de Ipso agit, ac in sensu intimo de Ipso Solo: quare dicitur "Filius hominis," nam Dominus dicitur "Filius hominis" ex Divino Vero, quod est Verbum: sed de hac re videantur plura supra (n. 36), ubi explicatur hoc in *Apocalypsi* (i. 7),

"Ecce venit cum nubibus, et videbit Ipsum omnis oculus:"

potestas Ipsius ex Divino Bono intelligitur per "dominium," et ex Divino Vero per "gloriam," ac caelum et ecclesia per "regnum;" per "populos, linguas et gentes" significantur omnes qui in doctrina et in vita secundum religiones suas sunt; "populi" dicuntur qui in doctrina, "gentes" qui in vita, et "linguae" sunt religiones. Apud *Sacharium*,

"In diebus illis apprehendent decem viri ex omnibus linguis gentium, alam viri Iudei, dicendo, Ibimus vobiscum, quia audivimus Deum vobiscum" (viii. 23):

quis sensus horum spiritualis est, videatur supra (n. 433[4]); quod nempe per "Iudeum" intelligantur illi qui in amore in Dominum sunt et ex Ipso in veris doctrinae; et quod per "omnes linguas gentium" intelligantur qui ex variis religionibus.

[b.] Similia per "linguas" significantur in sequentibus locis:—Apud *Mosen*,

"Ex his dispersae sunt insulae gentium in terris suis, quisque juxta linguam suam, juxta familias suas in gentibus suis." Habitationes filiorum "Schemi secundum familias eorum, juxta linguas eorum, in terris eorum, juxta gentes eorum" (*Gen. x. 5, 31*);

in *Apocalypsi*,

"Oportet te rursus prophetare super populos et gentes, et linguas et reges multos" (x. 11);

alibi,

"Videbunt ex populis et tribubus, et linguis et gentibus, corpora illorum dies tres et dimidium" (xi. 9);

alibi,

"Datum est" bestiae "bellum facere cum sanctis, et vincere eos: et data est illi potestas super omnem tribum et linguam et gentem" (xiii. 7);

alibi,

"Vidi angelum volantem in medio caeli habentem Evangelium aeternum, ad evangelizandum habitantibus super terra, et omni genti et tribui et linguae et populo" (xiv. 6);

et alibi,

"Aqua, quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi et turbae sunt, et gentes et linguae" (xvii. 15):

per "aquas" ibi significantur vera Verbi; nam per "aquas" in Verbo significantur vera, et in opposito sensu falsa; quare per "populos, turbas, gentes et linguas" ibi intelleguntur illi qui in veris falsificatis sunt, quae in se sunt falsa, et inde in malis vitae. Apud *Lucam*,

Dives dixit ad Abrahamum, "Miserere mei, et mitte Lazarum ut intingat extremum digiti in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in flamma hac" (xvi. 24):

in hac parabola, sicut in reliquis, Dominus per correspondencias locutus est; ut constare potest ex eo, quod non per "divitem" intelligantur divites, nec per "Abrahamum" Abraham, nec per "aquam" qua Lazarus "refrigeraret linguam" aqua et lingua, neque per "flammam" flamma, nam in inferno nemo per flamas cruciatur: sed per "divitem" intelliguntur illi qui ab ecclesia sunt ubi Verbum, ex quo illis divitiae spirituales, quae sunt vera doctrinae; quare ibi per "divitem" intelliguntur Judaei, apud quos tunc erat Verbum: per "Abrahamum" intelligitur Dominus; per "aquam" in quam intingeret Lazarus extremum digiti significatur verum ex Verbo: et per "linguam" significatur sitis et cupiditas pervertendi vera quae in Verbo sunt; et per "flammam" poena illius cupiditatis, quae est varia et multiplex: inde patet quid illa in serie significant; et quod per "refrigerare linguam aqua" significetur sedare sitim et cupiditatem pervertendi vera, et per illa confirmandi falsa. Quis non videre potest quod non intelligatur quod Lazarus mitteret extremum digiti in aquam ut refrigeraret linguam? Apud *Sacharium*,

"Haec erit plaga qua percutiet Jehovah omnes populos qui pugnabunt contra Hierosolymam: contabescet caro cujusque, ut ipse stet super pedibus suis, et oculi ejus contabescant in foraminibus suis, ac lingua ejus contabescet in ore ejus" (xiv. 12):

haec dicta sunt de illis qui conantur destruere vera doctrinae per falsa; hoc significatur per "pugnare contra Hierosolymam," "Hierosolyma" enim significat ecclesiam quoad doctrinam, et inde vera doctrinae ecclesiae; per quod "contabescet caro" significatur quod peritum sit omne bonum amoris et vitae, id enim "caro" significat: per "stare super pedibus suis" intelligitur super ossibus absque carne, per quod significatur quod prorsus naturales corporei futuri sint; "pedes" significant illa quae sunt naturalis hominis, hic infima ejus: quod "oculi ejus contabescant in foraminibus suis" significat quod periturus sit omnis intellectus veri, "oculi" enim significant intellectum: quod "lingua ejus contabescet in ore ejus" significat quod peritura sit omnis perceptio veri et affectio boni; "lingua"

etiam perceptionem veri et affectionem boni significat, perceptionem veri ex eo quod loquatur, et affectionem boni ex eo quod gustu polleat, "gustus" enim significat appetitum, desiderium et affectionem. In *Libro Iudicum*,

"Jehovah dixit ad Gideonem, Quisquis lambit lingua sua aquas, quemadmodum canis lambit, eum statues seorsim; et quisquis incurvaverit se super genua ad bibendum: et fuit numerus lambentium in manu sua...., trecenti viri;" qui duicti contra Midianem, et percusserunt eum (vii. 5-7):

per "Midianem" ibi intelliguntur qui non verum curant, quia mere naturales et externi; quare percussi sunt ab illis qui "lingua lamberunt aquas in manu sicut canis," per hos enim intelliguntur qui appetunt vera, ita qui ex aliqua affectione naturali affectant scire vera; per "canem" enim significatur appetitus et cupido, per "aquas" vera, et per "lambere illas lingua" significatur appetere et ex cupidine affectare; ideo per hos percussus est Midian. Quis non videre potest quod hoc non mandatum fuisset, nisi significavisset? Apud *Davidem*,

"Occultas eos in abdito facierum tuarum p[re]ae elationibus viri, abscondis eos in tabernaculo a lite linguarum" (Ps. xxxi. 21 [*B. A.* 20]):

per "abditum facierum," in quo Jehovah occultat eos, significatur Divinum Bonum Divini Amoris, nam "facies Jehovah" significat bonum amoris, et "abditum" significat interius apud hominem: per "elationes viri" significatur fastus intelligentiae propriae; per "tabernaculum" in quo abscondit significatur Divinum Verum; et per "litem linguarum" significatur falsum religionis ex quo ratiocinantur contra vera: inde patet quid illa in serie significant. Apud *Jeremiam*,

"Ecce Ego adducens super vos gentem,....gens cuius non cognoscet linguam, neque intelliges quid loquatur,....comedet messem tuam et panem tuum" (v. 15, <sup>10</sup>[17]):

hic non intelligitur quod adduceretur gens quae esset ignota lingua seu non intelligibili loquela, sed intelligitur gens mala quae esset ex prorsus alia religione, cuius dogmata non cognoscent, nec ratiocinia inde intelligent; et in sensu abstracto significantur falsa mali prorsus opposita veris boni; "gens" enim in sensu abstracto est malum, et "lingua" hic est falsum religionis, et "loqui" est inde ratiocinari; quare sequitur quod "comedet messem tuam et

panem tuum," nam per "messem" significantur vera per quae bonum, per "panem" bonum inde, et per "comedere" consumere et deprivare. Apud *Ezechielem*,

"Non ad populum profundi labii et graves lingua tu missus; ad domum Israelis: non ad populos magnos profundi labii et graves lingua, quorum non audiveris verba; nonne si ad hos mitterem te, illi obedituri essent tibi?" (iii. 5, 6:)

per "populos profundi labii et graves lingua, quorum non audiuntur verba," significantur illi qui in doctrina non intelligibili, et inde in religione abstrusa, cujus dogmata non perceptibilia sunt; "labium" significat doctrinam, "lingua" religionem, et "verba" dogmata ejus; quare per illos populos intelliguntur gentes, quibus non Verbum, et ex illo Jehovah, hoc est, Dominus notus est; quod illi recepturi vera Divina, si instruerentur, significatur per quod "illi obedituri essent, si ad illos missus esset." Apud *Esaiam*,

"Populum obfirmatum non videbis, populum profunditatum labii ut non audias, barbarum lingua, non intelligentia" (xxxiii. 19):

per "populum profunditatum labii" et per "barbarum <sup>[1]</sup>lingua," similia significantur quae mox supra per "populos profundi labii et graves lingua;" quod non intelligatur populus cui talis loquela ut non intelligatur, patet; nam etiam dicitur, "<sup>[2]</sup>barbarum lingua, non intelligentia;" in lingua enim seu loquela eorum potest esse intelligentia, non autem in religione eorum. Apud eundem,

"Juravi....quod Mihi se incurvaturum omne genu, et juratura omnis lingua" (xlv. 23):

haec de adventu Domini; et per quod "incurvaturum se sit omne genu" significatur quod adoraturi Ipsum omnes qui in bono naturali ex spirituali sunt; "genu" significat conjunctionem boni naturalis cum spirituali; inde patet quod genuflexiones significant agnitionem, gratiarum actionem et adorationem ex bono et jucundo spirituali in naturali: quod "juratura sit omnis lingua" significat quod confessuri Ipsum omnes qui in bono ex religione sunt; "jurare" significat confiteri, et "lingua" religionem secundum quam vivitur. Apud *Davidem*,

"Lingua mea meditatur justitiam tuam, omni die laudem tuam" (Ps. xxxv. 28):

per "linguam" hic quoque significatur confessio ex doctrina

ecclesiae, nam dicitur quod illa “meditetur;” “justitia” praedicatur de bono ejus, et “laus” de vero ejus, ut quoque alibi in Verbo. Similiter alibi apud eundem,

“Lingua mea toto die meditabitur justitiam tuam” (*Ps. lxxi. 24*):  
apud eundem,

“Felle” impii “circumdant me, molestia labiorum eorum contegit eos, obruunt eos prunae; igne dejiciat eos in foveas, non resurgent; vir linguae non subsistet in terra” (*Ps. cxl. 10-12 [B. A. 9-11]*):

per “fel” significatur verum falsificatum, quod in se est falsum; per “molestiam labiorum” significatur falsum doctrinae inde, nam “labia” significant doctrinam: per “prunas quae obruent,” et per “ignem quo dejicientur in foveas,” significatur fastus ex propria intelligentia et amor sui, per quos labuntur in mere falsa; “prunae” significant fastum propriae intelligentiae, “ignis” amorem sui, et “foveae” falsa; omnia etiam falsa doctrinae in ecclesia et omnes falsificationes Verbi existunt ex fastu propriae intelligentiae et ex amore sui; inde patet quid significatur per quod “vir linguae non subsistet in terra,” nempe falsa religio. Apud eundem,

“Anima mea in medio leonum cubo, inflammantur filii hominis, dentes eorum hasta et tela, et lingua eorum gladius acutus” (*Ps. lvii. 5 [B. A. 4]*):

per “leones” significantur qui depraedantur ecclesiam veris, et sic destruunt illam; per “filios hominis” qui inflammantur, significantur illi qui in veris ecclesiae sunt, et abstracte ipsa vera, quae “inflammari” dicuntur a fastu propriae intelligentiae, unde falsa: “dentes eorum hasta et tela” significant ratiocinationes ex sensualibus externis et sic ex fallaciis et falsis religionis, per quae destruuntur vera; “dentes” significant ultima vitae hominis, quae sunt sensualia externa, hic ratiocinationes ex illis; et “lingua” significat falsa religionis; quare dicitur “Lingua eorum gladius acutus,” per “gladium” enim significatur destructio veri per falsa. Apud *Hiobum*,

“Num trahes leviathanem hamo, et in funem demerges linguam ejus?” (*xl. 25 [B. A. xli. 1]*):

in illo capite et sequenti agitur de behemoth et de leviathan, et per utrumque significatur naturalis homo; per

“behemoth” ille quoad bona quae vocantur jucunda amoris naturalis, et per “leviathanem” ille quoad vera, quae vocantur scientifica et cognitiones, ex quibus lumen naturale; ambo illa describuntur per meras correspondentias, stylo antiquo; quod ratiocinatio ex lumine Naturae per scientifica non coerceri possit nisi a Deo, describitur in eo capite et in sequenti per “leviathanem,” et quoque per haec, “Num trahes leviathanem hamo, et in funem demerges linguam ejus?” Per “linguam” significatur ratiocinatio ex scientificis. Quod “leviathan” significet naturalem hominem quoad scientifica, constare potest ex aliis locis in Verbo ubi nominatur

(Ut *Esai. xxvii. 1: Psalm. lxxiv. 14; Ps. civ. 26;*

tum ex eo quod “balaena,” quae intelligitur per “leviathanem,” significet naturalem hominem quoad scientifica. Apud *Esaiam*,

“Cor praecipitantium se intelliget ad sciendum, et lingua balborum velox erit ad loquendum...” (xxxii. 4):

per “praecipitantes se” intelliguntur qui facile arripiunt et credunt illa quae dicuntur, ita quoque falsa; de his dicitur quod “intelligent et scient,” hoc est, recipient vera: per “balbos” intelliguntur qui aegre possunt capere vera ecclesiae; quod ex affectione confessuri illa sint, intelligitur per quod “lingua eorum velox erit ad loquendum;” “velox” praedicatur de affectione. Apud eundem,

“Tunc saliet sicut cervus claudus, et cantabit lingua muti, quia erumpent in deserto aquae, et fluvii in planicie deserti” (xxxv. 6):

haec de adventu Domini; et per “claudum” significantur qui in bono sunt sed non genuino, quia in ignorantia veri per quod bonum; quod “saliet sicut cervus” significat quod ei gaudium ex perceptione veri: per “mutum” significantur qui propter ignorantiam veri non possunt confiteri Dominum, nec vera genuina ecclesiae; “cantabit” significat gaudium ex intelligentia veri: quod “erumpent in deserto aquae” significat quod vera aperientur ubi non prius fuerunt; et quod “fluvii in planicie deserti” significat quod ibi intelligentia; “aquae” enim significant vera, ac “fluvii” intelligentiam.

[c.] Ex his constare potest quid in sensu spirituali

significatur per "surdum aegre loquentem," quem Dominus sanavit, de quo ita apud *Marcum*,

Jesus assumens surdum aegre loquentem, "injecit digitum suum in aures ejus, et exspuens tetigit linguam ejus; et suspiciens in caelum..., dixit ei, Ephathah, hoc est, Aperitor; tunc statim aperti sunt auditus ejus, et solutum est vinculum linguae ejus, et locutus est recte" (vii. 33-35):

quod miracula Domini, quia Divina, omnia involverint et significaverint talia quae caeli et ecclesiae sunt, et quod ideo fuerint sanationes morborum, per quas significatae sunt sanationes vitae spiritualis variae, videatur in *Arcanis Caelestibus* (n. 7337, 8364, 9031); per "surdum" significantur illi qui non in intellectu veri et inde non in obedientia, et per "aegre loquentem" significantur qui ideo aegre in confessione Domini et veri ecclesiae sunt; per "aures" apertas a Domino significantur perceptio veri et obedientia; et per "linguam," cuius vinculum solutum est a Domino, significantur confessio Domini et veritatum ecclesiae. Quod apostoli et alii post resurrectionem Domini "locuti sint linguis novis," significabat etiam confessionem Domini et veritatum ecclesiac novae; de qua re ita apud *Marcum*,

Jesus dixit, "Signa credentes haec sequentur, in nomine meo daemonia ejicient, et linguis loquentur novis" (xvi. 17):

per "ejicere daemonia" significantur removere et rejicere falsa mali; et per "loqui linguis novis" significantur confiteri Dominum et vera ecclesiae ab Ipso: quare

Apostolis "visae sunt divisae linguae quasi ignis, quae sederunt apud illos, ac tunc impleti spiritu sancto cooperunt loqui aliis linguis" (*Act. Apost.* ii. [1]3, 4):

per "ignem" significabatur amor veri, et per quod "implete spiritu sancto" significabatur receptio Divini Veri a Domino, ac per "linguas novas" confessiones ex amore veri seu zelo; nam, ut supra dictum est, omnia miracula Divina, proinde omnia miracula memorata in Verbo, involvebant et significabant spiritualia et caelestia, hoc est, talia quae sunt ecclesiae et caeli; ex hoc distinguuntur miracula Divina a miraculis non Divinis. Supersedetur plura loca e Verbo afferre, confirmantia quod per "linguas" non intelligentur loquelae in communi sensu, sed confessiones ex veris ecclesiae, et in opposito sensu confessiones ex falsis alicujus religionis.

**456. "Stantes coram throno et coram Agno."**—Quod significet *illos in regno Domini*, constat ex significatione "throni," cum de Domino, quod sit caelum et ecclesia, de qua supra (n. 253); quod per "Agnum" intelligatur Dominus quoad Divinum Humanum, videatur etiam supra (n. 314); inde per "stantes coram throno et Agno" significatur quod illi in regno Domini sint. Regnum Domini est caelum et ecclesia, ubi Dominus colitur et ubi agnoscitur Divinum in Humano Ipsius; omnes illi qui id agnoscent corde, in caelo sunt et in caelum veniunt; dicitur qui id agnoscent corde, quoniam agnoscere id nemo potest nisi qui in bono vitae est et inde in veris doctrinae; in terris possunt multi id ore dicere, sed usque non agnoscere corde nisi qui bene vivit; at post vitam in mundo non potest aliis, quam qui in caelo est et in caelum venturus est, id ore dicere, minus agnoscere; sed de hac re fusius alibi.

**457. "Induti stolis albis."**—Quod significet *quod tunc in veris, et in tutela contra falsa*, constat ex significatione "stolae albae," quod sit receptio Divini Veri, ac tutatio contra falsa (de qua re supra, n. 395[a]).

**458[a]. "Et palmae in manibus eorum."**—Quod significet *in bono vitae secundum illa*, constat ex significatione "palmae," quod sit bonum veri seu bonum spirituale (de qua sequitur); et ex significatione "manuum," quod sint potentia, et inde omne posse apud hominem (de qua supra, n. 72, 79); inde per quod "palmae essent in manibus eorum" significatur quod bonum veri esset in illis, seu quod illi essent in bono veri. Bonum veri, quando est apud aliquem, est bonum vitae, nam verum fit bonum per vitam secundum illud; antea verum non est bonum apud aliquem. Verum enim quando solum est in memoria et inde cogitatione non est bonum, sed fit bonum cum venit in voluntatem et inde in actum: ipsa enim voluntas transformat verum in bonum; quod constare potest ex eo quod quicquid homo vult hoc bonum vocet, et quicquid homo cogitat hoc verum vocet. Voluntas enim interior hominis, quae est voluntas ejus spiritus, est receptaculum amoris ejus; nam quod homo ex spiritu amat hoc vult, et quod inde vult hoc facit; quare verum quod voluntatis ejus est, hoc quoque amoris ejus est, et quicquid est amoris hoc vocatur bonum. Ex his patet quomodo bonum apud hominem formatur per

vera, et quod omne bonum, quod est bonum apud hominem, sit bonum vitae. Creditur quod bonum etiam sit cogitationis, tametsi non voluntatis, quoniam homo cogitare potest quod id aut illud sit bonum; sed usque non est bonum ibi sed est verum: cogitare quod bonum sit, est verum; et quoque refertur inter vera quod sciat et inde cogitet quod sit bonum; at si verum illud in cogitatione amatur eo usque ut velit illud et ex velle faciat illud, tunc quia est amoris, fit bonum. Hoc illustrari potest ab hoc exemplo: fuerunt spiritus qui in vita corporis crediderunt charitatem esse essentiale ecclesiae, et inde essentiale ad salutem, et non fidem solam; et tamen iidem non vixerunt vitam charitatis, solum enim cogitarunt et statuerunt ita esse: sed dictum est illis quod solum cogitare et inde credere quod charitas salvet, sit simile ac credere quod sola fides salvet, si homo non velit et faciat; quare rejecti sunt. Inde patuit quod modo cogitare bonum, et non velle et facere id, non sit bonum apud aliquem: simile foret si homo nosset ipsa vera et bona, et ex sola cogitatione contestaretur illa, si non dat vitam illis per velle et facere. Haec dicta sunt ut sciatur quod bonum veri seu bonum spirituale, quando est in aliquo, sit bonum vitae; hoc itaque est quod per "palmas in manibus" significatur. Quoniam per "palmas" significabatur bonum spirituale, ideo in templo a Salomone aedificato praeter alia etiam sculptae erant palmae; secundum haec in *Libro Primo Regum*,

Salomo "omnes parietes domus in circuitu sculpsit aperturis cheruborum et palmarum et aperturis florum, introrsum et extrorsum;" ....um super binis foribus (vi. 29, 32):

per "parietes domus" significantur ultima caeli et ecclesiae; ultima sunt effectus qui procedunt ex interioribus, et per "fores" significatur introitus ad caelum et ad ecclesiam; per "cherubos" super illas significatur bonum caeleste, quod est bonum intimi caeli; per "palmas" bonum spirituale, quod est bonum secundi caeli; et per "flores" bonum spirituale naturale, quod est bonum ultimi caeli; ita per illa tria significantur bona trium caelorum in suo ordine: in supremo autem sensu per "cherubos" significatur Divina Domini providentia et quoque custodia, per "palmas" Divina Domini sapientia, et per "flores" Divina Ipsius intelligentia; Divinum enim Bonum unitum Divino Vero

procedens a Domino in tertio seu intimo caelo recipitur ut Divina providentia, in secundo seu medio caelo ut Divina sapientia, et in primo seu ultimo caelo ut Divina intelligentia. Similia per "cherubos" et "palmas" in novo templo <sup>[1]</sup>significantur apud *Ezechielem*,

In novo templo facti sunt cherubi et palmae, ita ut palma inter cherubum et cherubum, et duae facies cherubo,....a terra usque ad super ostium ;....cherubi et palmae facti super parietibus et super valvis (xli. 18-20, 25, 26) :

per "novum templum" ibi significatur nova ecclesia a Domino instauranda cum venturus est in mundum, nam per descriptionem novae urbis, novi templi et novae terrae ibi significantur omnia novae ecclesiae et inde novi caeli, quae descripta sunt ibi per meras correspondentias.

[b.] Quoniam per "Festum Tabernaculorum" significabatur implantatio boni per vera, ideo mandatum est ut

Tunc acciperent fructum arboris honoris, spathas palmarum, ramum arboris densae, et salices torrentis, et lactarentur coram Jehovah septem diebus (*Levit. xxiii. 39, 40*) :

per "fructum arboris honoris" significatur bonum caeleste ; per "palmas" bonum spirituale seu bonum veri ; per "ramum arboris densae" verum scientificum cum ejus bono ; et per "salices torrentis" vera et bona infima naturalis hominis, quae sunt sensualium externorum : ita per quatuor illa significantur omnia bona et vera in suo ordine a primis ad ultima apud hominem. Quia "palmae" significabant bonum spirituale, et ex bono spirituali est ipsa affectio seu amor veri spiritualis, ideo per "palmas in manibus" olim testabantur gaudium cordis sui, et quoque quod ex bono agerent. Hoc significatum est per quod

Multi, qui venerunt ad festum, cum audirent quod veniret Jesus ad Hierosolymam, sumpserint termites palmarum, et iverint obviam Ipsi, et clamaverint, Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israelis (*Joh. xii. 12, 13*).

"Palma" etiam significat bonum spirituale seu bonum veri in sequentibus locis :—Apud *Davidem*,

"Justus sicut palma florebit, sicut cedrus in Libano crescat ; plantati in domo Jehovah, in atriis Dei nostri germinabunt" (*Ps. xcii. 13, 14* [B. A. 12, 13]) :

"justus" significat illos qui in bono sunt ; nam per "justos"

in Verbo intelliguntur qui in bono amoris sunt, et per "sanctos" qui in veris ex illo bono (videatur supra, n. 204): inde est quod de justo dicatur quod "sicut palma florebit," et quod "sicut cedrus in Libano crescat;" nam fructificatio boni apud illum intelligitur per "sicut palma florebit," et multiplicatio veri inde per "sicut cedrus in Libano crescat," "palma" enim significat bonum spirituale, "cedrus" verum illius boni, et "Libanus" ecclesiam spiritualem: per "domum Jehovae" in qua plantati, et per "atria" in quibus germinabunt, significatur caelum et ecclesia, per "domum Jehovae" ecclesia interna, et per "atria" ecclesia externa; plantatio fit in interioribus hominis ubi bonum amoris et charitatis, ac germinatio fit in exterioribus hominis ubi bonum vitae. Apud *Joelem*,

"Vitis exaruit, et ficus languet, malus punica, etiamque palma et malus, omnes arbores agri exsiccatae sunt, exaruit gaudium de filiis hominum" (i. 12):

per haec describitur desolatio veri et boni in ecclesia, et inde omnis gaudii cordis, hoc est, gaudii spiritualis; "vitis" enim significat bonum et verum spirituale ecclesiae, "ficus" bonum et verum naturale inde, et "malus punica" verum et bonum sensuale, quod est ultimum naturalis; "palma" significat gaudium cordis ex bono spirituali, et "malus" ex bono naturali inde; per "arbores agri quae exsiccatae" significantur perceptions boni et cognitions veri, quod nullae; et quia gaudium spirituale et naturale inde per "palmam" et "malum" significantur, ideo etiam dicitur, "Exaruit gaudium de filiis hominis;" per "filios hominis" in Verbo intelliguntur qui in veris ex bono sunt, et per "gaudium" significatur gaudium spirituale, quod unice est ex bono per vera. Quis non videre potest quod hic non intelligantur vitis, ficus, malus punica, palma, malus et arbores agri? Quid hoc foret in Verbo et quid ad ecclesiam, si illae arbores exaruerint et exsiccatae fuerint? Apud *Jeremiam*,

"Lignum de silva excidit, et opus manuum fabri per securim; argento et auro exornat illud, clavis et malleis firmat illa, ut non vacillet; sicut palma solidum illa" (x. 3-5):

per haec describitur bonum naturale separatum a spirituali, quod est bonum ex proprio; at in se spectatum non est bonum, sed jucundum cupidinis imprimis ex amore sui et

mundi, quod sentitur sicut bonum: quomodo homo id format apud se ut appareat sicut bonum et persuadeat quod sit bonum, describitur per "lignum quod de silva excidit," et per "opus manuum fabri per securim;" "lignum" significat bonum, hic tale bonum; "silva" significat naturale, hic naturale separatum a spirituale; "opus manuum fabri per securim" significat id ex proprio et ex propria intelligentia: confirmatio ejus per vera et bona ex Verbo, quae sic falsificat, describitur per "argento et auro exornat illud;" "argentum" est verum inde et "aurum" est bonum inde: cohaerentia facta per confirmationes ex proprio, describitur per "clavis et malleis firmat illa ut non vacillet:" apparentia inde sicut bonum formatum per vera significatur per "sicut palma solidum illa." Apud *Mosen*,

"Venerunt in Elim, et ibi duodecim fontes aquarum et septuaginta palmae, et castrametati sunt ibi juxta aquas" (*Exod. xv. 27; Num. xxxiii. 9*):

haec historica etiam sensum spirituale continent, in omnibus enim historicis Verbi etiam ille sensus inest: hic per "venerunt in Elim" significatur status illustrationis et affectionis, ita consolationis post tentationes; per "duodecim fontes aquarum" significatur quod tunc illis vera in omni copia; per "septuaginta palmas" significatur quod illis bona veri similiter; et per quod "castrametati sint juxta aquas" significatur quod post tentationes ordinata sint vera per bonum. (Sed haec amplius explicata videantur in *Arcanis Caelestibus*, a n. 8366 ad 8370.) Quoniam "Jericho" significat bonum veri, ideo

Urbs illa dicta fuit "urbs palmarum" (*Deut. xxiv. 3; Judic. i. 16; cap. iii. 13*):

omnia enim nomina locorum et urbium in Verbo significant talia quae sunt caeli et ecclesiae, quae spiritualia vocantur, et "Jericho" bonum veri. Quoniam id per "Jericho" significatur, ideo Dominus in Parabola de Samarita dixit

Quod descenderit a Hierosolyma in Jericho (*Luc. x. 30*):

per quod significatur quod per vera ad bonum, nam per "Hierosolymam" significatur verum doctrinae, ac per "Jericho" bonum veri, quod est bonum vitae, quod etiam praestitit vulnerato a latronibus. Et quia "Jericho" id bonum significabat,

Ideo Josua cum esset in Jerichunte, vidi virum stantem, cuius in manu gladius evaginatus, qui dixit Josuae, "Exue calceum tuum desuper pede tuo in loco super quo stas, quia sanctus ille; quod et fecit Josua" (*Jos. v. [13,] 15*):

Et ideo postquam filii Israelis cuperunt Jericho per arcae circumductio-  
nem, "argentum et aurum, ac vasa aeris et ferri" ibi inventa "de-  
derunt in thesaurum domus Jehovahae" (*Jos. vi. 24*):

ex quibus patet unde est quod Jericho dicta sit "urbs palmarum." Praeterea in mundo spirituali in paradisis ubi sunt angeli qui in bono spirituali seu in bono veri sunt, apparent multa copia palmae; ex quo patuit etiam quod "palma" significet bonum veri: omnia enim quae in illo mundo apparent, sunt repraesentativa status vitae et affectionum, ita boni et veri quae apud angelos.

**459.** [*Vers. 10.*] "*Et clamantes voce magna.*"—Quod significet adorationem ex bono veri, et inde gaudio cordis, constat ex significatione "clamare voce magna," quod sit adoratio ex bono veri et inde gaudio cordis; per "clamare" enim significatur affectio interior, quoniam clamor est effectus ejus; quando enim homo in affectione interiore est, ac venit inde in confessionem, tunc clamat; ex hoc est quod "clamor" in Verbo significet omnem affectionem spiritualem, haec sive sit gaudii, sive doloris, sive alius (videatur supra, n. 393.424): quod hic significet adorationem ex bono veri, constat ex antecedentibus et consequentibus; ex antecedentibus, quia dicitur quod "palmae in manibus eorum," per quod significatur bonum veri apud illos (ut mox supra ostensum est); ex consequentibus, quia illi clamarunt, "Salus Deo nostro sedenti super throno et Agno; ac angeli, seniores et quatuor animalia ceciderunt coram throno, et adoraverunt Deum;" et praeterea omnis adoratio, quae est confessio, Domini, est ex bono veri, hoc est, ex bono per vera: "vox magna" etiam significat verum ex bono; "vox" significat verum, et "magnum" praedicatur de bono. (Quod "vox" significet verum, videatur supra, n. 261; et quod "magnum" et "magnitudo" praedicetur de bono, etiam supra, n. 336[a], 337.424.)

**460.** "*Dicentes, Salus Deo nostro sedenti super throno et Agno.*"—Quod significet confessionem quod vita eterna sit a solo Domino, constat ex significatione "dicere," quod sit confiteri, confessio enim sequitur; ex significatione "Sedentis super throno et Agni," quod sit Dominus quoad Divinum Bonum et quoad Divinum Verum; quod per "Sedentem super throno" intelligatur Dominus quoad Divinum Bonum,

et per "Agnum" Dominus quoad Divinum Verum, videatur supra (n. 134, 253<sup>[a]</sup>, 297, 314): et ex significatione "salutis," quod sit vita aeterna, nam per vitam aeternam in Verbo intelligitur salus aeterna: quod dicatur, quod "Ipsi sit salus," significat quod salus ab Ipso sit, quia Ipse est salus; omne enim salutis et vitae aeternae est ab Ipso, et est Ipsius apud hominem et angelum: nam omne bonum amoris et omne verum fidei, quae apud hominem, non sunt hominis sed Domini apud illum; est namque Divinum procedens, quod est Dominus in caelo apud angelos et in ecclesia apud homines, et ex <sup>[b]</sup>bono amoris et vero fidei est salus et vita aeterna; inde constare potest quomodo intelligendum est quod dicatur ut Domino salus, et Ipse Dominus salus, ut in sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

"Ecce Deus noster, Hic quem exspectavimus ut liberet nos, Hic Jehovah quem exspectavimus, exultemus et laetemur in salute Ejus" (xxv. 9);

*apud eundem*,

"Salus mea non morabitur, et dabo in Zione salutem, in Israele decus meum" (xlvi. 13);

*apud eundem*,

"Dedi Te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremitatem terrae" (xlix. 6);

*apud eundem*,

"Dicte filiae Zionis, Ecce salus tua venit" (lxii. 11);

*apud Davidem*,

Jehovah "dabit <sup>[a]</sup>in Zione salutem Israelis, cum reducet captivitatem populi sui" (Ps. xiv. 7; Ps. liii. 7 [B. A. 6]):

haec de Domino, qui ibi vocatur salus a salvatione, et ex eo quod Ipse sit salus apud hominem; quantum enim Ipse est apud hominem, tantum est homini salus. Inde apud *Lucam*,

Simeon dixit, "Viderunt oculi mei salutare tuum, quod praeparasti ante faciem omnium populorum" (ii. 30[, 31]):

inde quoque est quod Dominus dictus sit "Jesus," nam *Iesus* significat salutem. Dicitur "Sedens super throno et Agnus," et per utrumque intelligitur Dominus; per "Sedentem super throno" Ipse quoad Divinum Bonum, et per "Agnum" Ipse quoad Divinum Verum, utrumque ex Divino Humano Ipsius (ut supra in locis citatis ostensum est); quare etiam alibi nominatur

solus Agnus super throno, ut *Apoc.* cap. v. 6, "Ecce in medio throni Agnus stans;" [et] cap. vii. 17, "Agnus qui in medio throni pascet eos:" et quoque vocatur solus Deus in hoc capite, vers. 11, 12, "Ceciderunt ante thronum . . . et adorarunt Deum, dicentes, . . . Robur Deo nostro;" hoc similiter intelligendum est ut quod Dominus dicat "Pater" et "Filius," sicut essent duo, cum tamen per "Patrem" intellexit Divinum in Se, et per "Filium" Humanum suum ex illo Divino, quod etiam manifeste docet, dicendo quod Pater sit in Ipso et Ipse in Patre, et quod Ipse et Pater unum sint; simile est cum "Sedente super throno et Agno." (Quod etiam per "Agnum" intelligatur Divinum Humanum Domini, et in sensu respectivo bonum innocentiae, videatur supra, n. 314.)

## VERSUS II, 12.

**461.** "Et omnes angeli stabant circum thronum, et seniores et quatuor animalia, et ceciderunt coram throno super facies suas, et adoraverunt Deum. Dicentes, Amen, benedictio et gloria et sapientia, et gratiarum actio, et honor, et potentia, et robur Deo nostro in saecula saeculorum; amen."

11. "Et omnes angeli stabant circum thronum, et seniores et quatuor animalia," significat coniunctionem Domini cum universo caelo [n. 462]; "et ceciderunt coram throno super facies suas, et adoraverunt Deum," significat gratiarum actionem ex humili corde, quod tot salvati sint [n. 463].

12. "Dicentes, Amen," significat Dominum quoad Divinum Verum ex Divino Bono [n. 464]; "benedictio, gloria et sapientia," significat haec a Divino Vero quod procedit a Domino [n. 465]; "et gratiarum actio et honor," significat haec a Divino Bono quod procedit a Domino [n. 466]; "et potentia et robur," significat omnipotentiam ex Divino Bono per Divinum Verum [n. 467]; "Deo nostro in saecula saeculorum," significat Dominum in aeternum [n. 468]; "amen," significat confirmationem a Divino [n. 469].

**462.** [Vers. 11.] "Et omnes angeli stabant circum thronum, et seniores et quatuor animalia."—Quod significet coniunctionem Domini cum universo caelo, constat ex significatione "stare circum thronum," quod sit coniunctio cum Domino; nam per "Sedentem super throno et Agnum" intelligitur solus Dominus (ut mox supra, n. 460, dictum est), et per "stare circum" significatur coniunctio; in mundo enim spirituali apparent illi praesentes cum quibus coniunctio est, et absentes cum quibus non coniunctio: et ex significatione "angelorum," "seniorum" et "quatuor animalium," quod sint qui in tribus caelis, ita qui in universo caelo; per "angelos" intelliguntur illi qui in primo seu ultimo caelo sunt, per "seniores" qui in

secundo seu medio caelo, et per "quatuor animalia" qui in tertio seu intimo caelo; quod per "viginti et quatuor seniores" et per "quatuor animalia" intelligantur in genere caeli superiores, et in specie per "seniores" illi qui in caelo secundo seu medio sunt, et per "quatuor animalia" qui in caelo tertio seu intimo, videatur supra (n. 313<sup>[a]</sup>, 322, 362); inde sequitur quod per "angelos" hic intelligantur caeli inferiores. Omnes quidem qui in caelis sunt, vocantur angeli; sed qui in superioribus caelis sunt, quia in intelligentia et sapientia sunt prae reliquis, hic vocantur "seniores," et intelliguntur per "quatuor animalia;" quare etiam proxime circum thronum steterunt, ut supra a Johanne visum est. Sciendum est quod Johanni visi sint angeli in copia, et simul viginti et quatuor seniores, ac cherubi seu quatuor animalia, et quod non omnes qui in caelis sunt, visi sint, hoc est, universum caelum; erat enim visio prophetica, quae talis est, ut illa quae videntur significant; hic pauci illi totum seu universum caelum, prout quod "viginti et quatuor seniores" caelum secundum seu medium, et "quatuor animalia" caelum tertium seu intimum.

**463. "Et ceciderunt coram throno super facies suas, et adoraverunt Deum."**—Quod significet gratiarum actionem ex humili corde, quod a Domino tot salvati sint, constat ex significatione "cadere super facies et adorare," quod hic sit ex humili corde gratias agere; per "cadere" enim "super facies" significatur humiliatio cordis, quoniam cadere super facies correspondet illi humiliationi; omnes enim actus corporis correspondent affectionibus quae mentis sunt, adeo ut unum faciant per correspondentias; sic "cadere super facies coram Deo" in cultu, unum per correspondentiam agit cum humiliatione cordis; inde est quod apud antiquos solenne fuerit, et adhuc apud plures gentes solenne sit, in cultu cadere super ipsas facies, at hodie in Christianismo solum se demittere super genua: quod per "adorare" significetur gratiarum actio quod tot salvati sint, constat ex antecedentibus et consequentibus, agitur enim de salvatione eorum qui in bono secundum religiones suas vixerunt, tametsi non in genuinis veris fuerint; gratiarum actio ab universo caelo propter id est quae mox sequitur. Dicitur, "Ceciderunt super facies et adoraverunt Deum;" et "cadere super facies" est testificatio humiliationis cordis ex bono

amoris, et "adorare Deum" est testificatio humiliationis cordis per vera ex illo bono.

**464.** [Vers. 12.] "*Dicentes, Amen.*"—Quod significet *Domini num quoad Divinum Verum ex Divino Bono*, constat ex significatione "amen," quod sit veritas; et quia Dominus est ipsa Veritas (ut Ipse docet, *Joh. xiv. 6*), ideo per "Amen" in supremo sensu significatur Dominus quoad *Divinum Verum*: hoc itaque per "amen" hic significatur, quia sermo est ab angelis trium caelorum ad Dominum. Quod "amen" hic primo loco dicatur, et quoque postremo, significat quod Dominus quoad *Divinum Verum ex Divino Bono* sit in primis et in ultimis, seu quod Ipse Dominus sit Primus et Ultimus; nam *Divinum Verum unitum Divino Bono* est Dominus in caelis, est enim id *Divinum procedens*, ex quo omnia caeli ac ipsum caelum (ut in opere *De Caelo et Inferno*, n. 13, 126–140, 275, ostensum videatur). (Quod esse in primis et ultimis significet in omnibus, etiam supra, n. 41, 417; et in *Arcanis Caelestibus*, n. 10044, 10329, 10335; et quod "Amen" significet Dominum quoad *Divinum Verum*, supra, n. 228.)

**465.** "*Benedictio, gloria et sapientia.*"—Quod significet *haec a Divino Vero quod procedit a Domino, in tribus caelis*, constat ex significatione "benedictionis," quod sit receptio Divini Veri et inde fructificatio, unde felicitas et vita aeterna; (quod haec per "benedictionem" in Verbo intelligentur, videatur supra, n. 340;) ex significatione "gloriae," quod sit receptio Divini Veri in interioribus (de qua supra, n. 34, 288, 345); et ex significatione "sapientiae," quod sit receptio Divini Veri in intimis, nam inde sapientia: quod haec tria, "benedictio," "gloria" et "sapientia" dicantur, est quia haec ab angelis trium caelorum dicta sunt (videatur supra, n. 462); ac receptio Divini Veri in ultimo seu primo caelo vocatur benedictio, receptio Divini Veri in medio seu secundo caelo vocatur gloria, ac receptio Divini Veri in intimo seu tertio caelo vocatur sapientia. Quod autem dicatur, ut "benedictio, gloria et sapientia sit Deo in saecula saeculorum," significat ut sint in caelis ab Ipso, quoniam tunc benedictio, gloria et sapientia dicuntur esse Deo quando illa sunt apud illos qui in caelis sunt; illi enim sunt apud quos Divina benedictio, Divina gloria et Divina sapientia sunt; quod etiam Dominus docet apud *Johannem*,

"In hoc glorificatus est Pater meus, ut fructum multum feratis, et redamini discipuli mei" (xv. 8);

et alibi,

Pater, "Omnia tua mea sunt, et omnia mea tua, sed glorificatus sum in illis" (xvii. 10):

hoc simile est cum eo quod supra dictum est, "Ut salus sit Deo" (videatur supra, n. 460): quare apud antiquos solenne fuit dicere "Benedictus Deus," ac "Benedictio sit Deo," tum "Gloria et sapientia sit Deo;" per quod non intelligebant quod Ipsi sit benedictio, gloria et sapientia, quoniam Ipse est a quo omnis benedictio, gloria et sapientia; sed intelligebant ut illa sint ab Ipso apud omnes: ita loquebantur, ut illa soli Deo accepta ferrent, et nihil sibi, ac ut sic loquerentur a Divino et non a semet.

**466. "Et gratiarum actio et honor."**—Quod significet *hoc a Divino Bono quod procedit a Domino, in tribus caelis*, constat ex eo, quod sicut "benedictio, gloria et sapientia" dicuntur de receptione Divini Veri, ita "gratiarum actio et honor" dicantur de receptione Divini Boni; sunt enim duo quae procedunt a Domino, ex quibus omnia in caelis et in terris, nempe Divinum Verum ac Divinum Bonum; Divinum Verum est ex quo omnis intelligentia et sapientia est apud angelos et homines, ac Divinum Bonum est ex quo omnis charitas et amor apud illos: illa duo unita procedunt a Domino, ita ut in ipsa origine sint unum; at apud angelos et homines, qui recipiunt, sunt duo, *ex causa* quia sunt duo receptacula vitae apud illos, quae vocantur intellectus et voluntas. Intellectus est receptaculum Divini Veri, ac voluntas receptaculum Divini Boni; seu quod idem, intellectus receptaculum sapientiae a Domino, et voluntas receptaculum amoris a Domino; at quantum illa duo, Divinum Verum ac Divinum Bonum, et inde intellectus et voluntas, unum sunt apud angelos et homines, tantum in coniunctione cum Domino sunt; et quantum non unum sunt, tantum illi non in coniunctione sunt. Quoniam Verbum datum est hominibus ut per id sit coniunctio Domini cum angelis et cum hominibus, ideo in illo ubivis coniunctum est verum bono et bonum vero; sunt enim, imprimis in propheticis, binae expressiones, quarum una se refert ad Divinum Verum, et altera ad Divinum Bonum: sed haec coniunctio in Verbo non apparet aliis quam angelis in caelo, ac illis in terra quibus datum est ibi videre sensum spiritualem; sunt enim voces quae dicuntur de vero et quae dicuntur de bono;

quapropter ubi binae expressiones paene similis rei sunt, ibi una significat talia quae veri sunt et altera quae boni. Est unio in Verbo <sup>[1]</sup>quia Verbum est Divinum; et a Divino procedit Divinum Verum unitum Divino Bono. (De hac unione seu de hoc conjugio boni et veri in Verbo, quod hactenus in terris ignotum fuit, videatur supra, n. 238, 288; et in *Arcanis Caelestibus*, n. 683, 793, 801, 2516, 2712, 3004, 3005, 3009, 4158, 5138, 5194, 5502, 6343, 7022, 7945, 8339, 9263, 9314.) Haec allata sunt, ut sciatur quod “*benedictio*,” “*gloria*” et “*sapiencia*” praedicentur de veris ex Divino (ut supra, n. 465, ostensum est), et quod “*gratiarum actio*” et “*honor*” praedicentur de bonis ex Divino. Quod “*gloria*” in Verbo dicitur de vero, et “*honor*” de bono, videatur supra (n. 288, 345), ubi id ex variis locis in Verbo ostensum est: quod “*gratiarum actio*” hic quoque dicitur de bono, est quia supra dicitur “*benedictio*,” et *benedictio* fit ore per vera, et “*gratiarum actio*” fit corde ex bono.

**467. “Et potentia et robur.”**—Quod significet *omnipotentiam ex Divino Bono per Divinum Verum*, constat ex significatione “potentiae et roboris,” cum de Domino, quod sit omnipotentia; sed “potentia” dicitur de Divino Vero, ac “robur” de Divino Bono; inde per utrumque, “potentiam et robur,” significatur omnipotentia per Divinum Verum ex Divino Bono. (Quod “potestas,” cum de Domino, sit omnipotentia, videatur supra, n. 338; et quod omnis potentia sit veris ex bono seu bono per vera, et quod omnipotentia Domino sit ex Divino Bono per Divinum Verum, videatur etiam supra, n. 209, <sup>[2]</sup>333; et in opere *De Caelo et Inferno*, n. 228-233.) Propter conjugium veri et boni in singulis Verbi, dicitur et “potentia” et “robur;” alioqui suffecisset dicere unum: ita quoque in pluribus aliis locis.

**468. “Deo nostro in saecula saeculorum,”** significat *Dominum in aeternum*, nam per “*Deum nostrum*” intelligitur Sedens super throno et Agnus, et per utrumque intelligitur solus Dominus; per “*Sedentem super throno*” Ipse quoad Divinum Bonum, et per “*Agnus*” Ipse quoad Divinum Verum (ut supra, n. 460, dictum et ostensum est): et per “*saecula saeculorum*,” cum de Domino, significatur aeternum: quod non dicitur *in aeternum*, sed “*in saecula saeculorum*,” est quia naturale est dicere “*saecula saeculorum*,” ast spirituale est dicere *aeternum*; ac sensus litterae Verbi naturalis est, et sensus internus est spiritualis, et hic continetur in illo; ut quoque alibi in Verbo:—Ut apud *Danieliem*,

Filio hominis “*datum est dominium, et gloria et regnum; . . . dominium Ipsius dominium saeculi quod non transibit*” (vii. 14);

apud *Esaiam*,

“Confidite [in Jehovam....quia] in Jah Jehovah petra saeculorum”  
(xxvi. 4);

apud eundem,

“Israel salvatus est per Jehovah salutem saeculorum,...nec pudore  
aſſicientur in saecula sempiterna” (xlv. 17);

apud eundem,

“Salus mea in saeculum erit, et justitia mea non infringetur:....justitia  
mea in saeculum erit, et salus mea in generationem et generatio-  
nem” (li. 6, 8);

apud *Davidem*,

“Antequam montes nati sunt, et formata est terra et orbis, a saeculo  
usque in saeculum Tu Deus” (Ps. xc. 2);

apud eundem,

“Misericordia Jehovahe a saeculo in saeculum super timentes Ipsum”  
(Ps. ciii. 17);

in *Apocalypsi*,

“Ipsi sit robur in saecula saeculorum:....ecce vivo Ego in saecula sae-  
culturum” (i. 6, 18);

alibi,

“Sedenti super throno et Agno benedictio, honor et gloria et robur in  
saecula saeculorum:....et adoraverunt Viventem in saecula sae-  
culturum” (v. 13, 14);

alibi,

“Juravit per Viventem in saecula saeculorum, qui creavit caelum” (x. 6);

et alibi,

“Facta sunt regna mundi Domini nostri et Christi Ejus, et regnabit in  
saecula saeculorum” (xi. 15):

praeter multis aliis in locis. Praeterea etiam “saeculum” in Verbo significat tempus ab antiquo; ut et tempus usque ad finem; et quoque simile quod “mundus;” sed de his sae-  
culi significationibus alibi.

**469. “Amen.”**—Quod significet confirmationem a Di-  
vino, constat ex significatione “amen,” quod sit veritas,  
et inde quod sit Divinum Verum a Domino (ut supra, n. 464);  
hic autem confirmatio a Divino, quia finis est adorationis  
angelorum: confirmatio a Divino est, quod hoc Divinum  
Verum sit, et sic quod ita sit. Quando aliquis loquitur  
Divinum Verum ex corde, tunc Dominus confirmat id;  
aliunde non potest venire confirmatio: hoc significatur per  
“amen” in fine Orationis. (Quod “amen” sit confirmatio a Divino,  
videatur supra, n. 34.)

## VERSUS 13-17.

**470.** "Et respondit unus ex senioribus, dicens mihi, *Hi induti stolis albis, quinam sunt et unde venerunt?* Et dixi illi, Domine, tu nosti: et dixit mihi, *Hi sunt qui veniunt ex tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbauerunt stolas suas in sanguine Agni.* Propter hoc sunt coram throno Dei, et serviant Ipsi die et nocte in templo Ipsi, et Sedens super throno habitabit super illis. Non esurient amplius, neque sient amplius, neque cadet super illos sol, neque ullus aestus. Quoniam Agnus, qui in medio throni, pascat eos, et deducet eos ad vivos fontes aquarum, et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis illorum."

13. "*Et respondit unus ex senioribus, dicens mihi,*" significat influxum e caelo a Domino, et inde perceptionem [n. 471]; "*Hi induti stolis albis, quinam sunt et unde venerunt?*" significat de illis qui nunc in veris sunt et in tutela Domini, quales sunt et quales fuerunt [n. 472].
14. "*Et dixi illi, Domine, tu nosti,*" significat quod solus Dominus id noverit [n. 473]; "*et dixit mihi, Hi sunt qui veniunt ex tribulatione magna,*" significat informationem, quod sint qui fuerunt in tentationibus [n. 474]; "*et laverunt stolas suas,*" significat remotionem falsorum per illas [n. 475]; "*et dealbauerunt stolas suas in sanguine Agni,*" significat implantationem Divini Veri a Domino [n. 476].
15. "*Propter hoc sunt coram throno Dei,*" significat quod inde sit quod conjuncti Domino [n. 477]; "*et serviant Ipsi die et nocte in templo Ipsi,*" significat quod jugiter teneantur in veris in caelo [n. 478]; "*et Sedens super throno habitabit super illis,*" significat influxum Divini Boni in vera apud illos [n. 479].
16. "*Non esurient amplius, neque sient amplius,*" significat quod illis non deficiet bonum et verum, et inde felicitas [n. 480]; "*neque cadet super illos sol neque ullus aestus,*" significat quod illis non erit malum et falsum ex concupiscentiis [n. 481].
17. "*Quoniam Agnus qui in medio throni pascat eos,*" significat quod Dominus e caelo instruet illos [n. 482]; "*et deducet eos ad vivos fontes aquarum,*" significat in Divinis veris [n. 483]; "*et absterget Deus omnem lachrymam ex oculis illorum,*" significat statum beatitudinis a veri affectione postquam falsa per tentationes remota sunt [n. 484].

**471.** [Vers. 13.] "*Et respondit unus ex senioribus, dicens mihi.*"—Quod significet influxum e caelo a Domino, et inde perceptionem, constat ex significatione "respondere" et "dicere," cum ex senioribus, per quos significatur caelum ubi Dominus, quod sit influxus et perceptio, "respondere" influxus, et "dicere" perceptio; et ex significatione "seniorum," quod sint qui in secundo seu medio caelo, ubi sunt qui in intelligentia, et per quos fiunt responsa (de qua supra, n. 462): et quia omnis influxus est a solo Domino, tametsi per angelos, per illa verba significatur influxus et perceptio e caelo a Domino. Quod is sensus illis verbis insit, appareat alienum; at usque non aliter percipiuntur illa verba in caelo: quod appareat alienum, est quia dicitur hoc sicut historicum, et historica occultant magis sensum spiritualem quam mere prophetica; verum omnia historica Verbi etiam sensum

spiritualem continent; inde magis adhuc historica prophética, quae sunt quae apparuerunt et quae dicta sunt prophetis cum fuerunt in visione spiritus, nam ea omnia repraesentativa et significativa sunt; ut quod visi fuerint Johanni "viginti et quatuor seniores," et "quatuor animalia," hoc historicum propheticum est, ac repraesentabat et significabat angelos superiorum caelorum, ut supra ostensum est; inde sequitur quod similiter significativum fuerit quod "unus ex senioribus locutus sit ad illum;" significat enim influxum et perceptionem e caelo a Domino. Quod "respondit" hic non significet respondere in vulgari sensu, patere potest ex eo quod dicatur absque interrogatione, et respondere est ad interrogationem; hic itaque ad cogitationem de illis qui visi sunt in stolis albis. Praeterea in Verbo saepius dicitur "responde," et id, cum de Domino, significat influxum, inspirationem, perceptionem, et informationem, tum etiam misericordiam et opem, ut in sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

"In tempore beneplaciti responde tibi, et in die salutis adjuvi te" (xlii. 8);

apud *Davidem*,

"Jehovah, salva me, Rex respondeat nobis in die quo invocamus" (Ps. xx. 10 [B. A. 9]);

apud eundem,

"Quum clamavero responde Mihi, Deus justitiae meae" (Ps. iv. 2 [B. A. 1]);

apud eundem,

"Respic, responde mihi, Jehovah Deus mi" (Ps. xiii. 4 [B. A. 3]);

apud eundem,

"Ego invoco Te, quia respondest mihi, Deus" (Ps. xvii. 6);

apud eundem,

"Quaesivi Jehovahm, et respondit mihi" (Ps. xxxiv. 5 [B. A. 4]);

apud eundem,

"[¶]Invocat Me, et respondebo illi" (Ps. xci. 15):

apud eundem,

"Ad Jehovahm, cum angustia mihi, clamavi, qui respondit mihi" (Ps. cxx. 1):

et alibi. In his et aliis locis per "responde" non intelligitur respondere, sed influere in cogitationem, dare percipi-

pere, et quoque ferre opem ex misericordia: inde est quod responsa, quae dicuntur de Domino, significant perceptiones ex influxu. Sciendum est quod quicquid in perceptionem a Domino venit, dicatur influxus.

**472. "Hi induiti stolis albis quinam sunt, et unde venerunt?"**—

Quod significet *de illis qui nunc in veris sunt et in tutela Domini, quales sunt et quales fuerunt*, constat ex significacione "indutorum stolis albis," quod sint qui nunc in veris sunt et in tutela Domini (de qua supra, n. 395<sup>[a]</sup>. 457); et ex significacione "Quinam sunt et unde venerunt?" quod sit quales sunt et quales fuerunt: quod "Quinam sunt et unde venerunt?" significet quales sunt et quales fuerunt, est quia in mundo spirituali ab angelis, dum alios vident et conveniunt, nusquam inquiritur quinam sunt et unde veniunt, sed quales sunt; quare hoc spirituale est quod per illa verba significatur. Quod ab angelis non aliud quam quale eorum, quos vident, inquiratur, est quia habitationes omnium ibi sunt secundum quale affectionum quae apud illos; tum quia inquirere "quinam sunt" involvit personam, et "unde veniunt" involvit locum, et in cogitatione et inde in loquela spirituali, quae est angelis, non est idea personae et loci, sed pro illis idea rei et status quoad quale; quare etiam cuivis datur nomen ibi ex quali ejus. (Quod angeli cogitent abstracte a persona et a loco, et quod inde illis sapientia, videatur supra, n. 99, 100, 270, 325<sup>[a]</sup>.) Ex his constare potest quod per "Quinam sunt et unde <sup>[1]</sup>venerunt?" in sensu spirituali significetur quales sunt et quales fuerunt: quale etiam eorum est quod in nunc sequentibus describitur.

**473. [Vers. 14.] "Et dixi illi, Domine, tu nosti."**—Quod significet *quod solus Dominus id noverit*, constare potest ex illis quae supra (n. 471) dicta sunt, quod nempe per "unum ex senioribus," qui "respondit," et ad quem nunc dicitur, "Domine, tu nosti," intelligatur e caelo a Domino; nam quicquid angeli locuti sunt ad homines in Verbo, non illi locuti sunt, sed Dominus per illos; quare etiam angeli qui locuti sunt passim ibi vocantur "Jehovah;" et inde est quod Verbum, etiam id angeli locuti sunt, sit Divinum; nullus enim, nec angelus, ex se potest loqui tale Divinum quod in Verbo est, et ne quidem aliquod verum quod in se est Divinum, sed solus Dominus per illos; ex his constare potest quod per "Domine, tu nosti," significetur quod solus Dominus id noverit.

**474.** “*Et dixit mihi, Hi sunt qui veniunt ex tribulatione magna.*”—Quod significet informationem, quod sint qui fuerunt in temptationibus, constat ex significatione “dixit mihi,” quod sit informatio; et ex significatione “tribulationis” seu afflictionis “magnae,” quod sint tentationes, de qua sequitur. Primum hic aliquid dicetur de temptationibus quas in mundo spirituali subeunt illi qui in falsis ex ignorantia sunt, de quibus hic agitur. Tentationes subeunt ibi illi solum qui in mundo bene vixerunt secundum religionem suam, in qua fuerunt falsa doctrinae quae crediderunt; per temptationes enim discutiuntur falsa, et implantantur vera, et sic praeparantur ad caelum; omnes enim qui in caelum venturi sunt, in veris erunt; quare quamdiu in falsis sunt, in caelum venire non possunt. Causa est, quia Divinum Verum procedens a Domino facit caelum, ac facit vitam angelorum qui ibi; quare falsa, quia opposita sunt veris, et opposita destruunt, prius removenda sunt, et non removeri possunt quam per temptationes. (Quod temptationes illum usum praestent, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 187–201, ubi De Tentationibus actum est.) Quod in temptationes mittantur in mundo spirituali post vitam in corpore, est quia tentari non potuerunt in mundo propter falsa religionis, in qua fuerunt, regnantia ubivis. Sciendum est quod omnes illi salventur qui in temptationes mittuntur: mali autem, qui in falsis ex malo sunt, non tentantur, illis enim non implantari possunt vera; mala vitae eorum obstant; sed vera illis auferuntur, unde in meritis falsis remanent, et tunc alte secundum quale mali ex quo falsum, demerguntur in infernum: verbo, illi qui in caelum venturi sunt, vastantur quoad falsa; et qui in infernum, vastantur quoad vera; hoc est, illis qui in caelum venturi sunt, auferuntur falsa; et illis qui in infernum venturi sunt, auferuntur vera; nam cum falsis non potest aliquis intrare caelum, nec cum veris infernum, quoniam vera ex bono faciunt caelum, ac falsa ex malo infernum. De temptationibus, quas subeunt illi apud quos falsa discutienda sunt, multis in locis in Verbo agitur, et imprimis apud *Davidem*, et vocantur “afflictiones,” “tribulationes” et “vastationes;” sed illa loca huc afferre non opus est, quia absque illis sciri potest quod per “tribulationes” et “afflictiones,” cum illae dicuntur de bonis, in spirituali sensu intelligantur temptationes.

**475[a].** “*Et laverunt stolas suas.*”—Quod significet re-

*motionem falsorum per illas*, constat ex significatione “lavare,” quod sit purificare a falsis et malis, proinde removere illa; nam mala et falsa apud hominem, spiritum et angelum non auferuntur, sed removentur, et cum remota sunt apparent sicut ablata (de qua re videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 166, 170): inde per “lavare” significatur removere falsa et sic purificare: et ex significatione “stolarum,” quod sint vera tutantia in communi (de qua supra, n. 395); hic autem per “stolas,” antequam lavata et dealbata sunt, significantur falsa a quibus [nondum] purificata sunt; nam qui in falsis ex ignorantia sunt, in mundo spirituali apparent primum in vestibus obscuris diversicoloribus, et dum in temptationibus sunt in vestibus squallidis; at cum e temptationibus veniunt, apparent in stolis albis nitentibus secundum purificationem a falsis. Quisque in altera vita vestibus apparet secundum vera et secundum falsa quae apud <sup>[1]</sup>illum; inde est quod “vestes” significant vera, et in opposito sensu falsa (videatur supra, n. 195, 271): ex his constare potest quid significatur per quod “laverint stolas suas, et dealbaverint illas.” Antiquis temporibus, quando omnia ecclesiae externa erant repraesentativa et significativa spiritualium et caelestium, in usu fuerunt lavationes, et per illas repraesentabantur purificationes a falsis et a malis; causa quod “lavationes” significaverint illas, erat quia “aqua” significabat vera, ac “sordes” falsa et mala, et omnis purificatio a falsis et malis fit per vera; (quod “aqua” significant vera, videatur supra, n. 71;) inde est quod lavationes apud filios Israelis ex mandato institutae fuerint; erat enim apud illos ecclesia repraesentativa, cuius omnia significabant spiritualia, ac “lavationes” purificationes a falsis et malis, et inde regenerationem. Ob illum finem

Labrum aeneum positum erat ad ostium Tentorii conventus (*Exod. xxx. 18-20*);

Et quoque lavacula aenea posita erant extra Templum, unum magnum, quod vocabatur “mare aeneum,” et decem minora (*1 Reg. vii. 23-39*).

Quia “lavationes” talia significabant, ideo cum Aharon et filii ejus inaugurararentur in sacerdotium

Jussus est Moses illos lavare aquis ad ostium Tentorii, et sic sanctificare (*Exod. xxix. 4; cap. xl. 12; Levit. viii. 6*);

sacerdotes enim repraesentabant Dominum quoad Divinum Bonum, sicut reges Ipsum quoad Divinum Verum; proinde

sacerdotes etiam repreäsentabant sanctitatem Divinam, quae pura est absque naevis : haec repreäsentatio inducebatur Aharoni et ejus filiis per lavationem [a] Mose ; quare dicitur quod "sic sanctificarentur," tametsi nulla illis sanctitas accessit per lavationem. Ideo etiam mandatum est ut

Aharon et filii ejus lavarent manus et pedes, antequam intrarent in Tentorium conventus, et antequam accederent ad altare ad ministrandum ; et dicitur "ne morerentur," et quod id esset illis "statutum saeculi" (*Exod. xxx. 18-21*; *cap. xl. 30, 31*) ;

Et quod Aharon lavaret carnem suam, antequam indueret vestes ministerii (*Levit. xvi. 4, 24*) :

per "lavare manus et pedes" significabatur purificare naturalem hominem, et per "lavare carnem" significabatur purificare spiritualem hominem. Ideo etiam mandatum erat

Quod Levitae sanctificarentur per quod aspergerentur aqua expiationis, et per quod transire facerent novaculaum super carnem suam, et lavarent vestes suas (*Num. viii. 6, 7*) :

hoc factum est Levitis, quia ministrabant externa ecclesiae sub Aharone et filiis ejus, et purificatio externorum ecclesiae repreäsentabatur per aspersio[n]em aquae expiationis, per abrasio[n]em pilorum carnis, et per lavationem vestium. Praeterea, omnes qui immundi facti sunt per tactum immunitorum, etiam lavabant se et vestes ; et dicitur quod sic mundi facti fuerint :—Ut

Qui comedenterunt cadaver bestiae mundae, aut disceptum (*Levit. xvii. 15, 16*) ;

Qui tetigerit cubile fluxu affecti, et qui sederit super vase super quo ille sederat, aut qui tetigerit carnem ejus (*Levit. xv. 5-12*) ;

Quodque leprosus, postquam mundatus est, lavaret vestes, raderet omnem pilum suum, et lavaret se aquis (*Levit. xiv. 8, 9*) ;

Immo quod ipsa vasa, quae immunda facta sunt per contactum immunitorum, transigerentur per aquas (*Levit. xi. 32*).  
(Praeter plura.)

Qui credit quod qui laverunt carnem suam aut manus et pedes aut vestes mundati et sanctificati fuerint, hoc est, purificati, quod est ex peccatis, multum fallitur : peccata enim non abluuntur et absterguntur sicut sordes aquis, nec per aquas ; sed abluuntur, hoc est, removentur, per vera et per vitam secundum illa : hoc erat quod solum repreäsentabatur per lavationes ; nam "aqua[e]" significant vera, et vera, dum vivitur secundum illa, purificant hominem. Quod externa illa nihil ad purificationem a malis et falsis conferant,

docet Dominus clare apud *Matthacum*,

“Vae vobis, Scribae et Pharisei, hypocritae, quia purgatis exterius poculi et patinae, interiora vero plena sunt rapina et intemperantia : Pharisee caece, purga prius interius poculi et patinae, ut fiat etiam exterius mundum” (xxiii. [1]25, 26).

Similia docet Dominus, cum Judaei et Pharisei increpabant discipulos Domini quod non lavarent manus antequam comedenter ; docet enim

Quod id non immundum redderet hominem, sed omne malum quod exit ex corde (*Matth.* xv. 1, 2, 19, 20 ; *Marc.* vii. 1-23 ; *Luc.* xi. 38, 39) :

inde constare potest quod Judaei nusquam sanctificati et mundati fuerint a sordibus spiritualibus, quae sunt mala exeuntia ex corde, per lavationes, quoniam haec mala interius resident ; nec in mundo quicquam commune habent cum sordibus quae adhaerent corpori. Dicitur quod “purgandum sit interius poculi et patinae, ut fiat etiam exterius mundum ;” non enim mundari potest exterius apud hominem antequam prius mundatum est interius, per interius enim mundatur exterius : per “poculum et patinam” significantur interiora et exteriora hominis, quae recipiunt verum et bonum ; est enim poculum continens vini et patina continens cibi, ac per “vinum” significatur verum, et per “cibum” simile quod per “panem,” nempe bonum : inde patet quid in sensu spirituali significatur per “Purga prius interius poculi et patinae, ut fiat etiam exterius mundum.” Simile quod Dominus ibi dicit, intelligitur quoque per lavationem pedum discipulorum, de qua ita dicit Petro, apud *Johannem*,

“Qui lotus est, non opus habet nisi ut quoad pedes lavetur, et mundus est totus” (xiii. 10) :

“qui lotus est” significat qui interius mundus est ; “non opus habet nisi quoad pedes lavetur” significat quod tunc exterius mundandus sit, “pedes” enim significant externum seu naturalem hominem (videatur supra, n. 69). (Sed de hoc arcano videantur plura in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 179, 181 ; et in *Arcanis Caelestibus*, ubi sequentia illustrata sunt : nempe, Quod uterque homo, tam internus seu spiritualis quam externus seu naturalis, purificandus sit, ut homo purificatus sit, et quod externus per internum, n. 3868, 3870, 3872, 3876, 3877, 3882. Quod internus homo prius purificetur quam externus, quoniam internus est in luce caeli, et externus in luce mundi, n. 3321, 3325, 3469, 3493, 4353, [2]8746, 9325. Quod externus seu naturalis homo a Domino purificetur per internum seu spiritualem, n. 3286, 3288, 3321. Quod homo non purificatus sit, priusquam externus seu naturalis homo etiam purificatus est, n. 8742-8747, 9043, 9046, 9061, [3]9325, 9334. Quod nisi naturalis homo purificatur, spiritualis homo clau-

datur, n. 6299; et quod sit quoad vera et bona fidei et amoris quasi caecus, n. 3493, 3969.) Internus homo purificatur per scire, intelligere et cogitare vera Verbi, et externus homo per velle et facere illa: ex his nunc patet quomodo intelligenda sunt Domini verba ad Petrum, "Qui lotus est, non opus habet nisi ut quoad pedes lavetur;" tum quomodo intelligenda sunt Domini verba ad Pharisaeos, "Purga prius interius poculi et patinae, ut fiat etiam exterius mundum." Quod internus homo purificetur per vera quae sunt fidei, et externus per vitam secundum illa, intelligitur etiam per haec Domini verba,

"Nisi quis generatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest ingredi in regnum Dei" (*Joh.* iii. 5):

"aqua" significat vera fidei, et "spiritus" vitam secundum illa.

[b.] Ex his nunc constare potest quid "lavare" significat in sequentibus locis:—Apud *Ezechielem*,

"Lavi te aquis, et ablui sanguines a super te, et unxi te oleo" (xvi. 9):

haec de Hierosolyma, per quam significatur ecclesia: purificatio ejus a falsis et a malis significatur per "Lavi te aquis, et ablui sanguines a super te;" "lavare aquis" significat purificare illam per vera, et "abluere sanguines" purificare a falsis et malis; imbuere illam bono amoris significatur per "Unxi te oleo" ("oleum" est bonum amoris). Apud *Esaiam*,

"Cum laverit Dominus excrementum filiarum Zionis, et sanguines Hierosolymae abluerit e medio ejus, in spiritu judicii et in spiritu expurgationis" (iv. 4):

"lavare excrementum filiarum Zionis" significat purificare a malis amoris sui affectiones illorum qui ab ecclesia caelesti; "excrementum" est malum amoris sui, "filiae" sunt affectiones, "Zion" est ecclesia quae est in amore in Dominum, quae inde vocatur ecclesia caelestis: "abluere sanguines Hierosolymae" significat purificare a falsis mali easdem; "sanguines" sunt falsa mali: "in spiritu judicii et in spiritu expurgationis" significat per intellectum veri et per affectionem veri; "spiritus" est Divinum Verum procedens a Domino, "spiritus judicii" est intellectus veri inde, et "spiritus expurgationis" est affectio veri spiritualis, nam haec expurgat. Apud *Hiobum*,

"Si lavero me in aquis nivis, et mundavero smegmate manus meas, usque in foveam immerges me, et abominabuntur me vestes meae" (*ix. 30, 31*):

per haec intelligitur quod si quis purificare se ipsum velit, tametsi per vera et bona quae sunt aut apparent genuina, quod usque se ducat in falsa; "lavare se" est purificare se, "aqua nivis" sunt vera quae sunt aut apparent genuina, "smegma" est bonum a quo, "fovea" est falsum: quod vera inde falsificata existant, intelligitur per "Abominabuntur me vestes meae;" "vestes" sunt vera, quae "abominari illum" dicuntur cum falsificantur; hoc fit dum homo ex propria intelligentia excludit et concludit. Apud *Mosen*,

"Qui lavit in vino vestimentum suum, et in sanguine uvarum velamen suum" (*Gen. xl ix. 11*):

haec de *Jehuda*, per quem ibi intelligitur Dominus quoad Divinum Verum: quod id prorsus purificaverit in Humano suo cum fuit in mundo, significatur per quod "laverit in vino vestimentum suum, et in sanguine uvarum velamen suum;" "vestimentum" et "velamen" significat Humanum suum, "vinum" et "sanguis uvarum" Divinum Verum. (Sed haec explicata videantur in *Arcanis Caelestibus*, n. 6377, 6378.) Quod per "lavare" significetur purificare a falsis et malis, constat manifeste apud *Esaiam*,

"Lavate vos et purificate vos, removete malum operum vestrorum a coram oculis meis, cessate malum facere" (*i. 16*):

quia "lavare" significat removere falsa et mala, ideo dicitur etiam "Removete malum operum vestrorum, cessate malum facere." Apud *Jeremiam*,

"Ablue a malitia cor tuum, Hierosolyma, ut salveris; quamdiu commorabuntur in medio tui cogitationes iniuriae tuae?" (*iv. 14*);

similiter. Apud *Davidem*,

"Lava me ab iniuriae mea, et a peccato meo munda me; . . . expiabis me hyssopo et mundabor; lavabis me, et praenive albus ero" (*Ps. li. 4, 9 [B. A. 2, 7]*):

hic manifeste "lavare" pro purificare a falsis et malis; nam dicitur "Lava me ab iniuriae et a peccato munda me," et dein, "Lavabis me et praenive albus ero;" "lavare ab iniuriae" est a falsis, et "a peccato" est a malis, nam "iniurias" dicitur de falsis et "peccatum" de malis; quia

aqua expiationis etiam parabatur ex hyssopo, ideo dicitur, "Expiabis me hyssopo et mundabor." Apud *Jeremiām*,

"Si laveris te nitro, et <sup>[i]</sup>multiplicaveris tibi smegma, maculas retinebit iniquitas tua coram Me" (ii. 22):

hic manifeste etiam patet quod lavationes modo repraesentaverint et inde significaverint lavationes spirituales, quae sunt purificationes a falsis et malis; nam dicitur "Tametsi te laveris nitro, et multiplicaveris smegma, usque iniquitas tua retinebit maculas." Similiter apud *Davidem*,

"Frusta mundavi cor meum, et lavi in innocentia manus meas; . . . fui plaga affectus omni die, et correptio mea ad auroras" (Ps. lxxiii. 13, 14):

"lavare in innocentia manus" est testari se innocentem et purum esse a malis et falsis, nam lavatio manuum etiam fuit testificatio innocentiae; ut quoque constare potest ex eo, quod

Pilatus laverit manus suas, et dixerit, "Innocens sum a sanguine justi hujus" (*Matth. xxvii. 24*).

Quoniam "lavationes" significabant purificationes a falsis et malis, et quia "caecus" significabat illos qui non vident vera, ac inde in falsis sunt,

Ideo Dominus dixit ad caecum, super cujus oculos inunxit lutum ex sputo factum, ut lavaret se in lacu Siloah; qui, postquam lavit se, venit videns (*Joh. ix. 6, 7, 11, 15*):

per "caecum" hic repraesentabantur illi qui nihil veri possunt videre, quia sensuales, qui modo vident illa quae coram sensibus extēnis apparent, inde fallacias loco veritatum, ad quas confirmandas etiam applicant sensum litterae Verbi; per "lutum ex sputo" significatur sensuale verum, quale est pro talibus in Verbo; per "aquas lacus seu piscinae Siloah" significantur vera Verbi, nam omnia usque ad aquas in Hierosolyma significabant; et per "lavare" significatur purificare a fallaciis, quae in se sunt falsa. Inde constare potest quid illa in serie significant; omnia enim miracula et facta Domini, cum fuit in mundo, significabant Divina cælestia et spiritualia, hoc est, talia quac caeli et ecclesiae sunt, et hoc ex causa quia Divina fuerunt, et Divinum semper operatur in ultimis ex primis, et sic in pleno; ultima sunt talia quae in mundo coram oculis ap-

parent. Inde est quod Dominus locutus sit, et quod Verbum conscriptum sit, per talia in Natura quae correspondent. Simile est cum miraculo factō Naamani leproso ex jussu Elisaei, de quo ita in *Libro Secundo Regum*,

Naaman ex Syria lepra affectus, jussus per nuntium ab Elisaeo, ut lavaret se septem vicibus in Jordane, et revertetur caro, et mundatur; . . . et Naaman tandem "descendit et intinxit se in Jordane septem vicibus, . . . et tunc restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvi, et mundatus est" (v. 10, 14):

per Naamanem leprosum e Syria repreäsentabantur et significabantur illi qui falsificant cognitiones veri et boni ex Verbo; "lepra" enim significat falsificationes, et "Syria" cognitiones veri et boni: per "aquaſ Jordanis" significabantur vera introducentia in ecclesiam, quae sunt cognitiones veri et boni ex Verbo; nam Jordanes fluvius erat primus terminus, per quem intrabatur in terram Canaanem, et per "terram Canaanem" significabatur ecclesia; inde erat quod "aquaे Jordanis" significaverint vera introducentia, quae sunt cognitiones veri et boni ex Verbo primae. Propter hanc significationem "aquarum Jordanis" Naaman jussus est se lavare septem vicibus in illis, per quod significabatur purificatio a falsificatis veris; "septem vices" significant plenarium, et praedicantur de sanctis, qualia sunt vera Divina: quia "septem vices" id significant, ideo dicitur quod "caro ei restituta fuerit sicut caro pueri parvi;" per "carnem restitutam" significatur vita spiritualis, qualis est illis qui per Divina vera regenerantur. Quoniam per "aquaes Jordanis" significabantur vera introducentia in ecclesiam, quae sunt cognitiones veri et boni ex Verbo, et per "lavage" ibi significabatur purificatio a falsis, et inde reformatio et regeneratio a Domino, ideo instituta est baptizatio, quae primum facta est in Jordane a Johanne (*Matth.* iii. 11-16; *Marc.* i. 4-13); per quod significabatur quod initiantur in cognitiones ex Verbo de Domino, Ipsius adventu, et de salvatione ab Ipso: et quia homo per vera ex Verbo a Domino reformatur et regeneratur, ideo baptizatio a Domino mandata est (*Matth.* xxviii. 19); nam vera ex Verbo sunt per quae homo reformatur et regeneratur, ac Dominus est qui reformat et regenerat (de qua re videantur plura in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n.<sup>[1]</sup>202-209). Dixit Johannes,

Quod ille baptizet aqua, at quod Dominus baptizet spiritu sancto et igne  
(*Luc.* iii. 16; *Joh.* i. 33);

per quod intelligitur quod Johannes modo inaugurarerit illos in cognitiones e Verbo de Domino, et sic praeparaverit illos ad recipiendum Ipsum, at quod Ipse Dominus hominem regeneret per Divinum Verum et Divinum Bonum procedens ab Ipso; Johannes enim reprezentabat simile quod Elias, nempe Verbum; "aqua" quibus Johannes baptizabat, significabant vera introducentia, quae sunt cognitiones de Domino ex Verbo; "spiritus sanctus" significat Divinum Verum procedens a Domino, et "ignis" significat Divinum Bonum procedens ab Ipso, et "baptizatio" significat regenerationem per Divina vera ex Verbo a Domino. Quod lavationes in Ecclesiis Antiquis institutae fuerint, et postea loco illarum baptizationes, quae tamen modo ritus reprezentativi et significativi sunt, erat causa, ut caelum conjungeretur cum humano genere, et in specie cum homine ecclesiae; tunc enim caelum conjungitur homini quando homo in ultimis est, hoc est, in talibus quae in mundo quoad naturalem suum hominem, ac in talibus quae in caelo sunt quoad spiritualem suum hominem; aliter non dari potest conjunctio: ob illam causam est quod baptizatio instituta sit, et quoque Sancta Cena; tum quod Verbum conscriptum sit per talia quae in mundo sunt, et quod ei sensus spiritualis insit in quo sunt talia quae in caelo sunt; seu quod sensus litterae Verbi sit naturalis, et in eo sit sensus spiritualis. (Quod Verbum per id conjugat angelos caeli cum hominibus ecclesiae, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 303-310, et in opusculo *De Equo Albo* a principio ad finem; tum quod Sancta Cena conjungat, n. 210-222; ita quoque Baptismus.) At qui credit quod Baptismus aliquid ad salvationem hominis conferat, nisi is simul sit in veris ecclesiac et in vita secundum illa, multum fallitur; nam baptizatio est externum, quod absque interno nihil facit ad salvationem, sed facit ubi externum conjunctum est interno. Internum Baptismi est, ut per vera ex Verbo ac per vitam secundum illa a Domino removeantur falsa et mala, et sic homo regeneretur (sicut etiam Dominus docet apud *Matthaeum*, cap. xxiii. 26, 27, per illa quae supra in hoc articulo explicata sunt).

**476.** "Et dealbaverunt stolas suas in sanguine Agni."— Quod significet implantationem Divini Veri a Domino, constat ex significatione "dealbare stolas," quod sit exuere

falsa et induere vera, "album" enim et "albari" praedicatur de veris, ac "stolae" significant illa: (quod "album" et "albari" dicatur de veris, videatur supra, n. 196; et quod "stolae" significant vera in cœmuni, etiam supra, n. 395[a]:) ("dealbare stolas" dicitur, quia vestes illorum qui in falsis sunt, in mundo spirituali apparent obscurae et quoque maculosae, et vestes illorum qui in temptationibus sunt apparent squallidae; at vero ut primum ex temptationibus emergunt, quia tunc imbuti sunt Divinis veris, apparent super illis vestes albae et candidae absque maculis, ut quoque mox supra memoratum est; inde est quod per "Dealbaverunt stolas suas" significatur quod exuerint falsa et induerint vera:) et ex significacione "sanguinis Agni," quod sit Divinum Verum procedens a Domino (de qua supra, n. 329[a-f]): et quia in temptationibus discutiuntur falsa et implantantur vera, ideo in genere per "Dealbarunt stolas suas in sanguine Agni" significatur implantatio Divini Veri a Domino. In sensu litterae Verbi, per "sanguinem Agni" intelligitur passio crucis; sed in sensu interno seu spirituali intelligitur Divinum Verum procedens a Domino, nam per hoc purificatur homo a falsis et malis, hoc est, "dealbantur vestes." Passio crucis fuit ultima tentatio Domini, per quam plene subjugavit inferna et glorificavit Humanum suum; quibus peractis et completis Dominus misit Paracletum Spiritum Veritatis, per quem intelligitur Divinum Verum procedens ex Humano Ipsius glorificato (ut Ipse docet apud *Johannem*, cap. vii. 39, et alibi); per hoc, nempe Divinum Verum, dum recipitur, reformatur et regeneratur homo a Domino et salvatur, non autem per emissionem sanguinis super cruce. (De qua re plura videantur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 293, 294; et in Collectis ex *Arcanis Cœlestibus* ibi.) Hoc quoque constare potest ex eo, quod vestes angelorum ex albo et candido nitentes appareant non ex fide et cogitatione de sanguine Domini super cruce, sed ex Divino Vero a Domino apud illos; nam, ut supra dictum est, vestes illorum sunt omnes secundum vera apud illos; nec licet alicui angelo cogitare de passione Domini, sed de glorificatione Ipsiūs, et de receptione Divini ab Ipso.

**477.** [Vers. 15.] "*Propter hoc sunt coram throno Dei.*"—Quod significet quod inde sit quod conjuncti Domino, constat ex significacione "esse coram throno Dei," quod sit quod conjuncti Domino; (quod conjunctio cum Domino significetur per "stare circum thronum Dei," videatur supra, n. 462, similiter per "esse coram throno Dei;"")

per "coram throno Dei" intelligitur coram Domino, nam super throno erat Dominus, ut in sequenti versu 17 dicitur, "Agnus, qui in medio throni, pascet illos."

**478. "Et serviant Ipsi die et nocte in templo Ipsius."**—Quod significet *quod jugiter teneantur in veris in caelo*, constat ex significatione "servire," quod dicatur de illis qui in veris sunt (de qua sequitur); ex significatione "die et nocte," quod sit jugiter et in omni statu (de qua etiam sequitur); et ex significatione "templi Dei," quod sit caelum ubi regnat Divinum Verum (de qua supra, n. 220, 391[δ]): inde per illa verba significatur quod jugiter teneantur in veris in caelo. Quod hoc significetur, est quia haec dicta sunt de illis qui, dum in mundo vixerunt, in falsis ex ignorantia fuerunt, ut supra ostensum est; et qui in falsis ex ignorantia sunt, et usque in bono vitae secundum religionem suam, illi non salvari possunt priusquam falsa apud illos sunt remota, et vera loco illorum implantata; et haec implantantur per tentationes: quare cum e temptationibus emergunt, falsa usque remanent, tametsi remota per vera; non enim aliquod malum et falsum ab homine, spiritu et angelo prorsus abstergi potest, sed modo removeri; detinentur enim a malis suis et falsis, et tenentur in bono et in vero a Domino; et cum hoc fit, sibi apparent sicut absque malis et falsis sint. Inde est, nisi illi qui in falsis ex ignorantia in mundo fuerunt jugiter tenerentur a Domino in veris, quod relaberentur in falsa. Hoc itaque est quod intelligitur per quod "serviant Ipsi die et nocte in templo Ipsius;" "templum" etiam significat caelum, ubi vera regnant. Quod fuerint in bono vitae secundum religionem suam, hoc quidem salvat, sed non salvat quamdiu in falsis sunt; quare post vitam in mundo falsa apud illos removentur: causa quod non prius salvari possint, est quia bonum trahit suam essentiam a veris, est enim bonum esse veri, et verum est forma boni; quapropter qualia sunt vera, tale fit bonum. Ex his etiam liquet quod tametsi aliquis bene vivit, usque in caelum venire nequeat antequam in veris est. Ob illum finem sunt loca instructionis pro illis qui venturi in caelum, nam nemo illuc venire potest priusquam instructus est. (De instructione et de locis instructionis pro illis qui venturi sunt in caelum, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 512-520.) Dicitur quod "serviant Ipsi die et nocte in templo Ipsius;" et per id non intelligitur quod continue sint in templo, aut continue in cultu et in precibus, nam ita non

fit in caelis; ibi quisque, sicut in mundo, est in suo officio et opere, ac per vices, sicut in mundo, in templo; verum usque dicuntur "servire Domino die et nocte in templo," quando jugiter in veris sunt; sic enim interius jugiter serviunt: unusquisque enim bonus spiritus et angelus est suum verum et suum bonum, sunt enim affectiones veri et boni. Affectio seu amor facit vitam cujusvis; quapropter qui in affectione veri sunt, illi jugiter serviunt Domino, etiam quando in officiis, negotiis et operis sunt; affectio enim intus regnat continue, et servit. Hoc etiam servitium est quod Dominus vult, non autem quod jugiter in templis et in cultu sint: in templis et in cultu ibi esse et non in veris, hoc non est servire Domino; sed servire Domino est in veris esse, ac sincere et juste agere in omni re; nam tunc ipsa vera, sincera, et justa, quae apud hominem, serviunt Ipsi. Per illa etiam homo post vitam in mundo potest in caelo esse, non autem per solum cultum; nam cultus absque illis, proinde absque veris, est cultus vacuus, in quem non cadit influxus. In Verbo dicitur "servire" et "ministrare," tum "servi" et "ministri;" ac illi dicuntur "servi Domini" et "servire Ipsi" qui in veris sunt, ac illi dicuntur "ministri Domini" et "ministrare Ipsi" qui in bono sunt. (Quod "servi" in Verbo dicantur illi qui in veris sunt, videatur supra, n. 6; et quod "ministri" qui in bono, n. 155.)

**479. "Et Sedens super throno habitabit super illis."**—Quod significet *influxum Divini Boni in vera apud illos*, constat ex significatione "Sedentis super throno," quod sit Dominus quoad Divinum Bonum (de qua supra, n. 297, 343, 460); et ex significatione "habitare super illis," quod sit influere cum bono in vera illorum; "habitare" enim in Verbo dicitur de bono, unde per "habitatores" significantur illi qui in bono sunt; cum itaque "habitare" dicitur de Domino, ut hic "habitare super illis," significatur influxus Divini Boni: quod sit in vera, est quia de veris apud illos mox actum est, tum quia omnes qui in caelis sunt tenentur in veris per influxum Divini Boni a Domino in illa; Divinum enim Bonum non potest influere nisi in vera, quia vera sunt ex bono, sunt enim formae boni; quapropter necessum est ut homo in bono sit, nam Dominus per id influat in vera bono correspondentia: qui credit quod Dominus immediate in vera apud hominem influat, multum fallitur. (Sed de hoc influxu actum est in *Arcanis Caelestibus*: nempe, Quod influxus Domini sit in bonum

apud hominem, et per bonum in vera quae apud illum, non autem vicissim, n. 5482, [1] 5649, 6027, 8685, 8701, 10153. Quod influxus sit per bonum in vera omnis generis, maxime in vera genuina, n. 2531, 2554. Quod in bono sit facultas recipiendi vera, n. 8321. Quod influxus Domini non sit in vera separata a bono, n. 1831, 1832, 3514, 3564.) Ex his nunc constare potest quomodo haec quae continentur in hoc et in mox antecedente versu cohaerent, quod nempe illi, quibus implantata sunt vera a Domino per tentationes, jugiter teneantur in illis per influxum Divini Boni in illa. (Quod "habitare" in Verbo dicatur de bono, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 2268, 2451, 2712, 3613, [2] 8269, 8309, 10153: et quod "habitaculum Domini" sit caelum et ecclesia quoad bonum, ita bonum illorum, et respective ad hominem, bonum apud illum, n. 8269, 8309.)

**480.** [Vers. 16.] *"Non esurient amplius neque sitient amplius."*—Quod significet *quod illis non deficit bonum et verum, et inde felicitas*, constat ex significatione "esurire," quod sit defectus boni, hic itaque "non esurient" quod non erit defectus boni; et ex significatione "sitire," quod sit defectus veri, hic itaque "non sitient" quod non erit defectus veri. Quod per eadem verba etiam significetur felicitas, est quia omnis felicitas et beatitudo, quae est angelis in caelo, est ex bono et vero quae recipiunt a Domino, et secundum illa, hoc est, secundum illorum receptionem. Quod omnis felicitas caelestis, seu quod omne gaudium caeleste insit affectioni boni et veri, proinde conjugio boni et veri, in quo sunt angeli, videatur in opere *De Caelo et Inferno* (n. 395-414). Quod "non esurient" significet quod non deficit illis bonum, est quia per "panem" significatur bonum amoris, et "esurire" dicitur de pane et cibo; et quod "non sitient" significet quod non deficit illis verum, est quia per "aquam" et "vinum" significatur verum, et "sitire" dicitur de aqua et vino. Inde est quod pluries in Verbo dicatur "esurire et sitire," per quae non intelligitur esuritio et siti naturalis, sed esuritio et siti spiritualis, quae sunt deprivatio, defectus et ignorantia cognitionum veri et boni, et simul desiderium ad illas. Quod haec per "esurire et sitire," seu per "famem et sitim" in Verbo significantur, videatur supra (n. 386), ubi plura loca de fame et siti adducta sunt et explicata.

**481.** *"Neque cadet super illos sol, neque ullus aestus."*—Quod significet *quod illis non erit malum et falsum ex concupiscentiis*, constat ex significatione "solis," quod sit Dominus quoad Divinum Amorem; et apud homines, spiritus et angelos bonum amoris a Domino in Dominum; et quod

in opposito sensu, ut hic, sit amor sui, inde malum ex concupiscentiis (de qua supra, n. 401, et in opere *De Caelo et Inferno*, n. 116-125): et ex significatione “aestus,” quod sit falsum ex illo malo, proinde falsum ex concupiscentiis; nam cum homo in aestu est, hoc est, cum aestuat a calore, tunc concupiscit potum, ut aestus sedetur, est enim siccus; et per “potari” et “bibere” significatur haurire vera, et in opposito sensu haurire falsa, ex causa quia “aqua” et “vignum,” quae potentur seu bibuntur, significant vera. Quod “aestus” significet falsum ex concupiscentia, seu concupiscentiam ad falsum, constare potest ex sequentibus his locis:—Apud *Jeremiam*,

“Beatus vir qui confidit in Jehovah, . . . et erit sicut arbor plantata juxta aquas, juxta fluvium emitit radices suas; neque videbit cum venit aestus, sed erit folium ejus viride; unde in anno siccitatis non erit sollicitus, neque cessabit a ferendo fructum” (xvii. 7, 8):

comparatur homo, qui se duci patitur a Domino, cum arbore et ejus crescentia et fructificatione, quia per “arborem” in Verbo significatur cognitio et perceptio veri et boni, proinde homo in quo illae sunt; per “arborem plantatam juxta aquas” intelligitur homo apud quem vera a Domino sunt (“aquae” sunt vera): “juxta fluvium emitit radices suas” significat extensionem intelligentiae a spirituali homine in naturalem; hoc dicitur quia per “fluvium” significatur intelligentia, et quia “radices” emittuntur a spirituali homine in naturalem: “neque videbit cum venit aestus” significat quod non afficietur a concupiscentia falsi; “sed erit folium ejus viride” significat scientifica viventia ex veris; “folium” significat scientificum, ac “viride” vivens ex veris: “unde in anno siccitatis non erit sollicitus, neque cessabit a ferendo fructum,” significat quod in statu quando non verum et bonum non erit in timore jaeturae et deprivationis illorum, sed quod etiam tunc vera conjuncta bono se fructificabunt; “annus siccitatis” significat statum jaeturae et deprivationis veri. Hoc dicitur quia apud spiritus et angelos alternant status (de qua alternatione videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 154-161). Apud *Esaiam*,

“Factus es munimentum pauperi, munimentum egeno, cum angustia illi, refugium ab inundatione, umbra ab aestu, nam spiritus violentorum sicut inundatio parietis, sicut siccitas in loco arido; tumultum alienorum humiliabis, aestum per umbram nubis, propaginem violentorum reprimet” (xxv. 4, 5):

per "pauperem et egenum" significantur qui in defectu boni sunt ex ignorantia veri, et tamen desiderant illa; "inundatio" et "aestus" dicitur quando mala et falsa ex proprio et quoque ex aliis qui in malo sunt insurgunt et influunt: "spiritus violentorum" significat illa contra bona et vera ecclesiae; "violentii" dicuntur qui conantur destruere bona et vera, ac "spiritus eorum" significat cupiditatem destruendi: "tumultum alienorum humiliabis" significat quod Dominus sedaturus et sublatus irruptionem falsorum ex malo; "tumultus" significat irruptionem, "alieni" significant falsa ex malo, et "humiliare" significat sedare et auferre: "aestum per umbram nubis reprimet" significat quod tutatus a concupiscentia falsi; "aestus" est concupiscentia falsi, et "umbra nubis" est tutamen ab illa, nam umbra nubis calorem solis temperat et incalescentiam sedat.  
Apud *Jeremiam*,

"Cadaver ejus erit projectum aestui in die, et frigori in nocte" (xxxvi. 30):

haec de Jojakimo rege Iudeae, postquam combussit volumen scriptum a Jeremia; et per id factum significatur quod vera ecclesiae peritura sint per concupiscentiam ad falsa et inde per aversationem ad vera; per reges Iudeae representabantur et inde in Verbo significabantur vera ex bono, et ibi per illum regem verum ecclesiae quod periturum; per "volumen" quod combussit significatur Verbum; hoc "comburi" dicitur cum falsificatur et adulteratur, quod fit per concupiscentiam falsi ex malo: per "cadaver" significatur homo ecclesiae absque vita spirituali, quae ei est per vera ex Verbo; qua vita extincta non concupiscit nisi falsa et aversatur vera, inde fit mortuus et in spirituali sensu cadaver: concupiscentia ad falsa significatur per "aestum in die," et aversatio ad vera per "frigus in nocte;" est enim illis qui in falsis ex malo sunt, quando influit lux caeli, quae est in sua essentia Divinum Verum, frigus, intensem secundum incalescentiam falsi ex malo. Apud eundem,

"Cum aestuaverint, ponam convivia eorum, et ineibriabo eos, ut exultent, ut dormiant somnum saeculi, nec evigilent" (li. 39):

haec de Babele, per quam significatur profanatio boni et veri; "cum aestuaverint" significat incalescentiam et concupiscentiam falsificandi vera et adulterandi bona: "ponere

convivia eorum, inebriare et exultare," significat ex falsificationibus insanire in extremo gradu; "convivia eorum" significant adulterationes boni et veri, "inebriatio et exultatio" significant insanias in summo gradu seu extremas: "dormire somnum saeculi et non evigilare" significat quod in aeternum non percepturi vera. Apud *Hoscheam*,

"Omnis aestuant sicut clibanus, et comedunt judices suos; omnes reges eorum cadunt, non clamans inter eos ad Me" (vii. 7):

"aestuare sicut clibanus" significat concupiscere falsum ex amore ejus; "comedere judices, omnes reges eorum cadunt," significat perdere omnem intelligentiam, deperditis veris quae faciunt illam; "judices" significant intelligentes, et in sensu abstracto illa quae intelligentiae sunt, ac "reges" significant vera: "non clamans inter eos ad Me" significat quod nemo curet vera ex Divino. Apud *Hiobum*,

"Non respicit viam vinearum; siccitas et aestus rapient aquas nivis" (xxiv. 18, 19):

"non respicere viam vinearum" significat nihili facere vera ecclesiae: "siccitas et aestus rapient aquas nivis" significat quod defectus veri et inde concupiscentia ad falsum destruent omnia vera genuina; "aquaes nivis" sunt vera genuina. Apud *Esaiam*,

"Dicet vinc̄tis, Exite; eis qui in tenebris, Revelamini; super viis passcent, et in omnibus clivis pascuum eorum; non esurient neque sient, neque percutiet eos aestus aut sol, nam miserescens eorum ducet eos, ita ut etiam ad fontes aquarum ducturus sit eos" (xlix. 9, 10):

quid haec significant, singillatim exponere non opus est, quoniam similia sunt cum his quae nunc in *Apocalypsi* explicantur: dicitur hic, "Non esurient amplius nec sient amplius, neque cadet super illos sol, neque ullus aestus, quoniam Agnus pascet eos, et deducet ad vivos fontes aquarum;" haec in *Apocalypsi* dicta sunt de Domino, similiter apud *Prophetam*; per "vinc̄tos" quibus dicit "Exite," et per "eos qui in tenebris" quibus dicit "Revelamini," significantur etiam gentes, quae in bono vixerunt secundum religionem suam, et usque in falsis ex ignorantia fuerunt, qui "vinc̄ti" dicuntur quando in temptationibus; et "tenebrae" sunt falsa ex ignorantia; quod "aestus illos non percutiet" significat quod non afficiet eos falsum ex concupiscentia.

In *Apocalypsi*,

"Quartus Angelus effudit phialam suam in solem, et datum est illi aestu adurere homines per ignem; itaque aestuarunt homines aestu magno, et blasphemarunt nomen Dei" (xvi. 8, 9):

sed haec infra in suo loco videantur explicata. Quoniam "sol" significat Divinum Amorem, inde etiam "aestus" significat <sup>[i]</sup>flagrans desiderium ad verum,

Ut *Esai.* xviii. 4; et *Sach.* viii. 2; ubi "aestus" attribuitur Jehovahe, hoc est, Domino.

Multis in locis praedicatur "ira" et "excandescens" de Deo; et per "iram" significatur zelus pro bono, et per "excandescens" zelus pro vero; nam ex eadem voce in lingua originali dicitur "excandescens" et "aestus."

**482.** [Vers. 17.] "*Quoniam Agnus, qui in medio throni, pascet eos.*"—Quod significet quod Dominus e caelo instruet illos, constat ex significatione "Agni," quod sit Dominus quoad Divinum Verum (de qua supra, n. 297. 343. <sup>[2]</sup>464); ex significatione "throni," quod sit caelum (de qua etiam supra, n. 253[a]); "in medio throni" significat in universo caelo, nam "in medio" significat in omnibus et singulis seu in toto (videatur supra, n. 213); et ex significatione "pascere," quod sit instruere (de qua sequitur): ex his constat quod per quod "Agnus, qui in medio throni, pascet eos," significetur quod Dominus e caelo instruet illos. Hic dicitur quod "Agnus, qui in medio throni, pascet eos," et supra quod "Sedens super throno habitabit super illis;" ex quibus manifeste patet quod per utrumque "Sedentem super throno" et per "Agnum in medio throni" intelligatur Dominus; sed quod per "Sedentem super throno" intelligatur Dominus quoad Divinum Bonum, et per "Agnum in medio throni" Dominus quoad Divinum Verum; nam "habitare," quod dicitur de Sedente super throno, praedicatur de bono (videatur supra, n. 470); et "pascere," quod dicitur de Agno, praedicatur de veris, "pascere" enim significat instruere in veris. In Verbo Veteris Testamenti pluries dicitur "Jehovah" et "Deus," tum "Jehovah" et "Sanctus Israelis," ac per utrumque intelligitur solus Dominus; per "Jehovam" Dominus quoad Divinum Bonum, et per "Deum," tum per "Sanctum Israelis," Dominus quoad Divinum Verum; ita dicitur propter conjugium Divini Boni ac Divini Veri in singulis Verbi. Quod "pascere" significet instruere, constare potest absque

ulteriore expositione, quoniam in usu receptum est ex Verbo dicere "Pastor" de illis qui docent, et "Grex" de illis qui discunt; sed quod ita dicantur, [causa] nondum est <sup>[1]</sup>nota, quare dicetur. In caelo ubi omnia repraesentativa sunt quae coram oculis apparent, repraesentant enim sub apparentia naturali spiritualia quae angeli cogitant et quibus afficiuntur, ita sistuntur cogitationes et affectiones illorum coram oculis illorum in formis quales sunt in mundo, seu in formis naturalium similibus, et hoc ex correspondentia quae a Domino facta est inter spiritualia et naturalia (de qua correspondentia multis in locis actum est; et in opere *De Caelo et Inferno*, n. 87—102, et n. 103—115). Ex correspondentia illa est quod in caelo appareant greges ex ovibus, agnis et capris, pascentes in viretis et quoque in hortis; quae apparentiae existunt ex cogitationibus illorum qui in bonis et veris ecclesiae sunt, et ex illis intelligenter et sapienter cogitant. Inde nunc est quod in Verbo toties dicatur "grex," tum quoque "pascuum," "pascere" et "pastor;" Verbum enim in littera est ex talibus quae coram oculis in caelo apparent, per quae significantur spiritualia quae correspondent. Quoniam notum est in ecclesia quod "pascere" significat instruere, "pascuum" instructionem, et "pastor" instructorem, velim solum aliqua loca inde absque ulteriore explicatione afferre, ubi "pascere" et "pascuum" nominantur:—Apud *Esaiam*,

"*Pascent greges tui in die illo in prato lato*" (xxx. 23);

apud eundem,

"*Ut pastor gregem suum pascet, in brachium suum colliget agnos, . . . lactantes leniter ducet*" (xl. 11);

apud eundem,

"*Dicet vincitis, Exite; eis qui in tenebris, Revelamini; super viis pascent, et in omnibus clivis pascuum eorum*" (xlix. 9);

apud *Jeremiam*,

"*Contra pastores pascentes populum meum, vos dispersistis gregem meum; . . . propter maledictionem luget terra, exaruerunt pascua deserti*" (xxiii. 2, 10);

apud eundem,

"*Pascet* Israel "*in Carmele et Baschane*" (l. 19);

apud *Ezechielem*,

"*Ego quaeram gregem meum, et perquiram eos, . . . pascam eos super montibus Israelis, in alveis et in omnibus habitationibus terrae; in*

pascuo bono pascam eos, et in montibus altitudinis Israelis erit caula eorum; ibi cubabunt [in] caula bona, et pascuum pingue pa-  
cent super montibus Israelis" (xxxiv. 11, 13, 14);

*apud Hoscheam,*

"Novi [i]te in deserto, in terra siccitatis; cum pascuum eorum...." (xiii.  
5, 6);

*apud Joelem,*

"Perplexa sunt armenta bovis, eo quod non pascuum illis, et greges  
pecudum desolati sunt" (i. 18);

*apud Micham,*

Ex Bethlehem Ephrataea exibit,...."qui stabit et pascet in robore  
Jehovae" (v. 1, 3 [*B. A.* 2, 4]);

*apud eundem,*

"Pasce populum tuum virga tua, gregem hereditatis tuae;....pascant  
in Baschane et in Gileade" (vii. 14);

*apud Zephaniam,*

"Reliquiae Israelis....pascent, et requiescent" (iii. 13);

*apud Davidem,*

"Jehovah Pastor meus, non carebo, in pascuis herbae cubare faciet me"  
(Ps. xxiii. 1, 2):

*apud eundem,*

Dominus "elegit Davidem,....a post lactantes adduxit eum ad pascen-  
dum Jacobum populum suum, et Israelem hereditatem suam, qui  
pavit eos in integritate cordis sui" (Ps. lxxviii. 70-72);

*apud eundem,*

Jehovah "fecit nos,....populum suum, et gregem pascui sui;" [vel *juxta  
Keri*] "ideo nos populus Ejus, et grex pascui Ejus" (Ps. c. 3);

*apud Johannem,*

Jesus dixit Petro, "Amasne Me?" Dixit quod amet; dixit ei, "Pasce ag-  
nos meos;" secundo dixit, "Pasce oves meas;" et quoque tertio  
dixit, "Pasce oves meas" (xxi. 15-17):

et in plurimis aliis locis, in quibus "pascere" etiam signi-  
ficat instruere in veris, et "pascuum" vera quibus instru-  
untur.

**483[a]. "Et deducet eos ad vivos fontes aquarum."**—Quod  
significet in *Divinis veris*, constat ex significatione "vivo-  
rum fontium aquarum," quod sint Divina vera; per "vivum"  
significatur vivens a Divino, per "fontem" significatur Ver-  
bum, et per "aquas" vera inde. In Verbo pluries dicuntur  
"aquaee vivae," et per illas intelliguntur vera quae a Domino  
veniunt et recipiuntur; quod illa sint viva, est quia Domi-

nus est ipsa Vita, ut Ipse docet; et quod ex ipsa vita venit, hoc vivum est; quod autem ab homine venit, hoc mortuum est. Ut Dominus det vitam veris, influit per bonum in illa, et bonum vivificat; influit etiam e superiori seu interiori, et aperit mentem spiritualem, et ei indit affectionem veri; et affectio veri spiritualis est ipsa vita caeli apud hominem. Haec vita est quae insinuatur homini a Domino per vera. Inde constare potest quid intelligitur per "aqua vivas," et hic per "vivos fontes aquarum," in sequentibus his locis:—Apud *Esaiam*,

"Pauperes et egeni quaerentes aquam, sed non; lingua eorum siti deficit; . . . aperiam super clivis fluvios, et in medio vallium fontes ponam, desertum in stagnum aquarum, et terram sicciam in scaturigines aquarum" (xli. 17, 18):

agitur ibi de salvatione gentium a Domino, qui "pauperes et egeni" dicuntur ex defectu et ignorantia veri: desiderium eorum sciendi vera ab illis qui in ecclesia, ubi non vera erant, describitur per quod "quaerant aquas, et non, lingua eorum siti deficit;" "aqua" est verum, "sitire" est desiderare illud: quod instruuntur a Domino, significatur per "Aperiam super clivis fluvios, et in medio vallium fontes ponam;" "aperire fluvios" est dare intelligentiam, "in clivis" est in interiori homine, "in medio vallium" est in exteriori homine, "ponere fontes" est instruere in veris: "ponere desertum in stagnum aquarum, et terram sicciam in scaturigines aquarum," significat abundantiam veri apud illos qui prius in defectu et in ignorantia fuerunt; "desertum" est ubi non bonum quia non verum, "terra sicca" ubi non verum et inde non bonum; "stagnum aquarum" et "fontes aquarum" significant abundantiam cognitionum veri: ex his manifeste patet quod hic per "aqua," "fontes," "scaturigines," "fluvios" et "stagna aquarum," non illa significantur, sed cognitiones veri et inde intelligentia, unde salvatio. Apud eundem,

"Ecce Deus vester in vindictam veniet, . . . et salvabit vos; . . . tunc erit aridus locus in stagnum, et siticulosus in scaturigines aquarum" (xxxv. [i]4, 7):

haec quoque de gentium instructione in veris et illarum reformatione a Domino, cum venturus in mundum, dicta sunt; ac per quod "aridus locus erit in stagnum, et siticulosus in scaturigines aquarum," significantur similia quae

mox supra, per quod "desertum erit in stagnum" seu collectionem "aquarum, et terra sicca in scaturigines aquarum." Apud *Jeremiam*,

"Cum fletu venient, et cum precibus adducam eos; ducam eos ad fontes aquarum in via recti, non impingant in ea" (xxxi. 9):

hic quoque de receptione Domini a gentibus agitur; quod instructurus eos in genuinis veris, significatur per quod "ducet eos ad fontes aquarum in via recti, non impingant in ea." Apud *Esaiam*,

"Non esurient et sient, neque percutiet eos aestus aut sol; nam misericors eorum ducet eos, [ut] et super fontibus aquarum ducturus est eos" (xlix. 10):

hic quoque de instru<sup>c</sup>tione gentium a Domino: instru<sup>c</sup>titio in veris intelligitur per quod "super fontibus aquarum ducturus sit eos." (Quid significat "esurire" et "sitire," videatur supra, n. 480; tum quid "aestus" et "sol," etiam supra, n. 481.) Apud *Josephem*,

"Fiet in die illo, stillabunt montes mustum, et colles fluent lacte, omnesque rivi Iudeae fluent aquis: et fons e domo Jehovahe exibit, et irrigabit flumen schittim" (iv. [B. A. iii.] 18);

quid significatur per quod "montes stillabunt mustum, colles fluent lacte, et omnes rivi Iudeae fluent aquis," videatur explicatum supra (n. 433[<sup>a</sup>] ); et quod "fons e domo Jehovahe exibit et irrigabit flumen schittim" significat quod e caelo a Domino erit verum illustrans scientifica et cognitiones quae in naturali. Apud *Davidem*,

"Coram" Te "parturis, terra, a coram Deo Jacobi, qui convertit petram in stagnum aquarum, silicem in fontem aquarum" (Ps. cxiv. 7, 8):

per "stagnum aquarum" et per "fontem aquarum" hic quoque intelliguntur vera in copia, per quae ecclesia; nam per "parturis, terra" significatur incohatio ecclesiae, quae tunc "parturire" dicitur quando ibi producuntur vera; "terra" est ecclesia. Apud eundem,

Jehovah "qui emittit fontes in fluvios, inter montes eant, potum praebent ferae agrorum, frangunt onagri sitim suam, juxta illos avis caelorum habitat" (Ps. civ. 10-12):

"emittere fontes in fluvios" significat dare intelligentiam per vera e Verbo; "inter montes eant" significat quae ex bono amoris erunt; "fontes" sunt vera ex Verbo, "fluvii"

sunt illa quae intelligentiae sunt, et "montes" sunt bona amoris: instructio eorum qui in ecclesiae bono sunt, significatur per quod "potum praebeant ferae agrorum;" instructio eorum in ecclesia qui desiderant vera, significatur per quod "frangent onagri sitim;" quod inde intellectus perficiatur, significatur per quod "juxta illos avis habitet;" per "feras agrorum" in sensu spirituali intelliguntur gentes quae in bono vitae sunt; per "onagros" naturale verum; per "sitim" desiderium ad vera; et per "avem caelorum" significantur cogitationes ex intellectu.

[*b.*] Quod per "fontem" in supremo sensu intelligatur Dominus quoad Divinum Verum, seu Divinum Verum a Domino, proinde Verbum, constare potest a sequentibus his locis:—Apud *Feremiam*,

"Duo mala facit populus meus, Me deseruerunt Fontem aquarum vivarum, ad excidendum sibi foveas, foveas confractas quae non continent aquas" (ii. [1] 13):

hic Jehovah, hoc est, Dominus, Se vocat "Fontem aquarum vivarum," per quem significatur Verbum seu Divinum Verum, proinde Ipse Dominus qui est Verbum; nam dicitur, "Me deseruerunt Fontem aquarum vivarum:" "ad excidendum sibi foveas, foveas confractas quae non continent aquas," significat ad fingendum sibi doctrinalia ex propria intelligentia, in quibus non vera; "foveae" sunt doctrinalia, "foveae confractae" sunt doctrinalia quae non cohaerent, "quae non continent aquas" significat in quibus non vera: talia sunt doctrinalia quae non ex Verbo, hoc est, a Domino per Verbum (nam Dominus per Verbum docet), sed ex propria intelligentia; quod non a Domino per Verbum, intelligitur per quod "deseruerint Fontem aquarum vivarum." Apud eundem,

"Omnes relinquentes Te pudefient, et recedentes a Me in terra scribentur; quia deseruerunt Fontem aquarum vivarum Jehovahm" (xvii. 13):

hic similiter Jehovah, hoc est, Dominus, Se vocat "Fontem aquarum vivarum," a Divino Vero quod ab Ipso; "in terra scribi" significat damnari (videatur supra, n. 222[*b*]). Apud *Davidem*,

"Implentur pinguedine domus tuae, et flumine deliciarum potas eos, quia Tecum fons vitae, in luce tua videmus lucem" (Ps. xxxvi. 9, 10 [*B. A.* 8, 9]):

per "pinguedinem" significatur bonum amoris, et per "flumen deliciarum" verum ex illo bono; "potare" est docere: "Tecum fons vitae" significat quod cum Domino et ex Ipso sit Divinum Verum; quia id per "fontem vitae" significatur, ideo etiam dicitur, "In luce tua videmus lucem;" per "lucem" Domini significatur Divinum Verum. Apud *Sacharium*,

"In die illo erit fons apertus domui Davidis, et habitatoribus Hierosolymae, pro peccato et immundicie:....et in die illo....exscindam nomina idolorum e terra,....etiam prophetas et spiritum immundum transire faciam e terra" (xiii. 1[, 2]):

etiam haec de adventu Domini: quod tunc intellecturi sint Verbum, seu Divinum Verum inibi, illi qui in regno Domini sunt, significatur per "In die illo erit fons apertus domui Davidis, et habitatoribus Hierosolymae;" "fons" significat Verbum, "domus Davidis et habitatores Hierosolymae" regnum spirituale Domini; regnum Domini spirituale est apud illos in caelis et in terris qui in Divinis veris sunt: "pro peccato et immundicie" significat remotionem malorum et falsorum per vera ex Verbo: quia per "fontem" intelligitur Verbum seu Divinum Verum inibi, ideo dicitur, "In die illo exscindam nomina idolorum, etiam prophetas et spiritum immundum transire faciam e terra;" per "idola" significatur falsa religio, per "prophetas" falsa doctrina, et per "spiritum immundum" mala scaturientia ex falsis doctrinae; nam dum vivitur secundum falsa religionis et doctrinae fit spiritus immundus. Quod Divinum Verum a Domino intelligatur per "fontem," manifestis verbis docet Ipse Dominus apud *Johannem*,

Cum Dominus consedit ad fontem Jacobi in agro Samariae, dixit mulieri Samaritidi, "Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiens iterum; qui vero biberit ex aqua quam Ego dabo ei, non sitiens in aeternum; sed aqua quam dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam" (iv. 5-20):

quod per "aquam," quam Dominus dat, non intelligatur aqua, sed Divinum Verum, manifeste constat, nam dicitur quod ex aqua illa quam mulier Samaritis venit ad hauriendum, sitiatur iterum, non autem ex aqua quam Dominus dat; quod vita in illo Vero sit, intelligitur per quod illa aqua "in eo fiet fons aquae salientis in vitam aeternam:" (quod vita in veris sit, cum Dominus illa dat, videatur

supra in hoc articulo :) quod Dominus haec dixerit mulieri Samaritidi, cum consedit juxta fontem Jacobi, erat causa, quia per "Samaritas" intellexit Dominus gentes, qui recepti Divina vera ab Ipso; et per "mulierem Samaritudem" ecclesiam ex illis; et quia per "fontem Jacobi" intellexit Divinum Verum a Se, seu Verbum. Apud *Mosen*,

"Ita habitavit Israel secure solitarius apud fontem Jacobi" (*Deut.* xxxiii. 28);

haec in prophetia Mosis de filiis Israelis, quae prophetia per haec concluditur. Quia "Israel" ibi significat ecclesiam quae in Divinis veris ex Verbo est, ideo dicitur "ad fontem Jacobi," per quem intelligitur Verbum; ita quoque Dominus quoad Verbum, Ipse enim est Verbum, quia est Divinum Verum, ut Ipse docet apud *Johannem* (cap. i. 1-3, 14). Haec dicta sunt in fine prophetiae illius, quia in prophetia illa agitur de Verbo. Simile per "fontem" illum etiam intelligitur in prophetia Israelis patris de Josepho,

"Filius fecundae Josephus, filius fecundae juxta fontem" (*Gen.* xlix. 22):

per "fontem" hic intelligitur fons Jacobi, nam ager in quo ille fons, datus erat Josepho a patre ejus (videatur *Joh.* iv. 5, 6): quid significatur per "Filius fecundae Josephus, filius fecundae juxta fontem," videatur supra (n. 448[*b*]). Per "fontem" etiam intelligitur Verbum, ac per "fontes" Divina vera ex illo, apud *Davidem*,

"In congregationibus benedicite Deo, Domino e fonte Israelis" (*Ps.* lxviii. [i]<sup>1</sup>27 [*B. A.* 26]);

in *Apocalypsi*,

"Sitienti dabo ex fonte aquae vitae gratis" (xxi. 6);

apud *Esaiam*,

"Tunc haurietis aquas cum laetitia e fontibus salutis" (xii. 3);

apud *Davidem*,

"Omnes fontes mei in Te," Jehovah (*Ps.* lxxxvii. 7).

Quoniam pleraque in Verbo etiam sensum oppositum habent, ita etiam "fons" et "fontes," in quo sensu significant doctrinam falsorum ac falsa doctrinae:—Ut apud *Jeremiam*,

"Exsiccabo mare ejus, et arefaciam fontem ejus" (li. 36):

haec de Babele, et per "mare" ejus significantur falsa in

uno complexu, et per "fontem" doctrina falsi. Apud *Hoscheam*,

"Veniet eurus, ventus Jehovae, a deserto ascendens, et exarescat fons ejus, et exsiccabitur scaturigo ejus" (xiii. 15):

haec de Ephraim, et per eum ibi intelligitur perversus intellectus Verbi, quo falsa per Verbum confirmantur; destructio ejus significatur per quod "fons ejus exarescat, et scaturigo ejus exsiccabitur per eum, ventum Jehovae, a deserto;" "fons" ejus est doctrina falsi inde, "scaturigo" est falsum ejus, "eurus ex deserto" est destructio ejus ex fallaciis quae ex sensualibus externis; sensualia enim externa, dum non illustrata sunt ab internis, destruunt intellectum hominis, quia omnes fallaciae inde sunt. Apud *Davidem*,

"Tu perrupisti robore tuo mare, fregisti capita balaenarum super aquis: Tu confregisti capita leviathanis, dedisti eum cibum populo ziim; Tu perrupisti fontes et fluvium; Tu exsiccasti fluvios roboris" (Ps. lxxiv. 13-15):

hic quoque per "fontes" et "fluvios" significatur falsa doctrina, quae ex propria intelligentia; "fluvii roboris" sunt inde principia falsi confirmata; per "balaenas" et "leviathanem" significantur scientifica, quae sunt sensualis et naturalis hominis, ex quibus omne falsum, quando super iis occlusus est spiritualis homo: in sensuali et naturali homine residet proprium hominis; quare quod ex illis solis concluditur, ex proprio seu ex propria intelligentia concluditur: Divinum enim influit per spiritualem hominem in naturalem, non autem in naturalem quando super illo occlusus est spiritualis; at spiritualis homo aperitur per vera et per vitam secundum illa: "populus ziim," cui leviathan daretur in cibum, significat illos qui in falsis infernalibus sunt.

**484. "Et abstergat Deus omnem lachrymam ex oculis illorum."**—Quod significet statum beatitudinis a veri affectione, postquam falsa per tentationes remota sunt, constat ex significatione "abstergere lachrymam ex oculis," quod sit auferre dolorem mentis propter falsa et ex falsis; et quia cessante illo dolore post tentationes, quas subierunt, successit beatitudo per vera ex bono, ideo etiam hoc significatur: omnis enim beatitudo angelis est per vera ex bono, seu per affectionem veri spiritualem; affectio veri spiritualis est ex bono, nam bonum facit illam: quod omnis beatitudo

angelis inde sit, est quia Divinum Verum procedens ex Domino facit caelum in communi et in particulari; quare qui in Divinis veris sunt, in vita caeli sunt, proinde in beatitudine aeterna. Quod “lachryma ex oculis” significet dolorem mentis propter falsa et ex falsis, est quia per “oculum” significatur intellectus veri, et inde “lachryma” significat dolorem propter non intellectum veri, proinde propter falsa. Simile quoque significatur per “lachrymam” apud *Esaiam*,

“Absorbebit mortem in aeternum, et absterget Dominus Jehovih lachrymam desuper omnibus faciebus” (xxv. 8);

per quod significatur quod Dominus per adventum suum remoturus sit mala et falsa apud illos qui vivunt ex Ipso, sic ut nullus dolor mentis propter illa et ex illis erit; “mors” significat malum, quia ex illo est mors spiritualis, ac “lachryma” dicitur de falso. Sciendum est quod “lachrymatio” et “fletus” significant dolorem propter falsa et ex falsis, sed “lachrymatio” dolorem mentis et “fletus” dolorem cordis propter illa; dolor mentis est dolor cogitationis et intellectus, quae sunt veri, ac dolor cordis est dolor affectionis seu voluntatis, quae sunt boni; et quia ubi in Verbo est conjugium veri et boni, ideo utrumque tam “fletus” quam “lachryma” in Verbo dicitur, quando exprimitur dolor propter falsa doctrinae seu religionis. Quod “fletus” sit dolor cordis constare potest ex eo, quod fletus e corde eructetur, et in lamenta per os erumpat; et quod “lachrymatio” sit dolor mentis constare potest ex eo, quod ex cogitatione per oculos exeat; in utroque tam fletu quam lachrymatione exit aqua, sed amara et stringens, quae exit per influxum ex spirituali mundo in dolorem hominis, ubi aqua amara correspondet defectui veri propter falsa et inde dolori; quare apud illos qui in veris sunt est dolor propter falsa. Ex his videri potest unde est, quod in Verbo, ubi dicitur “lachryma” etiam dicatur “fletus,” quod nempe propter conjugium boni et veri in singulis ibi In confirmationem velim sequentia loca modo adducere:— Apud *Esaiani*,

“Deflebo fletu Jaeserem, vitem Sibmae; rigabo te lachryma mea, Cheshbon et Eleale” (xvi. 9);

apud *Jeremiam*,

"In occultis locis flebit anima mea, . . . ac descendet oculus meus lachryma" (xiii. 17);

apud eundem,

"Quis dabit . . . oculum meum scaturiginem lachrymae, ut fleam diu noctuque?" (viii. 23 [B. A. ix. 1]);

in *Threnis*,

"Flendo flebit in nocte, et lachryma super gena ejus" (i. 2);

apud *Malachiam*,

"Operire lachryma altare Jehovae, fletu et suspirio" (ii. 13);

apud *Davidem*,

"Qui serunt cum lachryma . . . ac flendo portat jactum seminis" (Ps. cxxvi. 5, 6);

apud *Feremiam*,

"Inhibe vocem tuam a fletu, et oculos tuos a lachryma" (xxxi. 16);

apud eundem,

Lamentatrices "festinent, et tollant super nobis lamentum, et defluant oculi nostri lachryma" (ix. 17 [B. A. 18]);

"lamentum" pro fletu, quia est vox fletus. Apud *Davidem*,

"Fessus sum anhelitu meo, lavo per totam noctem lectum meum, lachryma mea cubile meum liquefacio" (vi. 7 [B. A. 6]):

per "lavare lectum" intelligitur fletu, qui est oris, quia dicitur de anhelitu; at "madefacere cubile," quod tamen simile est, de lachryma. Haec adducta sunt, ut ex his quoque sciatur quod binae expressiones similes in Verbo, imprimis Prophetico, non sint repetitiones vanae, sed quod una se referat ad bonum et altera ad verum.

## CAPUT VIII.

**E**T cum aperuit sigillum septimum, factum est silentium in caelo quasi semihoram.

2. Et vidi septem angelos, qui coram Deo steterunt, et datae sunt illis septem tubae.

3. Et aliis angelus venit et stetit ad altare, habens thuribulum aureum; et dati sunt illi suffitus multi, ut daret precibus sanctorum omnium super altare aureum quod coram throno.

4. Et ascendit fumus suffituum precibus sanctorum de manu angeli coram Deo.

5. Et accepit angelus thuribulum, et implevit illud de igne altaris, et projecit in terram, et factae sunt voces et tonitrua et fulgura et terrae motus.

6. Et septem angeli habentes septem tubas pararunt se, ut clangerent.

7. Et primus angelus clanxit, et facta est grando et ignis mixta sanguine, et missa in terram, et tertia pars arborum combusta est, et omne gramen viride combustum est.

8. Et secundus angelus clanxit, et quasi mons magnus igne ardens missus est in mare, et facta est tertia pars maris sanguis.

9. Et mortua est tertia pars creaturarum illarum in mari habentium animas, et tertia pars navium periit.

10. Et tertius angelus clanxit, et cecidit ex caelo

stella magna ardens quasi lampas, et cecidit super tertiam partem fluviorum et super fontes aquarum.

11. Et nomen stellae dicitur absinthium; et facta est tertia pars aquarum absinthium, et multi homines mortui sunt ex aquis, quia amarae factae sunt.

12. Et quartus angelus clanxit, et percussa est tertia pars solis, et tertia pars lunae, et tertia pars stellarum, et obtenebrabatur tertia pars illorum, ut dies non luceret tertia parte ejus, et nox similiter.

13. Et vidi et audivi unum angelum volantem in medio caeli, dicentem voce magna, Vae, vae, vae habitantibus super terra ex reliquis vocibus tubae trium angelorum futurorum clangere.

#### *EXPLICATIO.*

##### VERSUS I-4.

**485.** "Et cum aperuit sigillum septimum, factum est silentium in caelo quasi semihoram. Et vidi septem angelos, qui coram Deo steterunt; et datae sunt illis septem tubae. Et alius angelus venit et stetit ad altare, habens thuribulum aureum; et dati sunt illi suffitii multi, ut daret precibus sanctorum omnium super altare aureum quod coram throno. Et ascendit fumus suffituum precibus sanctorum de manu angeli coram Deo."

1. "*Et cum aperuit sigillum septimum,*" significat praedictionem de ultimo statu ecclesiae [n. 486]; "*factum est silentium in caelo,*" significat stuporem quod ecclesia talis, et quod finis ejus instet [n. 487]; "*quasi semihoram,*" significat tempus correspondens seu moram antequam omnia praeparata sunt ad subeundas sequentes mutationes [n. 488].
2. "*Et vidi septem angelos qui coram Deo steterunt,*" significat omnes caelos interius et arctius conjunctos Domino [n. 489]; "*et datae sunt illis septem tubae,*" significat ex illis influxum, et inde mutationes status et separationes [n. 489½].
3. "*Et alius angelus venit et stetit ad altare,*" significat conjunctionem caeli cum Domino per bonum caeleste [n. 490]; "*habens thuribulum aureum,*" significat conjunctionem illius boni cum bono spirituali, et sic conjunctionem caelorum superiorum [n. 491]; "*et dati sunt illi suffitii multi,*" significat vera in abundantia [n. 492]; "*ut daret precibus sanctorum omnium super altare aureum quod coram throno,*" significat conjunctionem [caelorum] cum illis qui separandi a malis et salvandi [n. 493].
4. "*Et ascendit fumus suffituum precibus sanctorum de manu angeli coram Deo,*" significat conjunctionem omnium cum Domino [n. 494].

**486.** [Vers. 1.] "*Et cum aperuit sigillum septimum.*"—Quod significet praedictionem de ultimo statu ecclesiae, constat ex significatione "aperire sigillum," quod sit praedictio et

manifestatio de successivis statibus ecclesiae (ut supra, n. 352, 361, 369, 378, 390, 399); et ex significatione “septimi,” quod sit plenum et consummatum (de qua supra, n. 257, 299), inde quoque ultimum, nam quod plenum et consummatum est, hoc quoque ultimum est. Ultimus status ecclesiae est quando non verum quia non bonum, seu quod idem, quando non fides quia non charitas; (quod tunc ultimus status ecclesiae sit, videatur in opusculo *De Ultimo Iudicio*, n. 33-39;) quid in hoc statu factum est, in nunc sequentibus praedicitur. Id quod factum est, et hic praedicitur, factum est in mundo spirituali ante judicium; nam similis status ecclesiae tunc in mundo spirituali fuit qui in mundo naturali, sed sub alia specie. In mundo spirituali sunt societates, quae distinctae sunt secundum affectiones boni et veri et earum varietates, in quas distincte venit quisque post mortem secundum suam affectionem; non autem in mundo naturali: et quia ita distincti sunt in mundo spirituali, ideo ibi apparet ecclesia qualis est in terris, et quoque ecclesia utrobivis unum agit per correspondentias. Quando in mundo spirituali ultimus status ecclesiae fuit, tunc omnia haec peracta sunt quae in nunc sequentibus praedicuntur; quorum aliqua in sequentibus memoranda sunt, quia visa sunt.

**487. “Factum est silentium in caelo.”**—Quod significet stuporem quod ecclesia talis, et quod finis ejus instet, constare potest ex sequentibus, ubi agitur de interitu ejus, et de damnatione omnium apud quos non ecclesia fuit, hoc est, apud quos nulla conjunctio veri et boni seu fidei et charitatis; haec enim conjunctio facit ecclesiam apud unumquemvis. Quia haec percipiebantur in caelo, et inde obversabantur animis angelorum, quando septimum sigillum apertum est, inde stupor, et ex stupore silentium. “Silentium” plura significat; in genere omnia quae faciunt illud, inter quae stupor imprimis illud inducit.

**488. “Quasi semihoram.”**—Quod significet tempus correspondens seu moram antequam omnia praeparata sunt ad subeundas mutationes sequentes [ex nunc sequentibus constare potest]: “semihora” dicitur, quia “dimidium” et “semissis” significat quantum correspondens et quantum satis, et “hora” significat moram. In Verbo plures dicitur “hora,” et per illam significatur duratio major aut minor, praeter quod non cogitetur de tempore alicujus horae; et

cum adjicitur numerus, ut cum dicitur "hora prima," "se-  
cunda," "sexta," "decima," "duodecima," significatur duratio  
status, tum quoque quale status secundum adjecti numeri  
significationem. (Sed de significatione "horae," videatur supra, n. 194; et  
quod "dimidium" significet quantum correspondens, et quantum satis, videatur in  
*Arcanis Caelestibus*, n. 10255.)

**489.** [Vers. 2.] *"Et vidi septem angelos, qui coram Deo stete-  
runt."*—Quod significet *omnes caelos interius et arctius  
conjunctos Domino*, constat ex significatione "septem ange-  
lorum," quod sint omnes caeli; per "septem" enim signi-  
fificantur omnes et omnia (videatur supra, n. 257, 299), et per "an-  
gelos" significantur caeli (etiam supra, n. 90, 302, 307); et ex  
significatione "stare coram Deo," quod sit conjuncti esse  
Domino (de qua supra, n. 462, 477). Cur per "septem angelos,  
qui steterunt coram Deo," significetur quod nunc omnes  
caeli interius et arctius conjuncti essent Domino, in se-  
quenti articulo explicabitur.

**489[1/2].** *"Et datae sunt illis septem tubae."*—Quod signifi-  
cet *ex illis influxum, et inde mutationes status et separationes*,  
constat ex significatione "tubae" seu "buccinae," quod sit  
Divinum Verum revelandum et revelatum clare et mani-  
feste (de qua supra, n. 55, [1]262); hic influxus Divini Boni et Veri  
per caelos a Domino, nam per illum influxum factae sunt  
omnes mutationes et separationes, de quibus in sequentibus  
agitatur: nam quoties angelus tuba clanxit, describitur mu-  
tatio, et facta est separatio; quapropter per "clangere  
tuba" in sequentibus significatur influxus. Quod omnes  
mutationes status ac separationes malorum a bonis, ac  
vicissim, quae ante judicium, et quando judicium, exstite-  
runt, factae sint per influxum Divini Boni et Veri interio-  
rem, intensiorem et remissiorem e caelo a Domino, supra  
(n. 413[a], 418[a], 419[a], 426) dictum et ostensum est; tum  
quomodo is fit, et qualis inde effectus resultat: hoc signi-  
ficatur per quod "angelus impleverit thuribulum igne altaris,  
et projicerit in terram (vers. 5), et dein per quod "angeli  
clanixerint." Hoc quia fit a Domino per caelos, ideo Do-  
minus Sibi caelos prius conjunxit interius et arctius, nam  
alioqui imminuisset etiam caelis periculum; quare hoc  
significatur per quod "septem angeli steterint coram Deo;"  
"stare coram Deo" est Ipsi conjungi; et cum Ipsi conju-  
guntur interius et arctius, tunc separantur illi apud quos  
non aliquod spirituale bonum est: nam spirituale bonum

solummodo conjungit, et non aliquod bonum externum seu naturale quod non suam essentiam et inde existentiam dicit ex bono spirituali. Quod mali separentur a bonis, quando Dominus interius et arctius conjungit angelos per influxum fortem in eorum bonum spirituale et per id in interiora malorum, capi potest ab illis qui in aliqua intelligentia sunt; per illum enim influxum aperiuntur etiam interiora apud malos qui modo simulaverunt bonum in externis, quibus apertis manifestantur mala et falsa quae interius latent; ex causa quia illis nullum spirituale bonum, et externum bonum absque spirituali bono est modo bonum apprens, in se simulatum et hypocriticum: hoc quod tale sit, non apparet priusquam interiora reclusa et aperta sunt. Spirituale bonum formatur apud hominem a Domino per vera et per vitam secundum illa; at externum bonum separatum ab interno spirituali, formatur per moralem vitam quae pro fine habet se et mundum, seu honores, lucra et jucunda carnis; quae sola si spectantur, nihil aestimantur Divina vera, nisi modo ut media ad aucupandum famam, quae solum pro fine habet externa illa quae memorata sunt. (Sed de Interno Bono et Extero Bono apud bonos, et de illis apud malos, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 36-53.) Haec praemissa sunt propter intellectum sequentium. (Sed videantur etiam quae supra de hac re, in locis supracitatis, n. 413[a], 418[a], 419[a], 426, dicta et ostensa sunt.)

**490.** [Vers. 3.] *"Et alius angelus venit et stetit ad altare."*— Quod significet conjunctionem caeli cum Domino per bonum caeleste, constat ex significatione "angeli," quod sit caelum (de qua sequitur); et ex significatione "altaris," quod sit bonum amoris in Dominum (de qua etiam sequitur). Quod "angelus" significet caelum angelicum, est quia illa quae visa sunt Johanni repraesentativa fuerunt; et quia caelum non potuit sisti in conspectum ejus, ideo pro caelis visi sunt angeli; ita quoque supra, "septem angeli, qui steterunt coram Deo" (n. 488); tum etiam "viginti quatuor seniores, et quatuor animalia," quae quod repraesentaverint caelos, supra (n. 313[a], 322, 362, 462) ostensum est: similiter hic "angelus qui stetit ad altare." Quod angeli visi Johanni caelum repraesentaverint, est quia totum caelum coram Domino est sicut unus angelus homo; similiter unaquaevi societas caeli; tum quia angelus dicit suam formam angelicam, quae est forma humana, ab universo caelo. (De qua re videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 51-58, 59-67, 68-72, 73-77, 78-86, ubi hoc arcanum plene evolu-

tum est.) Inde est quod angelus, dum repraesentative sistitur, significet vel societatem caeli e qua est, vel plures societates simul, vel etiam universum caelum quoad illud caeli et ecclesiae de quo agitur. Quod per "angelos" in Verbo significantur integrae societates in caelo, et quoque totum caelum, videatur supra (n. 90, 302, 307): per hunc angelum, qui "stetit ad altare," significatur caelum intimum et tertium; quoniam per "altare" significatur bonum amoris in Dominum, et omnes qui in intimo seu tertio caelo sunt, in illo bono sunt. Quod altare visum sit in caelo, non erat quia aliquod altare, quale fuit apud gentem Israeliticam, ibi datur; sed quia altare id in Verbo saepius nominatur, et per id ibi significatur bonum amoris in Dominum et cultus ex illo bono, ideo visum est Johanni, a quo etiam Verbum scriberetur, ob causam ut Verbum sibi constans esset ubivis; similiter "altare aureum" quod erat pro suffictionibus, tum "thuribulum" et "suffitus," quae etiam mox memorantur, ut quoque "arca foederis" (cap. xi. 19). Plura enim repraesentativa apparent in caelo illis qui infra stant, quae tamen actualiter ibi non existunt; sunt enim solum formae repraesentativae talium quae angeli ibi cogitant ex influxu Domini, quae inde omnia significant Divina; sicut quod apparuerint "animalia" quae erant cherubi, quod apparuerit "liber obsignatus septem sigillis," et quod ex apertis quatuor primis sigillis exiverint "equi," praeter similia alibi; ita quoque hic quod apparuerit "altare," quod "thuribulum," et quod "suffitus;" quae ad visum exhibita sunt Johanni, quia in Verbo memorantur et ibi significant Divina, et quia Verbum per similia etiam in *Apocalypsi* conscriberetur. Erant duo altaria in usu apud gentem Israeliticam, quorum unum vocabatur "altare holocausti," alterum "altare suffimenti," quod quia obductum erat auro vocabatur "altare aureum;" et altare holocausti erat repraesentativum Domini et cultus Ejus ex bono caelesti, et altare suffimenti erat repraesentativum Domini et cultus Ejus ex bono spirituali. Bonum caeleste est bonum amoris in Dominum, et bonum spirituale est bonum charitatis erga proximum. Quid autem "altaria" in genere et in specie repraesentaverunt et significaverunt, videatur supra (n. 391).

**491. "Habens thuribulum aureum."**—Quod significet conjunctionem illius boni cum bono spirituali, et sic conjunctionem

*caelorum superiorum*, constat ex significatione "thuribuli," quod sit cultus ex bono spirituali, nam is cultus per suffitum ex thuribulis repraesentabatur (videatur supra, n. 324): quod "habere thuribulum aureum" significet coniunctionem boni caelestis cum bono spirituali, est quia "angelus stans ad altare" habebat thuribulum, et per "altare" significatur cultus ex bono caelesti, et per "thuribulum aureum" bonum spirituale ex bono caelesti; "aurum" etiam significat bonum caeleste. Thuribula, quae in usu erant apud gentem Judaicam et Israeliticam, fuerunt ex aere; et per suffitiones ex illis thuribulis repraesentabatur cultus ex bono spirituali, et simul coniunctio cum bono naturali, nam "aes" significat bonum naturale; hic itaque per "thuribulum aureum" significatur coniunctio boni caelestis cum bono spirituali: quod etiam significetur coniunctio duorum caelorum superiorum, est quia bonum intimi caeli est bonum caeleste, et bonum medii caeli est bonum spirituale; quapropter cum dicitur coniunctio illorum bonorum, intelligitur quoque coniunctio caelorum, quoniam bonum facit caelum. Bonum caeleste est bonum amoris in Dominum, et facit caelum supremum seu intimum; ac bonum spirituale est bonum amoris erga proximum, et facit caelum infra illud, quod caelum secundum et medium vocatur. Quod "thus" in Verbo significet bonum spirituale, similiter "thuribulum" quod erat continens (ubi continens sumitur pro contento), constare potest a sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

"Non servire te feci per mincham, nec defatigavi per thus" (xlivi. 23):

"mincha" et "thus" dicitur, quia per "mincham," quae erat ex similagine, ita panis, significatur bonum caeleste; quare per "thus" significatur bonum spirituale: quod utrumque dicatur, est quia ubi in Verbo est conjugium boni et veri, hoc est, ubi agitur de bono etiam agitur de vero, et bonum spirituale est in sua essentia verum; ex hoc patet quod "thus" sit bonum spirituale, seu verum boni caelestis. Hoc adhuc constare potest ex aliis locis ubi simul "mincha" et "thus" dicitur:—Ut apud eundem,

"Ascendere faciens mincham, . . . offerens thus" (lxvi. 3):

apud *Jeremiam*,

"Offerent holocaustum et sacrificium, mincham et thus" (xvii. 26):

etiam "holocaustum" significat cultum ex bono amoris caelstis, et "sacrificium" cultum ex bono amoris spirituialis; quae duo bona etiam significantur per "mincham" et "thus." Similiter "mincha" et "suffimentum," nam suffimentum primario erat ex thure:—Apud *Malachiam*,

"In omni loco suffimentum allatum nomini meo et mincha munda" (i. 11):

apud *Davidem*,

"Acceptae sunt preces meae, suffimentum coram Te, sublatio manuum mearum mincha vesperae" (Ps. cxli. 2).

Ideo

Super mincham effundebatur oleum, et dabatur thus (*Levit.* ii. 1, 2, 15),

et hoc propterea, ut per mincham reprezentaretur coniunctio boni caelstis et boni spirituialis, "oleum" enim significabat bonum caeleste, et "thus" bonum spirituale.

Ideo etiam

Super panes facierum in Tabernaculo dabatur thus (*Levit.* xxiv. 7),

et hoc quoque propter coniunctionem utriusque boni; "panes" enim significabant bonum caeleste, et "thus" bonum spirituale; quare cum thus datum erat super panes, reprezentabatur coniunctio utriusque boni: propter representationem coniunctionis boni caelstis et boni spirituialis, in Tabernaculo posita erat mensa pro panibus, et ab altero latere positum erat altare pro suffitionibus. Ubi non mincha et thus dicitur, dicitur "oleum et thus," ac "aurum et thus," quoniam per "oleum" et "aurum" similiter ac per "mincham" significatur bonum caeleste. Dicitur "oleum et suffimentum" apud *Ezechielem*,

"Sumpsisti.... oleum meum, et suffimentum meum, et dedisti coram illis" (xvi. 18):

"aurum et thus," apud *Esaiam*,

"Omnes e Scheba venient, aurum et thus portabunt, et laudes Jehovae annuntiabunt" (lx. 6);

et apud *Matthaeum*,

Sapientes ab oriente, qui venerunt ad Christum recens natum, aperuerunt thesauros, et "obtulerunt munera, aurum, thus et myrrham" (ii. 11):

"aurum" significabat bonum caeleste, "thus" bonum spirituale, et "myrrha" bonum naturale inde; ita tria bona

trium caelorum. Ex his nunc constare potest quid significat quod visus sit angelus ad altare, habens thuribulum aureum, "altare" enim erat repraesentativum boni caelestis, et "thuribulum" repraesentativum boni spiritualis, et utrumque simul repraesentativum conjunctionis boni caelestis cum bono spirituali; seu quod idem, repraesentativum conjunctionis caelorum superiorum, seu caeli ubi angeli caelestes cum caelo ubi angeli spirituales.

**492. "Et dati sunt illi suffitus multi."**—Quod significet *vera in abundantia*, constat ex significatione "suffitum," quod sint vera boni spiritualis; et ex significatione "multorum," quod sit abundantia verorum, multitudo enim in Verbo praedicatur de veris, et magnitudo de bono. Quod "suffitus" significant vera, est quia per suffitiones repraesentabatur cultus ex bono spirituali, et per "thus" significabatur id bonum, ut in superiori articulo ostensum est; inde per suffitus ex thure repraesentabantur quae inde procedunt, et quae procedunt ex illo bono sunt vera; nam id bonum cogitat illa et loquitur illa, hoc est, homo ex illo bono. Est etiam bonum spirituale formatum apud hominem per vera; nam verum apud illum fit bonum spirituale quando is vivit secundum illud, videatur supra (n. 458[a]); et quod sic bonum spirituale sit in sua essentia verum (etiam supra, n. 376[a,b,c]); sed de suffitionibus et illarum significatione, actum est supra (n. 324), quae videantur.

**493. "Ut daret precibus sanctorum omnium super altare aureum quod coram throno."**—Quod significet *conjunctionem caelorum cum illis qui separandi a malis et salvandi*, constat ex significatione "dare suffitus precibus," quod sit conjungere bonum caelorum superiorum per vera cum illis qui in cultu sunt ex bono spirituali (de qua sequitur); ex significatione "sanctorum omnium," quod sint illi qui in bono sunt per vera, ita qui in bono spirituali; quod illi "sancti" dicantur, videatur supra (n. 204); et ex significatione "altaris aurei," quod sit caelum ubi bonum spirituale, id enim altare super quo fiebant suffitus vocabatur "altare aureum;" et ex significatione "coram throno," quod sit conjunctione cum caelo; quod "esse coram throno" significet conjunctionem illam, videatur supra (n. 462, 477, <sup>11</sup>489). Quod per illa verba significetur conjunctione caelorum cum illis qui separandi a malis et salvandi sunt, constare potest ex serie rerum in sensu interno, et ex nexu antecedentium cum his et cum

sequentibus, et quoque ex significatione vocum in sensu interno. Agitur enim in hoc capite et in sequentibus de statu ecclesiae ultimo, seu quando finis ejus est dum instat judicium; et antequam status ille describitur, agitur de separatione illorum qui salvandi erant, qui omnes intelliguntur per "signatos super frontibus," et per "indutos stolis albis," de quibus actum est in capite antecedente: et quia illi tunc una in societatibus fuerunt cum illis qui damnandi, ideo in hoc capite describitur medium per quod separati sunt et salvati; quod nempe caeli superiores primum arcte conjuncti fuerint cum Domino per influxum Divinum in bonum caeleste et per id in bonum spirituale, et dein per haec bona in unum conjuncta in inferiora, ubi erant illi qui salvandi et qui damnandi simul in societatibus. Hic influxus Domini e caelis superioribus receptus est ab illis qui in bono vixerunt in mundo, nam apud illos id bonum erat; quare per id conjuncti sunt caelis superioribus, et sic separati ab illis qui non recipere potuerunt influxum, quia non in bono sed in malo, quando in mundo fuerunt, vixerant. Hoc quoque est quod intelligitur per Domini verba apud *Evangelistas*,

"Tunc duo erunt in agro, unus assumetur, alter derelinquetur; duae molentes, . . . una assumetur, altera derelinquetur" (*Matth. xxiv. 40, 41; Luc. xvii. 34-36*).

Haec est series rerum in sensu interno, et nexus antecedentium cum his et cum sequentibus (de qua re videantur plura supra, n. 413, 418, 419, 426, 489). Ex his nunc videri potest quis sensus spiritualis est verborum horum "Ut daret suffitum precibus sanctorum omnium super altare aureum, quod coram throno," quod nempe sit conjunctio caelorum superiorum cum illis qui separandi a malis et salvandi. Per "preces," quibus suffitum darentur, non intelliguntur preces, sed vera ex bono per quae preces; illa enim sunt quae apud hominem precantur, et in illis precibus est homo jugiter quando in vita secundum illa. (Quod per "preces" in Verbo vera ex bono, quae apud hominem, intelligentur, et non preces oris, videatur supra, n. 325.)

**494.** [Vers. 4.] "*Et ascendit fumus suffituum precibus sanctorum de manu angeli coram Deo.*"—Quod significet *conjunctionem omnium cum Domino*, constat ex significatione "fumi suffituum," quod sint vera boni spiritualis (de qua sequitur); ex

significatione "precum sanctorum," quod sint vera ex bono apud illos qui separandi sunt a malis et salvandi (de qua mox supra, n. 493); et ex significatione "angeli" hujus, quod sit caelum (de qua supra, n. 490); inde "e manu angeli" est medio caelo: et ex significatione "coram Deo," quod sit quod conjuncti Domino (de qua supra, n. 462, 477, 488): exinde, per quod "ascendit fumus suffituum precibus sanctorum de manu angeli coram Deo" significatur conjunctio omnium cum Domino medio caelo. Quod "fumus suffituum" significet vera ex bono spirituali, est quia "thus," ex quo fumus, significabat bonum spirituale, et "ignis," quo accensum erat thus, bonum caeleste; inde "fumus" ex illis ascendens significat verum ex bono, nam ex bono procedit omne verum. Inde fumus factus est repraesentativus; fumus suffitus repraesentativus veri ex bono, qui gratus quia fragrans et suaveolens; nam per "fragrantiam" et "suaveolentiam" significabatur gratum et acceptum (videatur supra, n.<sup>11</sup> 324<sup>[a]</sup>). Simile per "fumum" significatur apud *Mosen*,

Filiis Levi "ponent fumum in nasum tuum, et holocaustum super altare tuum" (*Deuter.* xxxiii. 10):

per "filios Levi" intelliguntur qui in veris boni spiritualis sunt; illa vera significantur per "fumum," et bonum caeleste per "holocaustum." Fumus suffituum etiam vocatur "nubes suffimenti" apud *Ezechielem* (cap. viii. 11). Inde etiam "fumus" in opposito sensu significat falsum ex malo

(Apud *Esaiam*, cap. xxxiv. 10: apud *Joelem*, cap. iii. 3 [B. A. ii. 30]: apud *Nahum*, cap. ii. 14 [B. A. 13]: apud *Davidem*, Ps. xviii. 9 [B. A. 8]; Ps. xxxvii. 20);

quia "ignis," per quem ille fumus, significat malum amoris.

#### VERSUS 5, 6.

**495.** "Et accepit angelus thuribulum, et implevit illud de igne altaris, et projectit in terram, et factae sunt voces et tonitrua et fulgura et terrae motus. Et septem angeli habentes septem tubas pararunt se ut clangerent."

5. "Et accepit angelus thuribulum, et implevit illud de igne altaris," significat conjunctionem amoris caelestis et amoris spiritualis [n. 496]; "et projectit in terram," significat influxum in inferiora, ubi illi qui separandi et removendi [n. 497]; "et factae sunt voces et tonitrua et fulgura," significat ratiocinationes ex turba affectionum et inde agitationum de bono et malo ac de vero et falso [n. 498]; "et terrae motus," significat mutationes status ecclesiae [n. 499].

6. *"Et septem angeli habentes septem tubas pararunt se ut clangerent," significat mutationes in suo ordine oriundas per influxus e caelo [n. 500].*

**496.** [Vers. 5.] *"Et accepit angelus thuribulum, et implevit illud de igne altaris."*—Quod significet *conjunctionem amoris caelestis et amoris spiritualis*, constat a significatione "thuribuli," quod sit bonum spirituale (de qua supra, n. 491), inde etiam amor spiritualis, quoniam omne bonum est amoris; et ex significatione "ignis altaris," quod sit amor caelestis, per "ignem" enim in Verbo significatur amor in utroque sensu, nempe amor caelestis et amor infernal. Per "ignem altaris" significatur amor caelestis, quia altare holocausti, super quo ignis erat, principale repraesentativum cultus Domini ex illo amore fuit (videatur supra, n. 490). Et quia ille amor Domini est perpetuus, ideo statutum erat, ut ignis jugiter arderet super altari, ac ut ex illo igne sumeretur in thuribulis et suffiretur, et hoc ob repraesentationem conjunctionis amoris caelestis cum amore spirituali. Quod ignis jugiter arderet super altari, constat apud *Mosen*,

"Ignis super altari ardebit, nec extinguetur: et sacerdos accendet super eo ligna sub auroras singulas, et disponet super eo holocaustum, et adolebit super eo adipes pacificorum: ignis jugiter ardebit super altari, nec extinguetur" (*Levit. vi. 5, 6 [B. A. 12, 13]*);

per quod repraesentabatur quod Divinus Amor Domini perpetuus et aeternus sit. Quod ex igne altaris sumeretur in thuribulis et suffiretur, etiam apud *Mosen*,

"Accipiet" Aharon.... "prunas ignis desuper altari coram Jehovah in thuribulo,... et dabit suffimentum super ignem coram Jehovah" (*Levit. xvi. 12, 13*);

Et quod Aharon sumpserit ignem desuper altari, et super eum dederit suffimentum; per quod expiavit populum (*Num. xvii. 11, 12 [B. A. xvi. 46, 47]*):

per quae repraesentabatur quod omnis propitiatio et expiatio esset ex Divino Amore Domini; tum quod omne id audiretur et reciperetur a Domino, in quo ille amor est; elevatio fumi suffimenti repraesentabat etiam auditionem et receptionem. Et quia Korach, Dathan, et Abiram, et concio eorum, sumpserunt ignem ex altari et suffierunt, et inde thuribula eorum sanctificata fuerunt,

Ideo postquam illi deglutiti fuerunt e terra, mandatum est, ut colligerentur thuribula eorum, quae ex aere erant, et spargeretur ignis horum, et expanderentur in laminas, quibus tegeretur altare (*Num. xvii. 1-4 [B. A. xvi. 36-39]*);

per quod etiam repreaesentabatur sanctitas Divini Amoris Domini. Et quia suffitus sancti erant ex igne altaris, inde suffitus ex igne alieno profani erant; quare

Nadab et Abihu, filii Aharonis, consumpti sunt ex igne e caelo, quia suffierunt ex igne alieno (*Levit.* x. 1, 2):

suffitus ex igne alieno repreaesentabat cultum ex amore alio quam Divino, et cultus ex amore alio est profanus. Haec adducta sunt ut sciatur quod per "ignem altaris" significetur Divinus Amor Domini, qui Amor in caelo vocatur Divinus Amor caelestis et Divinus Amor spiritualis; Divinus Amor caelestis qui est in regno caelesti Domini, et Divinus Amor spiritualis qui est in regno spirituali Domini: sunt enim duo regna in quae omnes caeli distincti sunt, regnum caeleste et regnum spirituale; Divinus Amor caelestis facit regnum caeleste, et Divinus Amor spiritualis facit regnum spirituale. (Quod omnes caeli in duo illa regna distincti sint, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 20-28; et quod bini illi amores faciant bina illa regna, seu omnes caelos, n. 13-19.) At sciendum est quod Divinus Amor Domini in caelis dicatur caelestis et spiritualis a receptione illius ab angelis, et non ex eo quod ille in se divisus sit; tum quod amor spiritualis existat ab amore caelesti, sicut effectus a sua causa efficiente, et sicut verum a bono, nam bonum amoris spiritualis in sua essentia est verum boni amoris caelestis: inde est quod duo illa regna inter se conjuncta sint, et quod sint unum in conspectu Domini: sed haec dicta sunt illis qui interiora amant scrutari. Quod "ignis" significet amorem in utroque sensu, infra videbitur confirmatum ex Verbo.

**497. "Et projicit in terram."**—Quod significet *influxum in inferiora ubi illi qui separandi et removendi*, constat ex significatione "projicere thuribulum impletum igne altaris," quod sit influxus Divini Amoris e caelis (de qua sequitur); et ex significatione "terrae," quod sint inferiora, ubi illi qui separandi et removendi ab invicem. In mundo spirituali enim sunt terrae, sunt colles, et sunt montes; ac ibi et terrae et colles et montes habitantur; super collibus et montibus habitant angeli et sunt caeli, et super terris, quae infra colles et montes habitabant qui separandi ab invicem erant; quare "terrae" hic significant inferiora. (Quod similis sit facies in mundo spirituali quoad talia, sicut est super nostra tellure, multis ostensum est in opere *De Caelo et Inferno*, tum in opusculo *De Ultimo Iudicio*,

et quoque supra in explicationibus aliquoties.) Exinde constare potest quod per "Projicit thuribulum impletum igne altaris in terram" significetur influxus Divini Amoris e caelis in inferiora, ubi illi qui separandi et removendi: infra enim super terris ibi erant societas ubi boni simul et mali erant, qui ab invicem separandi erant antequam ultimum judicium existeret: nam a tempore Domini usque ad tempus ultimi judicii tolerati sunt omnes qui externam moralem vitam potuerunt vivere, et sic aemulari vitam spiritualem ad apparentiam: (quod tolerati sint usque ad judicium, et cur tolerati sunt, videatur in opusculo *De Ultimo Judicio*, n. 59, 69, 70; et quod ex illis formatum fuerit "prius caelum," quod destruetum est, in codem opusculo, n. 65-72:) et quia in iisdem societatibus, seu in priori caelo, etiam fuerunt simplices boni, quidam una cum illis ibi, quidam alibi sed cum illis conjuncti per externum sanctum et pium, et tamen boni separandi erant a malis ante judicium, ut illi elevarentur in caelum ac mali conjicerentur in infernum, ac separatio facta est per influxum Divini Boni et Veri e caelis in inferiora ubi omnes illi erant, inde constare potest quod per "Projicit thuribulum impletum igne altaris" significetur ille influxus in inferiora. (De operatione illius influxus apud bonos, et de operatione ejus apud malos, videatur supra, n. 413, 418[a], 419, 426, 489, 493.)

**498.** "*Et factae sunt voces et tonitrua et fulgura.*"—Quod significet ratiocinationes ex turba affectionum et inde cogitationum de bono et malo ac de vero et falso, constat ex significatione "vocum," quod sint ratiocinationes (de qua sequitur); et ex significatione "tonitruum et fulgorum," quod sint conflictus et turbae affectionum et inde cogitationum de bono et malo ac de vero et falso. Causa talium conflictuum et turbarum, est quod per influxum e caelis claudantur externa apud malos et aperiuntur interna, et externa fuerunt quae simulaverunt bona et vera, at interna quae cogitaverunt mala et falsa; inde clausis externis et apertis internis illorum oritur conflictus et turba affectionum et cogitationum de bono et malo ac de vero et falso, et inde ratiocinationes: talia in mundo spirituali audiuntur ut voces multitudinis murmurantis, stridentis, minantis et pugnantis; et apparent ad distantiam inde, ubi illa non audiuntur, sicut tonitrua et fulgura, ut tonitrua ex conflictu affectionum, ac ut fulgura ex conflictu cogitationum inde. Quoniam haec oriuntur ex defluxu Divini Boni et Veri e caelis

superioribus in inferiora, inde voces, tonitrua et fulgura, cum audiuntur et conspiciuntur a bonis, significant Divinum Verum quoad perceptionem et illustrationem (de qua illorum significacione, videatur supra, n. 273, 353): aliter vero cum illa audiuntur et conspiciuntur a malis.

**499.** “*Et terrae motus.*”—Quod significet *mutationes status ecclesiae*, constat ex significacione “terrae motuum,” quod sint mutationes status ecclesiae, de qua supra, n. 400. Quod in mundo spirituali terrae commoveantur, colles et montes concutiantur, quando status ecclesiae ibi mutatur in pejus, ac malum et falsum ibi dominari incipit, videatur in loco nunc citato. <sup>[1]</sup>Causa, quod terrae motus in mundo spirituali fiant, est quia omnes terrae ibi sunt ex origine spirituali, ac mutantur cum mutatione ecclesiae apud illos: sunt pulchrae ac plenaे paradisis, floretis et viretis, ubi ecclesia floret; at sunt impulchrae, ac plenaе desertis et petris, ubi ecclesia perversa est; ac mutatur prorsus sicut ecclesia deflectit a bono et vero in malum et falsum; sed hoc fit solum in inferioribus. (De qua re etiam videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 156, et alibi.) Quia terrae ibi ex tali origine sunt, constare potest quod terrae motus existant ubi status ecclesiae mutatur.

**500.** [1*vers. 6.*] “*Et septem angeli habentes septem tubas pararunt se ut clangerent.*”—Quod significet *mutationes in suo ordine oriundas per influxus e caelo*, constat ex significacione “septem angelorum” qui “coram Deo steterunt,” quod sint caeli conjuncti Domino interius et arctius (de qua supra, n. 488); et ex significacione “clangere tubis,” quod sint influxus et inde mutationes status et separationes (de qua etiam supra, n. 489): et quia in nunc sequentibus agitur ordine de mutationibus status oriundis ex influxibus e caelo, ideo per quod “septem angeli habentes septem tubas pararint se ut clangerent,” id significatur.

## VERSUS 7.

**501.** “*Et primus angelus clanxit, et facta est grando et ignis mixta sanguine, et missa in terram, et tertia pars arborum combusta est, et omne gramen viride combustum est.*”

7. “*Et primus angelus clanxit,*” significat *influxum e caelo, et inde primam mutationem* [n. 502]; “*et facta est grando et ignis mixta sanguine,*” significat *falsum et malum infernale destruens, commixtum veris et bonis Verbi, quibus violentia illata* [n. 503, 504]; “*et missa in terram,*”

significat progressionem ad inferiora [n. 505]; "et tertia pars arborum combusta est," significat quod perceptiones et cognitiones veri et boni per cupiditates oriundas ex malis amoribus perierint [n. 506]; "et omne gramen viride combustum est," significat quod per eorundem amorum cupiditates etiam omne scientificum verum perierit [n. 507].

**502[a].** [Vers. 7.] *"Et primus angelus clanxit."*—Quod significet influxum e caelo, et inde primam mutationem, constat ex significatione "clangere tuba," quod sit influxus Divini Veri e caelo; et quia prima mutatio inde existens nunc describitur, etiam haec significatur. Quod "clangere tuba" significet influxum Divini Veri e caelo, est quia dum e caelo defluit Divinum Verum, in mundo spirituali quandoque auditur ut sonus buccinae et ut clangor tubae, et quoque ab illis qui infra stant conspicuntur sicut angeli habentes tubas; sed haec sunt repraesentationes et apparentiae, quales existunt infra caelos, est enim Divinum Verum descendens seu defluens e caelo versus inferiora quod sic repraesentatur; inde nunc est quod "clangere tuba" significet defluxum Divini Veri ex caelo. Ille defluxus, quando fortis est, alium effectum edit apud bonos et alium apud malos; apud bonos illustrat intellectum, conjungit illos arctius caelo, et inde animos laetificat et vivificat; apud malos autem perturbat intellectum, separat a caelo, conjungit arctius inferno, ac animis inducit terror, ac tandem infert mortem spiritualem. Exinde patet quod per "clangere tuba" quoad effectum significetur revelatio et manifestatio Divini Veri (ut supra, n. 55, 262); et in opposito sensu deprivatio veri et desolatio. Quoniam nunc memoratur quod angeli septies clanxerint, necessum est ut ex Verbo ostendatur quid "clangere" significat, et inde cur dicitur quod "angelus clanxerit." Quod "clangere tubis" et "buccinis" significet revelationem Divini Veri et manifestationem ejus, constat ex sono buccinae auditio cum Jehovah descendit super Montem Sinai et promulgavit Legem; de qua re ita apud *Mosen*,

"Fuit in die tertio, in fieri mane, et fuit, voces et fulgura et nubes graves super Monte" Sinai, "et vox buccinae vehemens valde, et trepidabat omnis populus qui in castris, . . . cum descendit Jehovah super illum in igne; . . . et fuit vox buccinae vadens et fortificans se valde; . . . et dixit Jehovah ad Mosen, Descende, obtestare populum, ne forte perrumpant ad Jehovah ad videndum, et cadat de eo multus" (*Exod. xix. 16-25*):

per "Legem," quae tunc promulgabatur, significatur Di-

vinum Verum; per "vocem buccinae" repraesentabatur ejus defluxus e caelo et manifestatio; per quod "vox buccinae vaderet et se fortificaret valde" repraesentabatur ejus increscentia versus inferiora, nam dicitur quod "populus steterit in inferioribus montis;" quod "populus trepidaret valde," et admoneretur "ut non propius ad montem accederent, ne perirent," significabat effectum Divini Veri defluentis apud tales quales filii Jacobi erant. Quod prorsus interius mali, constare potest ex cultu vituli post mensem dierum, et periissent si non e longinquo stetissent; inde illis terror mortis. Quod "clangere buccinis" et "tubis" repraesentaverit et inde significaverit Divinum Verum e caelo descendens et influens, constare potest ex institutione et usu tubarum apud filios Israelis; statutum enim erat

Ut tubae ex argento conficerentur, et quod filii Aharonis illis clangerent ad convocationes, ad profectiones, in diebus laetitiae, in festis, in principiis mensium, super sacrificiis, in memoriale, et ad bellum (*Num. x. 8-10*):

quod "ex argento" conficerentur, erat quia "argentum" significat verum ex bono, ita Divinum Verum; (quod argenteum id significet, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 1551, 1552, 2954, 5658;) quod "filii Aharonis illis clangerent," erat causa, quia ipse Aharon ut Summus Sacerdos repraesentabat Dominum quoad Divinum Bonum, et filii ejus Dominum quoad Divinum Verum (videatur etiam in *Arcanis Caelestibus*, n. 9806, 9807, 9966, 10017). Quod "ad convocationes et profectiones," erat quia Divinum Verum convocat, congregat, vias docet et dicit: quod "clangent in diebus laetitiae, in festis, in principiis mensium, et super sacrificiis," erat quia Divinum Verum descendens e caelo laetificat et facit sanctum cultus; quod "clangent etiam ad bella et ad proelia" significabat quod Divinum Verum defluens e caelo apud malos, qui in Verbo sunt "hostes," incutiat terrorem mortis, profuget et dissipet; in quo sensu, et ob quem effectum, hic dicitur quod "septem angeli suo ordine clangerint."

[b.] Quoniam statutum fuit ut tubis clangerent ad convocationes, ideo a Domino dicitur apud *Matthaeum*,

Quod "mittet angelos suos cum tubae voce magna, et congregabunt electos Ipsius a quatuor ventis, a terminis caelorum usque ad terminos eorum" (xxiv. 31);

et ibi per "angelos cum tubae voce magna" significatur Divinum Verum quod revelandum quando consummatum est saeculum, hoc est, quando finis ecclesiae venturus est. Et apud *Esaiam*,

"In die illo clangetur buccina magna, et venient pereuntes in terra Aschuris, et expulsi e terra Aegypti, et incurvabunt se Jehovae in monte sanctitatis, in Hierosolyma" (xxvii. 13):

haec dicta sunt de adventu Domini; convocatio ad ecclesiam et salvatio a Domino significatur per quod "in die illo clangetur buccina magna," et quod "venient pereuntes in terra Aschuris, et expulsi e terra Aegypti;" "clangere buccina" significat Divinum Verum convocans et salvans; "pereuntes in terra Aschuris" sunt qui decepti per rationes falsa, et "expulsi e terra Aegypti" sunt qui per scientia, ita gentes quae in falsis ex ignorantia veri fuerunt: quod illi adoraturi Dominum ex amore et in veritate, significatur per quod "incurvabunt se Jehovae in monte sanctitatis, in Hierosolyma;" per "montem sanctitatis" significatur ecclesia quoad bonum amoris, proinde etiam bonum amoris ecclesiae, et per "Hierosolymam" significatur ecclesia quoad verum doctrinae, proinde verum doctrinae ecclesiae: ex his etiam patet quod per "clangere buccina" significetur Divinum Verum e caelo descendens. Quoniam Divinum Verum descendens a Domino per caelos laetificat corda, ac infundit sanctum cultus, ac ideo in diebus laetitiae et in festis clangebatur tubis, quare dicitur apud *Davidem*,

"Cantate Jehovah cithara, cithara et voce cantus, tubis et voce buccinae, clangite coram Rege Jehovah" (Ps. xcvi. 5, 6);

apud *Zephaniam*,

"Canta, filia Zionis; clange, Israel; laetare et exulta ex omni corde, filia Hierosolymae" (I*liii*. 14):

haec de instauratione ecclesiae a Domino; "tubae," "vox buccinae," et "clangere," significant gaudium propter Divinum Verum descendens e caelo. Apud *Hiobum*,

"Cum canunt stellae matutae, et clangunt omnes filii Dei" (xxxviii. 7);

haec dicta sunt de statu ecclesiac in principio, ac per "stellas" significantur cognitiones veri et boni, et per "filios Dei" Divina vera; gaudium illorum, hoc est, homi-

num ex illis, significatur per quod “canant” et “clangant.” Apud *Davidem*,

“Laudate” Deum “cum clangore buccinae” (*Ps. cl. 3*):

et apud eundem,

“Beatus populus eorum qui clangorem norunt, Jehovah, in luce faciem tuarum ambulabunt” (*Ps. lxxxix. 16 [B. A. 15]*):

per “clangorem buccinae” significatur Divinum Verum laetificans cor; quare etiam dicitur, “lux facierum tuarum,” per quam significatur Divinum Verum. Quod “voces buccinae” et “clangores tubarum” significant Divina vera descendentia e caelo, et terrificantia malos et dissipantia illos, ut hic in *Apocalypsi* per “tubas” quibus septem angeli clanxerunt, constat apud *Esaiam*,

“Jehovah sicut [<sup>[1]</sup>] Leo exibit, sicut vir bellorum excitabit zelum, clanget, etiamque clamabit, super hostes suos invalescat” (*xlii. 13*);

“hostes” sunt mali. Apud *Foelem*,

“Clangite buccina in Zione, et clangite in monte sanctitatis meae, cohorrescant omnes habitatores terrae, quia venit dies Jehovah,.... dies tenebrarum et caliginis” (*ii. 1, 2*);

“dies Jehovah” est adventus Domini, quando etiam ultimum judicium super malos. Apud *Sachariam*,

“Jehovah super iis apparebit, et exibit sicut fulgur telum Ejus, et Dominus Jehovah buccina clanget, et incedet in procellis meridiei” (*ix. 14*);

etiam haec de adventu Domini, quando mali perituri; per “clangere buccina” significatur per Divinum Verum dispergere; etiam per “telum” quod “sicut fulgur exibit” significatur verum dispergens et destruens.

Simile significatur per “clangere buccina” apud *Jeremiam* (cap. li. 27), et apud *Hoscheam* (cap. v. 8, 9).

Quoniam mali, ubi simul congregati sunt in mundo spirituali, per influxum Divini Boni ac Divini Veri, deprivantur veris et bonis quae simulaverunt in externis, ac immittuntur in sua mala et falsa quae intus foverunt, et sic separantur a bonis ac dejiciuntur in inferna, et quia, cum hoc fit, auditur a distantibus sicut buccinae et tubae clangentes, ut supra aliquoties dictum est, ideo apud filios Israelis statutum fuit ut clangerent tubis ad proelia; quod etiam factum legitur a Pinchaso, tum a Guideone, pugnantibus

contra Midianitas, et quoque quando Jericho capta est.  
De Pinchaso legitur apud *Mosen*,

Quod miserit Moseh duodecim millia armatos, mille e tribu, cum vasis sanctitatis et tubis in manu Pinchasi filii Eleasaris sacerdotis, contra Midianem, et occiderunt omnem masculum et reges eorum (*Num. xxxi. 1-8*).

De Guideone, in *Libro Iudicum*,

Quod Guideon divisorit trecentos viros in tria agmina, et dederit buccinam in manum cuiusque, et hydrias vacuas et faces in medio hydriarum; et dixerit,.... Cum clanxero buccina, ego et omnes qui mecum, clangetis buccinis etiam vos circum universa castra; .... et cum clanxerunt buccinis, posuit Jehovah gladium viri contra socium ejus, et contra universa castra, et fugerunt Midianitae (vii. 16-22).

Et de Jericho, quando capta est, apud *Fosuam*,

Mandatum quod septem sacerdotes portarent septem buccinas jubilantes coram arca, et circumirent urbem sex diebus, una vice quovis die, at die septimo circumirent urbem septem vicibus, et clangerent buccinis:.... "et cum audivit populus in Jericho vocem buccinae, et vociferationes populi, cecidit murus urbis sub se, et ascendit populus in urbem, et cepit illam" (vi. 1-20):

per haec repraesentata est profligatio malorum in mundo spirituali, quae fit per Divinum Verum e caelo, quod cum defluit, auditur ibi sicut buccina clangens, ut supra dictum est. Omnia miracula memorata in Verbo repraesentativa sunt et inde significativa Divinorum in caelis: inde effectus clangoris buccinarum contra hostes in terra similis fuit effectui contra malos in mundo spirituali; per "hostes" enim in Verbo repraesentabantur et inde significantur mali, per "Midianitas" qui in falsis mali, et per "Jericho" urbem ibi falsificatio cognitionum veri. Ex his constare potest quid significatur per haec apud *Jeremiam*,

"Clangite contra" Babelem "circum circa, dedit manum suam, cedderunt fundamenta ejus, destructi sunt muri ejus" (l. [1]15):

et apud *Zephaniam*,

"Dies vastationis et devastationis, dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et obnubilationis, dies buccinae et clangoris super urbes munitas, et super angulos altos" (i. 15, 16).

Ex his nunc constare potest quid significatur per quod "septem angeli clanxerint tubis," et quod tales effectus, quales describuntur, inde resultaverint; et sic quod "clangere tubis" significet influxum Divini Veri e caelo, ac

mutationes inde oriundas ; agitur enim in hoc capite *Apocalypses*, et in sequentibus, de statu ecclesiae in mundo spirituali ante judicium, ac de malorum dissipatione et conjectione in infernum.

**503[a].** “*Et facta est grando et ignis mixta sanguine.*”—Quod significet *falsum et malum infernale destruens, commixtum veris et bonis Verbi, quibus violentia illata*, constat ex significatione “*grandinis*,” quod sit falsum infernale destruens (de qua sequitur) ; ex significatione “*ignis*,” quod sit malum infernale destruens (de qua etiam sequitur) ; et ex significatione “*sanguinis*,” quod sit Divinum Verum, hic cui violentia illata, ita Divinum Verum falsificatum, quia dicitur “*grando et ignis mixta sanguine.*” Quod “*sanguis*” significet Divinum Verum procedens a Domino, et receptum ab homine, et in opposito sensu destructionem ejus per falsa mali, et sic violentiam ei illatam, videatur supra (n. 329). Quod “*grando*” et “*ignis*” significant falsum et malum destruens, est quoque ex apparentiis in mundo spirituali, quando ibi Divinum Verum e caelo defluit, ac influit in sphæram ubi illi qui in falsis ex malo sunt, et cupiunt destruere vera et bona ecclesiae ; tunc apparet illis qui e longinquō stant sicut deplūtio grandinis et ignis, ex falsis apud illos sicut deplūtio grandinis, et ex malis sicut deplūtio ignis : causa est quia Divinum Verum, cum influit in sphæram ubi falsa et mala sunt, mutatur in simile quod in sphæra ; nam omnis influxus mutatur in subiecto recipiente secundum quale ejus, sicut lux solis in subiecta nigra, et calor solis in subiecta putida ; ita Divinum Verum, quod est lux caeli, et Divinum Bonum, quod est calor caeli, in subiecta mala, quae sunt spiritus qui in falsis ex malo sunt ; exinde est apparentia illa : ex eo est quod “*grando*” et “*ignis*” in Verbo talia significant, nam sensus litterae Verbo quoad maximam partem est ex apparentiis in mundo spirituali. Quod “*grando*” significet falsum infernale destruens verum ecclesiae, constare potest ex Verbo alibi, ubi destrūctio veri per “*grandinem*” describitur :—Ut in Aegypto, cum Pharaō non voluit dimittere populum Israēlem, de qua re ita apud *Mosen*,

Dixit Moseh ad Pharaonem quod plueret grando gravis valde, qualis non fuerat in Aegypto, . . . “et erit grando super hominem et super bestiam, et super omnem herbam agri in terra Aegypti. Et exten-

dit Moseh baculum ad caelum, et Jehovah dedit voces et grandinem; et ambulavit ignis ad terram; et pluere fecit Jehovah grandinem super terram Aegypti, et fuit grando, et ignis simul ambulans in medio grandinis gravis valde....; et percussit grando, ....omne quod in agro, ab homine usque ad bestiam; et omnem herbam agri percussit grando, et omnem arborem agri confregit; tantum in [terra] Goschen, ubi erant filii Israelis, non erat grando: ....et linum et hordeum percussum est, quia hordeum spica maturescens, et linum culmus: et triticum et zea non percussa sunt, quia abdita illa" (*Exod. ix. 18-35*):

similia per "grandinem in Aegypto" significantur, quae per "grandinem" hic in *Apocalypsi*; quare etiam plura similia dicuntur; ut quod "grando et ignis simul ambulaverint," quod "percussa sit herba agri et confractae arbores:" quod plura similia hic memorentur, est quia similia per plagas Aegypti significantur quae per plagas in *Apocalypsi* factas dum septem angeli clanxerunt; per "Aegyptios" enim significabantur mere naturales homines, per "filios Israelis" spirituales homines, per "plagas Aegypti" illae mutationes quae praecedunt ante ultimum judicium, similiter ut hic in *Apocalypsi*; nam per immersionem Pharaonis et Aegyptiorum in Mare Suph repraesentabatur ultimum judicium et damnatio. Inde nunc est quod per "grandinem" et "ignem" ibi etiam significantur falsa et mala destruentia ecclesiam. (Sed illa videantur explicata in *Arcanis Caelestibus*, n. 7553-7619.) Simile itaque significatur per "grandinem" et "prunas" seu ignem, apud *Davidem*,

"Percussit grandine vitem eorum, et sycomoros eorum grandine gravi, et conclusit grandine bestiam eorum, et pecora eorum prunis: misit in eos excandescientiam irae suae,....immissionem angelorum malorum" (*Ps. [V]lxxviii. 47-49*):

quia "grando" significat falsum destruens vera ecclesiae, ideo dicitur "Percussit grandine vitem eorum, et sycomoros grandine gravi;" nam per "vitem" significatur verum spirituale ecclesiae, et per "sycomorum" verum naturale ejus: et quia per "prunas" seu ignem significatur amor mali et ejus ardor destruendi bona ecclesiae, ideo dicitur "Conclusit grandine bestiam eorum, et pecora eorum prunis;" per "bestiam" et "pecora" significantur affectiones malae seu cupiditates ex amore malo oriundae, et per "prunas" seu ignem cupiditas et ardor destruendi: per "immissionem angelorum malorum" significatur falsum mali ex inferno. Apud eundem,

"Dedit pluvias eorum grandinem, ignem flammam in terra eorum, et percussit vitem eorum et ficum eorum, et confregit arborem termini eorum" (Ps. cv. 32, 33):

etiam haec de "grandine Aegypti," per quam significatur falsum infernale destruens vera ecclesiae; et per "vitem" et "ficum" hic quoque similia significantur quae supra per "vitem" et "sycomoros;" per "vitem" verum spirituale, et per "ficum" verum naturale, utrumque ecclesiae: et per "arborem" significantur perceptiones et cognitiones veri et boni.

[b.] Simile per "grandinem" etiam significatur apud *Josuam*, cum pugnavit contra quinque reges Emorraeorum, de quibus ita,

"Factum est, cum fugerent" reges "coram Israele, illi in descensu Bethchoronis, et Jehovah projecit super eos lapides grandinis magnos e caelis ad Asekam....; et plures mortui sunt ex lapidibus grandinis quam quos occiderunt filii Israelis gladio" (*Jos.* x. 11):

quoniam historica Verbi aequa repraesentativa sunt, ac sensum internum continent, ac prophetica, ideo etiam quae memorantur de quinque regibus Emorraeorum, et de pugna filiorum Israelis cum illis; per "gentes" enim e terra Canaane expulsas significabantur mali qui e regno Domini ejiciendi; et per "filios Israelis" illi quibus daretur regnum possidendum; nam per "terram Canaanem" significabatur caelum et ecclesia, ita regnum Domini: inde per "quinque reges Emorraeorum" significabantur illi qui in falsis mali sunt, ac volunt destruere vera boni ecclesiae; propterea factum est quod illi per "lapides grandinis e caelo occiderentur," hoc est, per suam falsam mali destruerentur et perirent; nam mali per sua mala et falsa, per quae destruere volunt vera et bona ecclesiae, ipsi pereunt. Apud *Davidem*,

"A splendore ante Ipsum nubes Ejus transiverunt, grandine et prunis ignis; tonavit in caelis Jehovah, et Altissimus dedit vocem suam, grandinem et prunas ignis: et misit tela sua, et dispersit illos, et fulmina multa, et conturbavit illos" (Ps. xviii. 13-15 [*B. A.* 12-14]):

hic per "grandinem" et "ignem" similia significantur quae per "grandinem" et "ignem" hic in *Apocalypsi*, nempe falsa et mala destruentia vera et bona ecclesiae: quod dicatur quod illa "a Jehovah," est quia Divinum Verum descendens e caelo vertitur in falsa infernalia apud malos, ut supra dictum est; ex qua conversione existunt plures

apparentiae, sicut quod defluat grando et ignis, cum tamen haec non e caelo a Domino, sed ab illis qui in falsis mali sunt, qui convertunt influxum Divini Veri et Boni in falsum mali. Datum etiam est mihi conversiones illas appercipere, quando Divinum Verum e caelo in aliquod infernum defluxit; vertebatur in via successive in falsum mali, quale fuit apud illos; prorsus sicut calor solis dum cadit in stercorea, et lux solis in subjecta quae radios ejus vertunt in tetros colores; aut sicut lux et calor solis in terris putidis paludinosis producit herbas noxias quae nutriunt serpentes, at in terris bonis producit arbores et gramina, quae nutrit homines et utiles bestias; lux et calor solis non in causa sunt quod in putidis terris producantur tales effectus, sed sunt ipsae quae tales, et tamen effectus illi adscribi possunt solis igni et aestui. Ex his constare potest ex qua origine appetit grando et ignis in mundo spirituali, et unde quod dicatur quod "Jehovah pluere faciat illa," cum tamen a Jehovah non nisi quam bonum; et quando Jehovah, hoc est, Dominus, fortem reddit influxum, non est ut perdat malos, sed ut eripiat ac tutetur bonos; conjungit enim sic bonos Sibi arctius et interius, et inde separantur a malis, ac mali pereunt; nam si non separarentur mali, perirent boni, ac interiret caelum angelicum. Similia per "grandinem" et per "pluviam grandinis" significantur in sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

"Vae coronae superbiae, ebriis Ephraimi;....ecce fortis et robustus Dominus, sicut inundatio grandinis, procella caedis" (xxviii. 1, 2);

*apud eundem*,

"Evertet grando refugium mendacii et latibulum aquae inundabunt" (xxviii. 17);

*apud eundem*,

"Tunc audiri faciet Jehovah gloriam vocis suae, et quietem brachium Ejus videre faciet, in indignatione irae et flamma ignis comedentis, dispersione et inundatione, et lapide grandinis" (xxx. 30, 31);

*apud eundem*,

"Grandinabit, donec descenderit silva, et cum humilitate humiliaverit se urbs" (xxxii. 19);

*apud Ezechielem*,

"Disceptabo cum Gogo "peste et sanguine, et pluviam inundantem et lapides grandinis, ignem et sulphur faciam pluere super eum" (xxviii. 22);

in *Apocalypsi*,

“Tunc apertum est templum Dei in caelo, et visa est arca foederis in templo Ejus, et facta sunt fulgura et voces et tonitrua, et terrae motus, et grando magna” (*xi. 19*) ;

et alibi,

“Grando magna quasi talenti pondo descendit e caelo super homines ; quare blasphemarunt homines Deum praे plaga grandinis, quia magna erat plaga ejus valde ([*Apoc.*] *xvi. 21*) .

Inde illi qui in falsis mali sunt, vocantur “lapides grandinis” apud *Ezechielem*,

“Dic ad incrustantes ineptum quod cadet ; fiet pluvia inundans, qua vos, lapides grandinis, cadent” (*xiii. 11*) :

per “incrustantes ineptum” significantur qui falsa confirmant, ut extrinsecus appareant sicut vera ; illi dicuntur “lapides grandinis,” quia sic destruunt vera ; dispersio talium falsorum significatur per “pluviam inundantem.” Apud *Hiobum*,

“Num venisti ad thesauros nivis, et thesauros grandinis vidisti ? Quae inhibeo in tempus... proelii et belli ; quae via qua diffunditur lux ?” (*xxxviii. 22-24* :)

quaeritur Hiob a Jehovah de pluribus num illa sciat ; sed illa de quibus quaeritur, significant talia quae caeli et ecclesiae sunt ; et per “Num venisti ad thesauros nivis, et vidisti thesauros grandinis ?” significatur num sciat unde depravatio veri et destructio ejus per falsa mali, quae in mundo spirituali appetit sicut lapsus nivis et grandinis e caelis ibi ; quod talia appareant quando mali dispergendi, significatur per “quae inhibeo in tempus proelii et belli ;” inde etiam dicitur, “quae via qua diffunditur lux,” per quod significatur quo progressu verum insinuatur (“lux” est verum). Quod “grando” significet falsum mali, ac “pluvia grandinis” destructionem veri, est quia grando in se frigida est, et non sustinet calorem caeli, ac “frigidum” significat deprivationem boni amoris, et “calor” in caelo angelico est bonum amoris (videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 126-140) ; tum quia “lapides” in Verbo significant vera, ac in opposito sensu falsa, et grando magna appetit consistere sicut ex lapidibus e caelo dejectis, qui destruunt messes et herbas agri, tum etiam animalia minora, sicut forent lapides ; inde etiam dicitur “lapis grandinis.” (Quod “lapides” in Verbo significant vera, ac in opposito sensu falsa, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 643, 1298, 3720, 6426, 8609, 10376.)

**504[a].** Hactenus ostensum est quid significatur per "grandinem;" superest etiam ut ostendatur quid significatur per "ignem." Per "ignem" in Verbo significatur bonum amoris caelestis, ac per "flammam" bonum amoris spiritualis; in opposito autem sensu per "ignem" significatur malum oriundum ex amore sui, ac per "flammam" malum oriundum ex amore mundi. Sciendum est quod omnia bona quaecunque sunt, suam existentiam ducant ex amore caelesti et ex amore spirituali; et quod omnia mala quaecunque sunt, suam existentiam ducant ex amore sui et ex amore mundi; et quia amor in utroque sensu per "ignem" in Verbo significatur, ideo etiam omne bonum et omne malum, quae ex amoribus illis binis existunt. Quoniam in Verbo "ignis" dicitur et de caelo et de inferno, et adhuc ignotum est quod amor per "ignem" ibi significetur, velim plura loca e Verbo afferre, ut in lucem mittatur quod per "ignem" in bono sensu ibi intelligatur amor caelestis, et in malo sensu amor infernalis. Quod per "ignem" in Verbo significetur amor caelestis patet primum ex significacione "ignis altaris," quod sit amor caelestis, seu amor in Dominum (videatur supra, n. 496); et quod similiter "ignis" non altaris, constare potest ex sequentibus locis:—Apud Ezechiem,

"Vidi cum ecce ventus procellae venit ex septentrione, nubes magna, et ignis in se ipsum se recipiens, cui splendor circumcirca, et quasi species prunae <sup>[1]</sup>in medio ignis: et e medio ejus similitudo quatuor animalium: . . . aspectus animalium sicut prunae ignis <sup>[2]</sup>ardentes juxta aspectum lampadum; idem incedens inter animalia; ita ut splendor igni, et ex igne exiens fulgor. . . . Supra expansum, quod super capite eorum, erat. . . . similitudo throni, super quo aspectus hominis: . . . et vidi sicut speciem prunae juxta speciem ignis intra <sup>[3]</sup>illam circumcirca, ab aspectu lumborum Ejus et sursum, et ab aspectu lumborum Ejus et deorsum vidi quasi aspectum ignis, cui splendor circumcirca" (i. 4, [5,] 13, 26, 27; cap. <sup>[4]</sup>viii. 2):

per "cherubos," qui visi sicut animalia, intelligitur Dominus quoad Divinam providentiam, et quoad custodiam ne adeatur nisi quam per bonum amoris; et quia ipsa custodia est in caelis, ac praecipue in caelo intimo seu tertio, ideo quoque hoc caelum per "cherubos" significatur (videatur supra, n. 152, 277, 313, 322, 362, 462): et quia tertium caelum imprimis per illos significatur, ac Dominus est supra caelos, ideo quoque visus est Dominus "super throno, supra cherubos:" quod itaque "ignis" visus sit in medio cherborum,

cui splendor circumcirca, et ex quo fulgur, et quoque circa thronum, et a lumbis Sedentis super illo sursum et deorsum, significet Divinum Amorem caelestem, patet; nam Ipse Dominus est Divinus Amor, et quicquid procedit ex Domino procedit ex Divino Ipsius Amore; hic itaque est "ignis" cui splendor circumcirca. Similiter apud *Daniellem*,

"Venit ad Antiquum dierum....: ....vestis Ejus sicut nix alba, et crinis capitis Ejus sicut lana munda; thronus Ejus flamma ignis, rotæ Ejus ignis ardens; flumen ignis emanans et exiens ex illo" (vii. [13.] 9, 10):

per "Antiquum dierum" etiam intelligitur Dominus; per "Filium hominis" ibi Dominus quoad Divinum Verum, et per "Antiquum dierum" Dominus quoad Divinum Bonum seu Divinum Amorem, qui "Antiquus dierum" dicitur ex tempore antiquissimo, quando ecclesia caelestis erat, quae in amore in Dominum fuit: illa ecclesia, et caelum ex illis qui inde fuerunt, intelligitur per "thronum," qui sicut "flamma ignis;" per "rotas" autem, quae sicut "ignis ardens," significatur doctrina amoris caelestis; ipse Divinus Amor procedens ex Domino significatur per "ignem emanantem et exeuntem a coram Ipsi." Memoratur etiam a Daniele quod ei visus sit

"Vir indutus linteis, cuius lumbi cincti auro Uphasi, et corpus Ejus sicut Tharschisch, et facies Ejus sicut aspectus fulgoris, et oculi Ejus sicut faces ignis; et brachia et pedes Ejus sicut splendor aeris levigati" (x. 5, 6).

Quod Dominus fuerit qui ita visus Danieli, constare potest ex *Apocalypsi*, ubi Dominus coram Johanne paene similiter repraesentatus est, de Quo ita,

"In medio septem candelabrorum similis Filio hominis,...circumcinctus ad ubera zona aurea; caput Ipsius et capilli albi sicut lana alba, sicut nix, et oculi Ejus sicut flamma ignis; pedes Ejus similes chalcolibano quasi in camino igniti facti;....aspectus Ejus sicut sol" (i. 13-16; cap. ii. 18):

ex descriptione paene simili "Filii hominis" visi Johanni in medio septem candelabrorum, ac "Viri induti linteis," tum "Antiqui dierum" visi Danieli, patet quod sit Dominus qui utrique visus est; quod "facies Ipsius visa sit sicut fulgur, et oculi sicut flamma ignis," significat Divinum Domini Amorem; facies enim apud hominem est imago re-

praesentativa affectionis quae amoris ejus ; et oculi imprimis, nam ex illis amor elucet, scintillant enim inde sicut ex igne. Etiam de Sedente super Equo albo dicitur quod

Oculi Ipsius visi sint sicut flamma ignis (*Apoc. xix. 12*) :

quod sit Dominus quoad Verbum qui ibi repraesentatus est sedens super Equo albo, constat, nam dicitur quod Sedens super Equo albo appelleatur "Verbum Dei," et quod sit "Rex regum, et Dominus dominorum." Quoniam per "ignem" significatur Divinus Amor, ideo

Dominus visus est Mosi super Monte Chorebo in rubo in igne (*Exod. iii. 1-3*) :

ac ideo quoque Dominus visus est Mosi et universo populo Israelitico, cum descenderet super Montem Sinai, "in igne;" de quo ita apud *Mosen*,

"Mons Sinai totus fumabat, propterea quod descendit super eum Jehovah in igne, adeo ut ascenderet fumus ejus sicut fumus fornacis" (*Exod. xix. 18* ; *Deutr. iv. 36*) :

per "ignem" visum etiam ibi repraesentatus est Divinus Amor. Quoniam "ignis" in supremo sensu significat Divinum Amorem Domini, ideo mandatum est ut ignis jugiter arderet super altari, et quod ex illo igne sumeretur ad suffitus : ex hoc erat quod apud Graecos et Romanos inter religiosa eorum fuerit ignis perpetuus, cui praeerant Virgines Vestales ; quod etiam illi coluerint ignem ut sanctum, duxerunt ab Ecclesiis Antiquis, quae fuerunt in Asia, quarum omnia cultus repraesentativa erant. Quoniam "ignis" in supremo sensu significat Divinum Amorem, ideo quoque in Tentorio conventus positum erat candelabrum in quo septem lucernae, quae jugiter arderent ; de quo ita apud *Mosen*,

"Praecipe filiis Israelis ut adferant ad te oleum olivae [purum] contum pro candelabro, ad ascendere faciendum lucernas jugiter : . . . ordinabit illud Aharon a vespera usque ad mane coram Jehovah jugiter : . . . super candelabro mundo ordinabit lucernas coram Jehovah jugiter" (*Levit. xxiv. 2-4*) :

(Et de ipso candelabro, *Exod. xxv. 31* ad fin. ; cap. *xxxvii. 17-24* ; cap. *xl. 24, 25* ; *Num. viii. 2-4*.)

Simile significatur per "septem lampades ignis" ardentes coram throno Dei (*Apoc. iv. 1<sup>15</sup>*) :

sed per "ignem altaris" significabatur Divinus Amor caelestis ; et per "ignem candelabri," qui erat flamma, signifi-

cabatur Divinus Amor spiritualis. Inde etiam est quod per "oleum" ex quo ignis flammae in lucernis candelabri significetur Divinus Amor; ita per "oleum" quod quinque virgines prudentes habebant in lampadibus, et quod quinque virgines stultae non habebant (*Matth.* <sup>[n]</sup>*xxv.* 1-12). Per "ignem" etiam significatur Divinus Amor Domini, apud *Evangelistas*,

Johannes dixit, "Ego baptizo aqua...., at" Jesus "baptizabit spiritu sancto et igne" (*Matth.* iii. 11; *Luc.* iii. 16):

"baptizare spiritu sancto et igne" significat regenerare hominem per Divinum Verum et Divinum Bonum Amoris ab Ipso; "spiritus sanctus" est Divinum Verum procedens a Domino, et "ignis" est Divinus Amor ex quo. Simile quod significatur per "ignem," etiam significatur per "focum" apud *Esaiam*,

Jehovah "cui focus in Zione, et clibanus Illi in Hierosolyma" (xxxi. 9):

"cui focus in Zione" dicitur, quia per "Zionem" significatur ecclesia in qua amor caelestis; et "clibanus in Hierosolyma," quia per "Hierosolymam" significatur ecclesia in qua verum doctrinae; amor caelestis est respective focus, et verum doctrinae sicut clibanus in quo parantur panes.

[*b.*] Quia bonum amoris per "ignem" significatur, et cultus ex bono amoris per "holocausta" repraesentatus est, ideo ignis e caelo quandoque demissus est, et consumpsit holocaustum; ut dum holocaustum fiebat pro expiatione populi, de quo ita apud *Mosen*,

Quo facto "exivit ignis a coram Jehovah, et comedit super altari holocaustum et adipes; et vidit universus populus, et applauserunt, et ceciderunt super facies suas" (*Levit.* ix. 24);

similiter

Quod ignis e caelo comederit holocaustum Eliae, et ligna et lapides, et pulverem, et quod lamberit aquas quae circum in aquaeductu ([*I Reg.*] xviii. 38);

per hunc "ignem" etiam significabatur Divinus Amor, et inde acceptatio cultus ex bono amoris.

Pariter per ignem qui ascendit de petra, et comedit carnem et azyma, quae Guideon apportavit angelo Dei (*Judic.* vi. 21).

Divinus etiam Amor significabatur per

Quod pecus assaretur igne, et non coqueretur aquis, et quod residuum ad mane combureretur igne (*Exod. xii. 8, 9[. 10]*):

(Explicatio horum versuum videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 7852-7861.) Divinus etiam Amor Domini significabatur per ignem in quo Dominus praeivit filiis Israelis in deserto, quando proficiscebantur; tum per ignem super Tentorio conventus tempore noctis, de quibus ita apud *Mosen*,

"Jehovah ibat coram illis interdiu in columna nubis, ad ducendum illos via, et noctu in columna ignis ad lucendum illis; . . . nec recedebat columna nubis interdiu, nec columna ignis noctu coram populo" (*Exod. xiii. 21, 22*; *Num. ix. 15-23*; *Deut. i. 33*);

et alibi,

"Quod nubes Jehovahes esset super habitaculo interdiu, et ignis noctu in eo, in oculis omnis domus Israelis, in omnibus profectionibus eorum" (*Exod. xl. 38*; *Psalm. cv. 32, 39*):

quod "nubes interdiu apparuerit, et ignis noctu," reprezentabat custodiam caeli et ecclesiae a Domino; per Tabernaculum enim repreäsentabatur caelum et ecclesia, per nubem et ignem custodia; "dies" enim, quando nubes erat, significabat Divinum Verum in luce, et "nox" Divinum Verum in umbra; ne laederentur a nimia luce custodiebantur per nubem, et ne laederentur a nimia umbra custodiebantur per ignem lucentem. Quod haec repreäsentata fuerint per illa, constare potest apud *Esaiam*,

"Creabit Jehovah super omne habitaculum Montis Zionis et super convocationes ejus nubem interdiu, ac fumum et splendorem ignis flammae noctu; nam super omni gloria obtegumentum; et Tabernaculum erit in umbram interdiu ob ardorem, ac in refugium et latibulum contra inundationem et pluviam" (iv. 5, 6):

per "habitaculum Montis Zionis" significatur bonum ecclesiae caelestis, et per "convocationes ejus" significantur vera illius boni; custodia ne laedatur a nimia luce et a nimia umbra, significatur per "nubem interdiu," ac per "fumum et splendorem ignis flammae noctu;" quare dicitur, quod "super omni gloria obtegumentum," et quod "tabernaculum erit in umbram interdiu ob ardorem:" ne ex nimia luce et ex nimia umbra falsa irrumpant, significatur per quod "erit in refugium et latibulum contra inundationem et pluviam;" "inundatio et pluvia" est irruptio falorum. Apud *Sachariam*,

"Ego ero" Hierosolymae "murus ignis circumcirca, et in gloria ero in medio ejus" (ii. 9 [B. A. 5]):

“murus ignis” significat tutelam per Divinum Amorem, illum enim inferna non aggredi possunt; “gloria” in medio ejus est inde Divinum Verum in luce undequaque. Quoniam “ignis” significabat Divinum Amorem, ideo etiam holocausta vocabantur

“Ignita Jehovae,” ac “ignita odoris quietis Jehovae” (*Exod.* xxix. 18: *Levit.* i. 9, 13, 17; cap. ii. 2, 9, 10, 11; cap. iii. 5, 16; cap. iv. 35; cap. v. 12; cap. <sup>[1]</sup>vii. 30; cap. xxi. 6; *Num.* xxviii. 2; *Deut.* xviii. 1):

per quod significabatur quod accepta propter repraesentationem cultus ex bono amoris; holocausta illum cultum repraesentabant, quia in illis integrae pecudes igne adolebantur et consumebantur. Quoniam Verbum est ipsum Divinum Verum unitum Divino Bono, nam ubivis inibi est conjugium Boni et Veri,

Ideo Elias visus est ascendere in caelum per currum igneum et equos igneos (2 *Reg.* ii. 11);

Et ideo circum Elisaeum visus est mons plenus equis et curribus igneis (2 *Reg.* vi. 17);

nam per Eliam et Elisaeum repraesentabatur Dominus quoad Verbum; inde per “currum” significabatur doctrina e Verbo, et per “equos” intellec̄tus Verbi. Quod “ignis” significet amorem, patet etiam apud *Davidem*,

Jehovah “facit angelos suos spiritus, ministros suos ignem flammantem” (*Ps. civ.* 4):

quod faciat “angelos spiritus” significat quod recipientes Divini Veri, proinde Divina vera; et quod faciat “ministros suos ignem flammantem” significat quod recipientes Divini Boni, proinde Divina bona; (quod per “angelos” in Verbo intelligatur Dominus quoad Divinum Verum, ac in sensu respectivo intelligentur recipientes Divini Veri a Domino, videatur supra, n. 130, 200, 302; et quod per “ministros” significantur recipientes Divini Boni, quod est Divini Amoris, etiam supra, n. 155;) inde patet quod per “ignem flammantem” significetur bonum amoris. Quod “ignis” significet amorem, est quia Dominus apparet in caelo angelico ex Divino Amore ut Sol, ex quo Sole procedit calor et lux, et in caelis calor ex Domino ut Sole est Divinum Bonum Amoris, et lux ex Domino ut Sole est Divinum Verum; inde est quod “ignis” in Verbo significet bonum amoris, et “lux” verum ex bono. (Quod Dominus apparet in caelo angelico ut Sol ex Divino Amore, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 116-125; et quod Lux ex illo Sole sit Divinum Verum, et Calor ex illo Sole sit Divinum Bonum, n. 126-140; tum n. 567, 568, ibi.) Ex correspondentia ignis et amo-

ris est, quod in communi sermone dicatur "incalescere," "incendi," "flagrare," "effervescere," "ignescere," et similia, cum loquela est de affectionibus quae amoris: etiam homo ex amore quocunque secundum gradum ejus incalescit.

[c.] Haec de significatione "ignis" in Verbo, ubi is attribuitur Domino, ac ubi dicitur de caelo et ecclesia. At ubi "ignis" in Verbo dicitur de malis ac de infernis, tunc is significat amorem sui et mundi, et inde omnem affectionem malam et cupiditatem, quae cruciat impios post mortem in infernis. Causa quod "ignis" haec opposita significet, est quia Divinus Amor, quando e caelo descendit, ac in societas ubi mali sunt illabitur, vertitur in amorem Divino Amori contrarium, ac inde in varios ardores cupiditatum et concupiscentiarum, et sic in mala omnis generis; et quia mala poenas mali secum ferunt, etiam in cruciatus. Ex conversione illa Divini Amoris in infernalem amorem apud malos, apparent inferna, ubi amores sui et mundi et ubi odia et vindictae regnant, sicut in incendio, tam intus quam circum circa; tametsi a diabolica turba, quae inibi est, non percipitur aliquod igneum: immo ex amoribus illis appetit turba, quae in talibus infernis, facie inflammata et rubente sicut ab igne. Haec itaque sunt quae significantur per "ignem" in sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

"Ardebit sicut ignis malitia, senticetum et vepretum comedet, et incendet implexa silvae, ut elevent se elatione fumi:...et factus est populus cibus ignis; vir fratri suo non parcent" (ix. 17, 18 [B. A. 18, 19]);

apud eundem,

"Omnis populus....erit in combustionem, cibum ignis" (ix. 4 [B. A. 5]);

apud eundem,

Assyrii, "concipite quisquilias, parite stipulam, spiritum vestrum, ignis comedet vos; ita erunt populi combusti in calcem; spinae excisae quae igne succenduntur;....quis manebit nobis igne comedente? quis manebit nobis focis aeternitatis?" (xxxiii. 11, 12, 14:)

per "Assyrios" intelliguntur qui ex falsis et fallaciis ratiocinantur contra vera et bona ecclesiae ex propria intelligentia, ita ex amore sui; illi hic describuntur. Apud eundem,

In die vindictae Jehovae.... "convertentur torrentes terrae in picem, et pulvis ejus in sulphur; et erit terra in picem ardente, noctu et diu non extinguetur; in aeternum ascendet fumus ejus" (xxxiv. 8-10);

apud eundem,

"Facti sunt sicut stipula, ignis combussit eos; non [!]eripiunt animam suam e manu flammæ" (xlvii. 14);

apud eundem,

"Ecce omnes vos accenditis ignem, succingitis vos scintillis, ite in focum ignis vestri, et in scintillas quas incendistis" (l. II):

apud eundem,

"Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur" (lxvi. 24);

apud Ezechiem,

"Dabo te in manum virorum ardentiū,....igni eris in cibum" ([!]xxi. 36, 37 [B. A. 31, 32]);

apud Davidem,

"Pones eos sicut clibanum ignis tempore irae tuae,....et comedet eos ignis" (Ps. xxi. 10 [B. A. 9]);

apud eundem,

"Obruant" impios "prunae, ignis dejiciat eos in foveas, non resurgent" (Ps. cxl. 11 [B. A. 10]);

apud Matthaeum,

"Omnis arbor non faciens fructum bonum, exscindetur et in ignem concidetur. ....Purgabit aream suam, colliget triticum suum in horrea, paleam autem comburet igne inexstinguibili" (Matth. iii. 10, 12; Luc. iii. 9, [!]17);

apud eundem,

"Quemadmodum....comburuntur zizania igne, sic erit in consummatione saeculi" (xiii. 4[!]40);

apud eundem,

"Mittet Filius hominis angelos suos, qui colligent e regno Ipsius omnina offendicula, et eos qui faciunt iniquitatem; et mittent eos in caminum ignis" (xiii. 41, 42, 50);

apud eundem,

Dixit illis a sinistris, "Discedite a Me, maledicti, in ignem aeternum patrum diabolo et angelis ejus" (xxv. 41);

apud eundem,

"Qui dixerit fratri suo, Stulte, obnoxius erit gehennæ ignis" (v. 22; pariter cap. xviii. 8, 9: Marc. ix. 45, 47);

apud *Lucam*,

Dives in inferno dixit, "Pater Abraham, . . . . mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam et refrigeret linguam meam, quia crucior in flamma hac" (xvi. 24);

apud eundem,

"Cum egressus est Lothus e Sodoma, pluit igne et sulphure e caelo, et perdidit eos . . . ; juxta hoc fiet quo die Filius hominis revelabitur" (xvii. 29, 30);

in *Apocalypsi*,

"Si quis bestiam adorat, . . . . bibet ex vino irae Dei, . . . . et cruciabitur igne et sulphure" (xiv. [9.] 10);

alibi,

Bestia et pseudopropheta "vivi conjecti sunt . . . . in stagnum ignis ardens sulphure" (xix. 20);

alibi,

"Diabolus . . . . conjectus est in stagnum ignis et sulphuris" (xx. 10);

alibi,

"Mors et infernus ejecti sunt in stagnum ignis; . . . . et qui non inventus est in libro vitae scriptus, ejectus est in stagnum ignis" (xx. 14, 15);

et alibi,

"Infidelibus, . . . . homicidis, scortatoribus, incantatoribus, idololatriis, et . . . . mendacibus, pars erit in stagno ardente igne et sulphure" (xxi. 8).

In his locis per "ignem" significatur omnis cupiditas quae est amoris mali, et ejus poena, quae est cruciatus. His adjiciantur quae allata sunt in opere *De Caelo et Inferno* (n. 566-575), ubi ostensum est quid ignis infernal is et quid stridor dentium.

[d.] In superiori articulo, ubi actum est de grandine, dictum est quod Divinum e caelo descendens in inferiore sphaera, ubi mali sunt, contrarium effectum sistat quam in ipso caelo; quod nempe in caelo vivificet et conjungat, at in inferioribus, ubi mali sunt, mortificet et disjungat: ex causa quia influxus Divinus e caelo apud bonos aperit spiritualem mentem, et ad recipiendum adaptat; apud malos autem, quibus non aliqua mens spiritualis est, aperit interiora mentis naturalis eorum, ubi resident mala et falsa; unde illis tunc aversatio ad omne bonum caeli, et odium contra vera, ac concupiscentia ad omne facinus, inde separatio eorum a bonis, et mox damnatio. Influxus ille apud

bonos, de quo nunc dictum est, appareat in caelis ut ignis vivificans, recreans et conjungens; infra autem apud malos apparelt ille ut ignis consumens et vastans. Quia talis effectus est Divini Amoris defluentis e caelo, ideo in Verbo toties tribuitur Jehovahe, hoc est, Domino, ira et excandescens; ira ex igne et excandescens ex aestu ignis; ac quoque dicitur "ignis irae Ejus," et quod sit "ignis consumens," praeter similia plura; quae dicuntur non ex eo quod ignis procedens ex Domino sit talis, est enim in sua origine Divinus Amor, sed quod fiat talis apud malos, qui irascuntur et excandescunt ex influxu ejus. Quod ita sit, constare potest ex igne qui apparuit super Monte Sinai, quando Dominus super illum descendit et promulgavit Legem; qui ignis, tametsi in sua origine fuit Divinus Amor, ex quo Divinum Verum, usque apparuit populo Israelitico sicut ignis consumens, coram quo valde trepidabant.

(*Exod.* xix. 18; *cap. xx.* 15 [*B. A.* 18]: *Deut.* iv. 11, 12, 15, <sup>[1]</sup>33, 36; *cap. v.* 5, 19-21, [22,] 23 [*B. A.* 5, 22-26]);

ex causa quia apud populum Israeliticum non erat ali-quod internum spirituale, sed internum naturale, quod omnis generis malis et falsis scatuit; et Dominus apparelt cuivis secundum quale ejus. (Quod filii Jacobi tales fuerint, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 248.) Inde est quod Jehovah, hoc est, Dominus, in Verbo dicatur "ignis consumens," ut in his locis:

"Jehovah Deus est ignis consumens" (*Deut.* iv. 24);

*apud Esaiam,*

"Ecce Jehovah in igne veniet, et sicut procella currus Ejus... in flammis ignis; nam in igne Jehovah disceptabit, et in gladio suo cum omni carne, et multiplicabuntur confossi Jehovahe" (lxvi. 15, 16);

*apud eundem,*

"Visitaberis... cum flamma ignis comedentis" (<sup>[2]</sup>xxix. 6);

*apud eundem,*

"In indignatione irae" Jehovah, "et flamma ignis comedentis, dispersione, inundatione, et lapide grandinis" (xxx. 30);

*apud Davidem,*

"Ascendit fumus ex naso Ejus, et ignis ex ore Ejus comedit; prunae arserunt ex eo;... a splendore ante Ipsum nubes transierunt, grando et prunae ignis; tonavit e caelis Jehovah, et Altissimus

dedit vocem suum, grandinem et prunas ignis" (Ps. xviii. 9, 13, 14 [B. A. 8, 12, 13]);

apud eundem,

"Veniet Deus noster et [non] tacebit, ignis coram Ipso comedet" (Ps. 1, 3);

apud eundem,

Jehovah "pluet super impios, laqueos, ignem et sulphur" (Ps. xi. 6);

apud *Ezechielem*,

"Dabo facies meas contra illos, ut tametsi ex igne exiverint, ignis tamen comedet eos, . . . et terram dabo devastationem, quia praevericati sunt praevericationes" (xv. 4, 6-8);

apud *Mosen*,

"Ignis accensus est in ira mea, et ardebit usque ad infernum infimum, et comedet terram proventumque ejus; et inflammabit fundamenta montium" (*Deut.* xxxii. 22).

Talia apparent in mundo spirituali, quando Divinum Bonum et Verum e caelo descendit versus inferiora ibi, ubi mali sunt qui separandi a bonis et dispergendi; ex apparteniis ibi illa dicta sunt. Et quia ignis descendens e caelis, qui in sua origine est Divinus Amor, receptus a malis ibi fit ignis consumens, ideo talis ignis in Verbo praedicatur de Jehovah. Ignis infernalis nec aliunde est quam mutatio Divini Amoris in amores malos ac in diras cupiditates malefaciendi et nocendi. Hoc quoque repreaesentatum est per

Quod ignis e caelo delapsus consumpserit Sodomam et Gomorrhām (*Gen.* xix. 24);

Quod ignis consumpserit Nadab et Abihu, filios Aharonis, quia suffi-  
verunt igne alieno (*Levit.* x. 1, seq.):

per "suffitum ex igne alieno" significatur cultus ex alio amore quam Domini: tum

Quod ignis consumpserit extremitatem castrorum filiorum Israelis, propter concupiscentias eorum (*Num.* xi. 1-3).

Simile representatum est per quod

Aegyptii in Mari Suph perierint, quando Jehovah prospexit ex columna ignis et nubis ad castra eorum (*Exod.* xiv. 24-27):

quod ille ignis in sua origine fuerit Divinus Amor lucens coram filiis Israelis in profectionibus eorum, et super Tabernaculo tempore noctis, supra in hoc articulo ostensum est; at usque aspectus inde a Jehovah prorsus conturba-

vit et destruxit castra Aegyptiorum. Quod ignis e caelo descendens apparuerit consumere malos in mundo spirituali, constat ex *Apocalypsi*, ubi id visum est Johanni; dicit enim

Quod descenderit ignis e caelo et consumpserit Gogum et Magogum, et turbam eorum (xx. 9; *Ezech.* xxxviii. 22):

“consumere” ibi significat dispergere et conjicere in infernum. Inde quoque dicitur apud *Esaiam*,

“Erit Lux Israelis in ignem, et Sanctus ejus inflammam, quae accendet et comedet vepretum et senticetum ejus in die uno” (x. 17):

per “vepretum et senticetum” significantur mala et falsa doctrinae ecclesiae; destructio illorum per Divinum Verum descendens e caelo, significatur per quod “Lux Israelis erit in ignem, et Sanctus ejus inflammam.”

[e.] Quoniam per “ignem” in opposito sensu, seu respective ad malos, proprie significatur amor sui, ac per “flamnam” amor mundi, ideo etiam per “ignem” significatur omne malum, sicut inimicitia, odium, vindicta, et plura alia, nam omnia mala ex binis illis originibus scaturiunt (*videatur Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 75); consequentur etiam per “ignem” significatur destructio hominis quoad vitam spiritualem, et sic damnatio et infernum. Haec omnia per “ignem” significantur, quia per “ignem” significatur amor, ut adhuc constare potest ex sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

“Videbunt et contabescerent in odium populi; etiam ignis inimicos tuos comedet” (xxvi. 11):

interitus malorum, qui hic intelliguntur per “populos” et per “inimicos,” describitur per “odium” et per “ignem.” Apud eundem,

“Quum transiveris per aquas, tecum Ego; et per fluvios, non submergent te; cum iveris per ignem non adureris, et flamma non incendet te” (xlivi. 2):

“transire per aquas et per fluvios et non submergi” significat quod falsa et ratiocinationes ex falsis contra vera non intrabunt et corruptent; “aqua” hic sunt falsa, et “fluvii” sunt ratiocinationes ex falsis contra vera: “ire per ignem et non aduri, et flamma non accendi” significat quod mala et cupiditates ex illis oriundae non nociturae sint; “ignis” significat mala, et “flamma” cupiditates inde.

Apud eundem,

"Domus sanctitatis nostra, et decus nostrum, ubi laudaverunt Te patres nostri, facta est in incendium ignis, et omnia desiderabilia nostra facta sunt in vastitatem" (lxiv. 10 [B. A. 11]):

"domus sanctitatis" et "decus" significant ecclesiam caelestem et spiritualem; "domus sanctitatis" ecclesiam caelestem, et "decus" ecclesiam spiritualem: "ubi laudaverunt Te patres nostri" significat cultum Antiquae Ecclesiae; "laudare" significat colere, et "patres" illos qui ab Antiqua Ecclesia: "facta est in incendium ignis" significat quod omnia bona illius ecclesiae versa sint in mala, a quibus bona consumpta sunt et perierunt: "et omnia desiderabilia nostra facta sunt in vastitatem" significat quod similiter omnia vera; "desiderabilia" in Verbo significant vera ecclesiae. Apud eundem,

"Eritis sicut quercus dejiciens folia sua, et sicut hortus cui aquae non; et erit robustus in stupram, et opus ejus in scintillam, ut comburantur ambo simul, nec extingue" (i. 30, 31):

per "quercum" significatur naturalis homo, per "folia" scientifica et cognitiones veri ibi; per "hortum" significatur rationalis homo; inde per "Eritis sicut quercus dejiciens folia, et sicut hortus cui aquae non." significatur quod amplius non scientificum verum, nec rationale verum: per "robustum" et "ejus opus" significatur id quod ex propria intelligentia excluditur; "robustus" in Verbo aliquoties dicitur qui sibi suaeque intelligentiae fidet, credit enim se robustum; et "opus ejus," quod inde excluditur: et quia proprium hominis haurit omne malum et falsum, et per illa destruit omne bonum et verum, ideo dicitur "Erit robustus in stupram, opus ejus in scintillam, et comburentur ambo simul;" perire ex falsis mali significatur per "comburi." Apud *Ezechielem*,

"Mater tua sicut vitis, . . . nunc plantata est in deserto, in terra ariditatis et sitis; exivit ignis ex virga ramorum ejus, comedit illos et fructum ejus" (xix. 10, 12-14);

per "matrem" quae "sicut vitis," significatur Ecclesia Antiqua, quae in bono vitae et inde in veris fuit: quod ecclesia nunc absque bonis et veris sit, significatur per quod illa "nunc plantata sit in deserto, in terra ariditatis et sitis;" "terra ariditatis" est ecclesia ubi non bonum, et "terra

sitis" ubi non verum: "exivit ignis ex virga ramorum ejus, comedit illos et fructum ejus," significat quod malum falsi destruxerit omne verum et bonum; "ignis" est malum, "virga ramorum" est falsum doctrinae in quo malum, "comedere illos et fructum ejus" est destruere verum et bonum; malum falsi est malum quod ex falso doctrinae.

Apud *Sachariam*,

"Dominus depauperabit" Tyrum "et excutiet in mare opes ejus, et ipsa igne comedetur" (ix. 4):

per "Tyrum" significatur ecclesia quoad cognitiones veri et boni, et inde per "Tyrum" significantur cognitiones veri et boni quae ecclesiae; ejus vastatio per falsa et per mala significatur per quod "Dominus excutiet in mare opes ejus, et ipsa igne comedetur." Apud *Davidem*,

Hostes "miserunt in ignem sanctuarium tuum, in terram usque profanarunt habitaculum nominis tui; . . . combusserunt omnia festalia loca Dei in terram usque: . . . non amplius propheta, nec nobiscum sciens quousque" (Ps. lxxiv. 7-9):

quod cupiditates oriundae ex malis amoribus destruxerint ecclesiae vera et bona, significatur per quod "hostes miserint in ignem sanctuarium, et profanaverint habitaculum nominis Jehovae;" quod prorsus destruxerint omnia cultus Divini, significatur per quod "combusserint omnia festalia loca Dei in terram usque;" quod non amplius doctrina veri nec intellectus veri, significatur per "non amplius propheta, nec nobiscum sciens [quousque]." Apud *Mosen*,

Si viri belial impulerint habitatores urbis ad serviendum diis aliis, percuterentur omnes ore gladii, et urbs cum omni praeda comburetur igne (*Deuter. xiii. 14-17*):

per haec in sensu spirituali significatur quod doctrina, ex qua cultus, quae agnoscit alium deum quam Dominum, abolenda sit, quia inibi non nisi quam falsa ex malis cupiditatibus; hoc in sensu spirituali per illa significatur, quia per "urbem" in Verbo significatur doctrina, et per "servire aliis diis" significatur agnoscere et colere alium deum quam Dominum; per "gladium" significatur destructio veri per falsum, ac per "ignem" destruētio boni per malum. Apud *Lucam*,

Dixit Dominus, quod venerit ignem mittere in terram, et quod vellet si jam accensus esset (xii. 49);

per quod significantur hostilitates et pugnae inter malum et bonum ac inter falsum et verum; nam antequam Dominus in mundum venit, fuerunt in ecclesia mere falsa et mala, proinde non pugna inter illa et bona ac vera; at postquam a Domino aperta fuerunt vera et bona, tunc primum existere potuerunt pugnae; et absque pugnis inter illa nulla reformatio: hoc itaque est quod intelligitur per quod "vellet ut jam ignis accensus esset." Quod is intellectus eorum verborum sit, patet a sequentibus ibi,

Quod venerit ad dandam divisionem; "erunt namque ex nunc quinque in domo una divisi; . . . dividetur pater contra filium, et filius contra patrem, mater contra filiam et filia contra matrem" (vers. 51-53):

per "patrem contra filium" et per "filium contra patrem," intelligitur malum contra verum ac verum contra malum; et per "matrem contra filiam" et per "filiam contra matrem" intelligitur cupiditas falsi contra affectionem veri, ac vicissim; "in domo una" est apud unum hominem. Quoniam per "filios" in Verbo significantur vera ecclesiae, et per "filias" bona ejus, constare potest quid significatur per "comburere filios et filias" apud *Jeremiam*,

"Aedificarunt excelsa Tophethi in valle [filii] Hinnomi, ad comburendum filios suos et filias suas" (vii. 31);

apud eundem,

"Audiri faciam contra Rabbath [filiorum] Ammonis clangorem belli, . . . et filiae ejus igne comburentur" (xlix. 2);

et apud *Ezechielem*,

"Quando tollitis dona vestra, cum traducitis filios vestros per ignem" (xx. 31):

per "comburere filios et filias igne" significatur per malas cupiditates seu per malos amores destruere vera et bona ecclesiae: sit quod tales abominationes fecerint, per illas usque significatur destructio veri et boni ecclesiac per foedas et abominandas concupiscentias, quas per falsa confirmaverunt. Ex his nunc constare potest quid significatur per "grandinem et ignem mixta sanguine, et missa in terram, unde tertia pars arborum combusta est, et omne gramen viride combustum est;" nempe, quod significetur influxus e caelo, et prima inde mutatio ante ultimum iudicium: quid autem per "arborem" et per "gramen viride" significatur, in sequentibus dicetur. Simile etiam dictum

est ubi agitur de plagis in Aegypto, quae praecesserunt ultimum exitium eorum, quod erat submersio in Mari Suph; nempe,

Quod plueret grando, in qua ambularet ignis, super terram Aegypti, qua percussa est herba agri, et confracta omnis arbor agri (*Exod.* ix. 18-35).

Quod similia ante "diem Jehovahe," qui est ultimum judicium, exstituta sint, praedicitur etiam apud *Prophetas* :—Apud *Zoelem*,

"Dies Jehovahe, . . . dies tenebrarum et caliginis; . . . ante eum comedet ignis, et post eum inflammabit flamma" (ii. [1, 2,] 3);

apud eundem,

"Dabo prodigia in caelo et in terra, sanguinem et ignem et columnas fumi; sol vertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam venit dies Jehovahe magnus et terribilis" (iii. 3, 4 [*B. A.* ii. 30, 31]);

apud eundem,

"Ignis comedit habitacula deserti, et flamma inflammavit omnes arbores agri" (i. 19, 20);

et apud *Ezechiem*,

"Dic silvae meridiei, . . . Ecce Ego incendens in te ignem, qui comedet in te omnem arborem viridem; non extinguetur flamma flammæ gravis; unde comburentur in ea omnes facies a meridie usque ad septentrionem" (xxi. 2, 3 [*B. A.* xx. 46, 47]):

per "silvam meridiei" significatur ecclesia quae in luce veri potest esse ex Verbo, nunc autem quae absque luce spirituali, in solis cognitionibus; per "arbores," quas comedet ignis, significantur cognitiones illae; quod malae cupiditates etiam illas omni vita spirituali deprivatura sint, et quod non amplius aliquod verum in claro, nec in obscurio residuum foret, significatur per quod "comburentur omnes facies terrae a meridie ad septentrionem." Ex nota significatione "ignis" in utroque sensu, videri potest quid etiam in Verbo significatur per "incalescere," "inflammari," "ardescere," "effervesce," "exuri," "comburi," per "incalescentiam," "flammam," "ardorem," "ustionem," "incendium," "focum," "prunas," et plura.

**505.** "Et missa in terram."—Quod significet progressiōnem versus inferiora, ubi etiam mali, constat ex significatiōne "mitti in terram," nempe "grando et ignis mixta sanguine," quae facta sunt per quod "primus angelus clanxit," quod sit progredi versus inferiora, ubi consociati erant mali,

cum quibus etiam aliqui boni. Quod significetur progressio versus inferiora, est quia mutationes et desolationes, quae significantur per quod "tertia pars arborum" ac quod "omne gramen viride" combusta sint, factae sunt progressive versus inferiora, ubi erant mali, ut supra memoratum est. Quod per "terram" hic intelligantur inferiora, est quia illa visa sunt Johanni quando in spiritu fuit, ita quando in mundo spirituali; nam spiritus hominis, dum visus ei apertus est, videt illa quae in mundo spirituali sunt; et ibi sunt montes, colles, valles; supra montibus et collibus ibi sunt caeli angelici, in vallibus autem infra sunt illi qui nondum in caelum sublati sunt; super illis itaque nunc erant mali mixti bonis; quare valles illae, quae infra montes et colles erant, hic intelliguntur per "terram:" inde per "mitti in terram" significatur e caelis versus inferiora. At cum montes, colles, valles, simul sumpti vocantur terra, tunc per "terram" significatur ecclesia ibi.

**506. "Et tertia pars arborum combusta est."**—Quod significet quod perceptiones et cognitiones veri et boni per cupiditates oriundas ex malis amoribus perierint, constat ex significatione "tertiae partis," cum dicitur de veris, quod sit omne (de qua sequitur); ex significatione "arborum," quod sint inferiora hominis quae sunt mentis ejus (de qua supra, n. 109), et inde perceptiones de veris et bonis, ac cognitiones eorum (supra, n. 420); et ex significatione "comburi," quod sit perire per cupiditates oriundas ex amoribus malis, de qua mox supra (n. 504<sup>[c-c]</sup>), ubi ostensum est quod "ignis" significet illas cupiditates; quare "comburi" est per illas perire. Quod "tertia pars" significet omne, et sic "tertia pars arborum" omne perceptionis de veris et bonis et inde omnes cognitiones illorum, est quia "tria" significant plenum, totum et omne, ac dicuntur de veris; inde "tertia pars" similiter, nam "tertium" significat id; et quoque numeri in se multiplicati et a se divisi similia cum integris a quibus sunt, significant (videatur supra, n. 430<sup>[a,b]</sup>): "quod tertia pars" significet omne, et dicatur de veris, videatur etiam supra (n. 384). Simile per "tertiam partem" significatur in his sequentibus:—

"Facta est *tertia pars maris sanguis*" (vers. 8);

"*Mortua est tertia pars creaturarum in mari*" (vers. 9);

"*Stella ardens cecidit super tertiam partem fluviorum*" (vers. 10);

"*Facta est tertia pars aquarum absinthium*" (vers. 11);

"Percussa est tertia pars solis, et tertia pars lunae, et tertia pars stellarum" (vers. 12).  
 (Tum cap. ix. 15, 18; cap. xii. 4.)

Describitur hic, quod omnis perceptio veri et boni, et inde cognitio eorum, per amores sui et mundi et inde oriundas cupiditates et voluptates primum perierit. Quod per illos amores et inde oriundas cupiditates perceptio et cognitio veri et boni spiritualis pereat, est quia illi amores sunt amores corporei et mere naturales, in quos etiam homo nascitur; qui nisi domantur et reguntur per amores spirituales, quae sunt e caelo a Domino, extinguit omnem perceptionem et inde cognitionem de veris et bonis caeli et ecclesiae; nam illi amores, in se spectati, sunt e diametro oppositi amoribus spiritualibus. Exinde constare potest quod ecclesia, cum labitur, primum veniat a statu interno spirituali in naturalem, qui est ut se et mundum super omnia amet; inde tunc in caligine est quoad omnia ecclesiae et caeli, utcunque in luce quoad illa quae mundi sunt. Quando perceptio de veris et bonis spiritualibus perit, etiam cognitio illorum perit; nam etsi homo scit illa et loquitur illa, vel ex Verbo vel ex doctrina, usque non scit illa quando non percipit illa: perceptio rei facit cognitionem ejus; cognitio absque perceptione est mortua et non viva, et quoque est cognitio solius sensus vocum et non ipsius rei. Tales cognitiones veri et boni, ex Verbo et ex doctrina ecclesiae, sunt apud illos apud quos predominantur amores sui et mundi, utcunque edociti sunt ingeniose et artificialiter de illis loqui et praedicare; sunt usque modo crustae, quae apparent coram vulgo sicut intus in illis forent nuclei, cum tamen sunt vacuae.

**507. "Et omne gramen viride combustum est."**—Quod significet quod per eorundem amorum cupiditates omne scientificum verum perierit, constat ex significatione "graminis," quod sit scientificum (de qua sequitur); et ex significatione "viridis" quod sit verum et ex vero vivens, nam sicut gramen viride inservit animalibus pro pabulo, ita scientificum verum hominibus pro nutritione spirituali: quicquid enim in agris, in hortis et in campis nascitur, et pro nutritione inservit vel homini vel bestiae, hoc correspondentiam habet cum talibus quae inserviunt nutritioni animi et mentis, quae nutritio vocatur nutritio spiritualis; etiam similia in

mundo spirituali apparent ex correspondentia spiritualium cum naturalibus: et quia Verbum in littera naturale est, et conscriptum per correspondentias, ideo dicitur quod "tertia pars arborum et omne gramen viride combusta sint;" per quod in spirituali sensu intelligitur quod omnis perceptio et cognitio veri et boni, tum quod omne scientificum verum, per amores binos corporeos, terrestres et mere naturales perierint. Per scientificum verum intelligitur omne scientificum per quod confirmatur spirituale verum, ac vitam habet ex spirituali bono. Homo enim per scientifica potest sapere et potest insanire; per scientifica sapit quando per illa confirmat vera et bona ecclesiae, quae sunt vera et bona spiritualia; at per scientifica insanit quando per illa infirmat et refellit vera et bona ecclesiae: quando per illa confirmat vera et bona ecclesiae, tunc illa vocantur scientifica vera, ut et viva; at cum per illa infirmat et refellit vera et bona ecclesiae, tunc vocantur scientifica falsa, ut et mortua. Scientiae sunt modo media ad usus, et quales usus ex illis existunt, tales sunt; sunt vivae quando homo per illas intelligentiam et sapientiam sibi acquirit. Omnis intelligentia et sapientia est ex veris quae e caelo; haec intelligentia et sapientia, quia est e caelo, hoc est, per caelum a Domino, est viva, quia est ipsa vita spiritualis hominis; at intelligentia et sapientia ex falsis non datur, et si creditur esse apud aliquem, est usque mortua, quia est ex inferno. Haec dicta sunt ut sciatur quod per "gramen viride" significetur scientificum verum, quod est vivum, et quod per "gramen combustum" scientificum falsum, quod est mortuum. Quando verum et bonum, quae e caelo veniunt, non receptaculum habent in cognitionibus et in scientificis apud hominem, sed quando falsa et mala quae ex inferno, tunc scientifica non sunt viva sed mortua, et correspondent gramine arido et combusto; similiter ipse homo, nam homo est talis homo qualiter cognitiones et scientiae apud illum vivunt: ex scientiis enim quae vivunt, ei est intelligentia; at ex scientiis quae non vivunt, ei nulla intelligentia est; et si sunt mortuae ex confirmatione falsorum per illas, est insania et stultitia. Homo talis, ex correspondentia, in Verbo comparatur "gramini," et quoque vocatur "gramen," in sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

"Habitatores.... facti sunt herba agri, olus graminis, gramen tectorum, et arvum adustum ante segetem" (xxxvii. 27; 2 Reg. xix. 26);

*apud Davidem,*

Mali "sicut gramen subito exscinduntur, et sicut olus herbae marcescunt" (Ps. xxxvii. 2);

*apud eundem,*

"Homo sicut gramen dies ejus, sicut flos agri sic floret" (Ps. ciii. 15);

*apud eundem,*

Osores Zionis "erunt sicut gramen tectorum, quod antequam distinguitur, exarescit" (Ps. cxxix. 6);

*apud Esaiam,*

"Revelabitur gloria Jehovahe, et videbunt:.... vox dicit, Clama: et dixit, Quid clamabo? Omnis caro gramen, et omnis sanctitas ejus sicut flos agri; exaruit gramen et decidit flos, quia ventus Jehovahe spiravit in illud: vere gramen populus; exaruit gramen, decidit flos, et Verbum Dei nostri consistet in aeternum" (xl. 5-8):

haec de adventu Domini, et tunc de revelatione Divini Veri ab Ipso, quod intelligitur per "revelabitur gloria Jehovahe, et videbunt:" quod tunc apud homines non aliiquid scientificum verum nec spirituale verum, significatur per quod "omnis caro gramen, omnis sanctitas sicut flos agri; exaruit gramen, decidit flos;" "gramen" est scientificum verum, et "flos agri" est spirituale verum: quod homo talis sit, intelligitur per "omnis caro gramen," et per "vere gramen populus, exaruit gramen;" "omnis caro" est omnis homo, "populus" est qui in veris, nunc in falsis. Apud eundem,

"Ego Is qui consolatur vos; quae tu quod timeas tibi ab homine, moritur, et a filia hominis, gramen datur?" (li. 12:)

per illa verba significatur quod omnia sint a Domino, et nihil ex propria sapientia et intelligentia: "homo" significat hominem quoad sapientiam, et "filius hominis" illum quoad intelligentiam; quod haec modo sit scientia, intelligitur per "gramen datur." Apud eundem,

"Effundam spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super natos tuos, et germinabunt in medio graminis" (xlv. 3, 4):

per "spiritum Jehovahae" significatur Divinum Verum, et per "benedictionem" multiplicatio et fructificatio ejus; inde intelligentia per scientia vera significatur per "germinare in medio graminis." Apud *Davidem*,

Jehovah qui "germinare facit gramen bestiae, et herbam in ministerium hominis" (Ps. civ. [1]14);

apud eundem,

"Jehovah qui "praeparat terraे pluviam, qui germinare facit montes gramen, qui dat bestiae cibum ejus" (Ps. cxlvii. 8, 9);

apud Mosen,

"Defluet sicut pluvia doctrina mea, stillabit sicut ros verbum meum, sicut stillae super gramen, et sicut guttae super herbam" (Deut. xxxii. 2):

per "gramen" in his locis significatur scientificum verum; et per "herbam agri" spirituale verum; per "herbam agri" enim intelligitur seges in agro primum enata, seu novale, quare dicitur "herba in ministerium hominis:" quod dicatur "gramen pro bestia," et "in cibum bestiae," est quia per "bestiam" in Verbo significatur affectio naturalis hominis, et ei est scientificum verum pro cibo et nutritione. Apud Hiobum,

"Ecce behemoth, quem feci tecum, gramen sicut bos comedit" (xl. 15):

per "behemoth" intelligitur simile quod per "bestiam" in Verbo, nempe affectiones naturales quae sunt homini; quare dicitur, "Ecce behemoth quem feci tecum:" ejus spirituale pascuum est scientificum verum; hoc intelligitur per quod "gramen sicut bos comedit." Quod per "viride" significetur vivum, constare potest absque ulteriori explicatione, nam subjectum vegetabile, quando viget, hoc est, dum quasi vivit, viride est; cum autem non amplius viget, seu dum quasi moritur, tunc perit viriditas; quare per "virens" seu "viride" significatur vivens seu vivum, ut etiam in sequentibus locis,

Apud Jeremiam, cap. xi. 16; cap. xvii. 8: apud Ezechielem, cap. xvii. 24; cap. xxi. 3 [B. A. xx. 47]: apud Hoscheam, cap. xiv. 9 [B. A. 8]: apud Davidem, Ps. xxxvii. 35; Ps. lli. 10 [B. A. 8]; Ps. xcii. 11 [B. A. 10]: et alibi.

#### VERSUS 8, 9.

**508.** "Et secundus angelus clanxit, et quasi mons magnus igne ardens missus est in mare, et facta est tertia pars maris sanguis. Et mortua est tertia pars creaturarum illarum in mari habentium animas, et tertia pars navium periit."

8. "Et secundus angelus clanxit," significat influxum e caelo, et secundam mutationem inde apud malos [n. 509]; "et quasi mons magnus igne ardens," significat amorem sui et inde propriae intelligentiae [n. 510]; "missus est in mare," significat in naturalem hominem [n. 511]; "et

*facta est tertia pars maris sanguis,*" significat quod inde omne factum sit falsum mali inibi [n. 512].

9. "Et mortua est tertia pars creaturarum illarum in mari habentium animas," significat quod inde perierit omne scientificum vivum in naturali homine [n. 513]; "et tertia pars navium periit," significat quod etiam omnes cognitiones veri et boni ex Verbo, et ex doctrinis inde [n. 514].

**509.** [Vers. 8.] "*Et secundus angelus clamxit.*"—Quod significet *influxum e caelo, et secundam inde mutationem apud malos,* constat ex illis quae supra (n. 502) dicta et ostensa sunt.

**510.** "*Et quasi mons magnus igne ardens.*"—Quod significet *amorem sui ac inde propriae intelligentiae,* constat ex significatione "montis igne ardentis," quod sit amor sui et inde amor propriae intelligentiae; quod hic amor per illum montem significetur, est quia per "montem" in Verbo significatur amor in utroque sensu, nempe amor caelestis et amor infernalis (videatur supra, n. 405); similiter per "ignem" (de quo etiam supra, n. 504[a-e]); et hic agitur de malis qui separandi a bonis et conjiciendi in infernum; apud quos per illum amorem omne verum vertitur in falsum; hic effectus oriundus ex "monte illo misso in mare," in sequentibus describitur, nam per "montem illum missum in mare, unde facta est tertia pars maris sanguis," significatur quod in naturali homine omne factum sit falsum mali: exinde constare potest quod hic per "montem magnum igne ardentem" significetur amor sui et inde amor propriae intelligentiae; propria intelligentia etiam omnis est ex amore sui. Quod per "montem" intelligatur amor in utroque sensu, est ex causa quia angeli tertii caeli, qui in amore caelesti sunt, super montibus in mundo spirituali habitant; quare cum dicitur "mons," intelligitur id caelum, ac secundum ideas cogitationis angelicae, quae a personis et locis abstractae sunt, intelligitur id quod facit caelum, ita amor caelestis: quod autem "mons" in opposito sensu significet amorem sui, est quia illi qui in amore sui sunt, continue cupiunt ascendere montes, pares se faciendo illis qui in tertio caelo sunt; hoc quia in sua phantasia versant, id quoque, dum extra inferna sunt, conantur; inde est quod per "montem" in opposito sensu significetur amor sui. Verbo, qui in amore sui sunt, alta semper spirant; quare etiam post mortem, quando omnes status amoris vertuntur in correspondentia, phantasia tenus se alte con-

jiciunt, credentes se, cum in phantasia sunt, super altis montibus esse, cum tamen corpore in infernis sunt: inde est, quod illi qui ex Babele sunt, qui in tali amore sui sunt ut non solum imperare velint super omnem terram sed etiam super caelos, in Verbo dicantur "montes," ac "sedere super monte," et "ascendere super excelsa nubis:"—Ut apud <sup>[1]</sup>*Jeremiam*,

"Ecce Ego contra te mons perdens,....perdens universum terram; et extendam manum meam contra te, ut devolvam te de petris, et dem te in montem combustionis" (li. 25);

et apud <sup>[2]</sup>*Esaiam*,

"Dixisti corde tuo, Caelos ascendam, supra stellas Dei exaltabo thronum meum, et sedebo in monte conventus;....ascendam supra excelsa nubis, similis fiam Altissimo; verumtamen ad infernum dejicieris" (xiv. 13-15):

haec de Babele.

**511. "Missus est in mare."**—Quod significet *in naturalem hominem*, constat ex significatione "maris," quod sit scientificum in communi quod in naturali homine, proinde naturalis homo quoad scientificum ibi (de qua supra, n. 270, 342[b]). Quod "mare" id significet, est quia "aqua" significat verum, et verum in naturali homine vocatur scientificum. Ipsum autem verum in se est spirituale, ac in spirituali homine unum facit cum affectione veri, est enim forma affectionis ibi; quantum itaque haec affectio cum sua forma est inde in scientificis quae in naturali homine, tantum scientifica in se continent vera et sunt scientifica vera; nam scientifica quae naturalis hominis in se spectata non sunt vera, sed modo vasa continentia veri, quare etiam per "vasa" in Verbo significantur scientifica. Quod naturalis homo per "mare" significetur, constare potest ex locis in Verbo supra (n. 275 et 342[b,c]) adductis; ex quibus patet quod per "mare" respectice ad aquam significetur scientificum in communi, ac per "mare" respectice ad fluctus significetur disceptatio et ratiocinatio quae fit per scientifica; et quia utrumque est in naturali homine, ideo per "mare" ipse naturalis homo significatur. Sed status naturalis hominis est prorsus secundum affectionem quae amoris hominis; quando apud hominem dominatur affectio spiritualis seu affectio boni et veri propter bonum et verum, et haec per spiritualem hominem in naturalem influit, tunc naturalis

homo est spiritualis naturalis homo, est enim tunc subordinatus et subiectus spirituali, et quia sic unum agunt est uterque in caelo; at vero cum apud hominem affectio mere naturalis dominatur, tunc in naturali homine non est aliquod verum, sed omne quod ibi est scientificum non verum, scientificum mortuum et scientificum falsum; causa est, quia tunc scientifica ibi se conjungunt cum affectionibus mere naturalibus, quae omnes scaturiunt ex amoribus sui et mundi; et tamen ipsa vera, quia in se spiritualia sunt, non se conjungent nisi cum affectionibus spiritualibus, ut supra dictum est. Quando vera se conjungunt cum affectionibus mere naturalibus, tunc non amplius sunt vera, sed sunt falsa, nam affectio mere naturalis falsificat illa. Conjunctiones veri cum affectionibus mere naturalibus correspondent scortationibus et adulteriis varii generis, et quoque in sensu spirituali per varia scortationum et adulteriorum genera in Verbo intelliguntur; sunt conjunctiones veritatum Verbi cum amore sui et cum amore mundi, quae illis correspondent. Quod "mare" significet naturalem hominem cum illis quae inibi sunt, est quoque ex correspondentia; in mundo enim spirituali apparent variis in locis maria, imprimis circa ultimos terminos ubi desinunt societates spirituales seu ipsum caelum: quod ibi maria existant, est causa, quia in terminis caeli et extra illos sunt illi qui mere naturales homines fuerunt, qui etiam apparent inibi in fundis, ubi eorum domicilia; sed sunt ibi naturales non mali, at naturales mali sunt in infernis. Ex maribus ibi visis etiam constat quales illi sunt qui inibi, sed hoc imprimis ex aquarum colore vergente ad obscurum aut ad clarum: si ad obscurum, sunt inibi sensuales spiritus, qui sunt naturales infimi; si ad clarum sunt, inibi naturales interiores. Sed aquae marium quae super inferna sunt densae, nigrae, quandoque rubrae; et turba infernal is inibi appetit sicut angues et serpentes, et sicut monstra qualia in mari bus sunt.

**512. "Et facta est tertia pars maris sanguis."**—Quod significet quod inde omne factum sit falsum mali inibi, constat ex significatione "tertiae partis," quod sit omne (de qua supra, n. 506); ex significatione "maris," quod sit naturalis homo (de qua mox supra, n. 511); inde per "tertiam partem maris" significatur totus naturalis homo, et omne quod inibi; et

ex significatione "sanguinis," quod sit falsum mali (de qua etiam supra, n. 329[*f.s.g.*]). Ex his nunc videri potest sensus spiritualis hujus versus, quod nempe per quod "mons magnus igne ardens missus in mare, et facta est tertia pars maris sanguis," significetur quod amor sui dum intrat et occupat naturalem hominem, vertat omne scientificum inibi in falsum mali. Amor sui est amor mere corporeus, scaturiens ex ebullitione et fermentatione partium obsoletarum, et earum titillatione intus in corpore; unde perceptivum mentis, quod puram atmosphaeram requirit, non modo hebetatur et crassescit, sed etiam perit. Quod amor sui sit ex illa origine, constare potest ex correspondentia ejus cum stercore humano; nam qui illi amori inescati fuerunt, in altera vita p[re]a reliquis amant sordes stercorea, quarum nidor illis est gratus; signum quod <sup>10</sup>effluviosum pollent ex illis amoene stringat sensorium odoris illorum, sicut prius sensorium commune quod per cuticulas interiores undequaque extensem est. Ex hoc solum constare potest quod amor sui sit p[re]a reliquis amoribus crassus et sordide corporeus, et inde quod auferat omnem perceptionem spiritualem, quae est veri et boni caeli et ecclesiae. Claudit etiam spiritualem mentem, ac sedem suam unice figit in naturali et sensuali homine, quae proxime communicat cum corpore, ac nihil cum caelo: inde etiam fit, quod omnes illi, apud quos praedominatur amor sui, sensuales sint, et non videant illa quae caeli et ecclesiae sunt, nisi in summa caligine; et quoque, quando soli sunt et secum cogitant, illa rejiciant et negent. Ex his nunc constare potest quid significatur per quod "tertia pars maris facta sit sanguis," ex eo quod "mons magnus igne ardens illuc missus sit."

**513[a].** [*Vers. 9.*] "*Et mortua est tertia pars creaturarum in mari habentium animas.*"—Quod significet quod inde perierit omne scientificum vivum in naturali homine, constat ex significatione "mori," quod sit perire spiritualiter seu quoad vitam caeli; ex significatione "tertiae partis," quod sit omne (de qua supra, n. 506); ex significatione "creaturarum in mari," seu piscium, quod sint scientifica (de qua sequitur); et ex significatione "habere animas," quod sit vivum esse: inde per quod "mortua sit tertia pars creaturarum in mari habentium animas" significatur quod inde perierit omne sci-

entificum vivum. Per scientificum vivum intelligitur scientificum quod trahit vitam ex spirituali affectione; nam haec affectio dat vitam veris, et inde vitam scientificis; scientifica enim sunt continentia veritatum spiritualium (videatur supra, n. 506, 507, 511). Quod "creaturae maris," seu pisces, significant scientifica, est quia "mare" significat naturalem hominem; inde "pisces in mari" significant ipsa scientifica quae sunt in naturali homine. Quod "pisces" illa significant, est quoque ex correspondentia; spiritus enim qui non in spiritualibus veris sunt, sed modo in naturalibus, quae sunt scientifica, apparent in mundo spirituali in maribus, dum spectantur ab illis qui supra sunt, sicut pisces; sunt enim cogitationes, quae ex scientificis apud illos procedunt, quae tales apparent. Omnes enim ideae cogitationis angelorum et spirituum vertuntur in varia repraesentativa extra illos; dum in talia quae sunt regni vegetabilis, vertuntur in arbores et frutices varii generis, at dum in talia quae sunt regni animalis, vertuntur in animalia terrae ac in volatilia varii generis: ideae angelorum caeli, dum in animalia terrae, vertuntur in agnos, oves, capras, juvencos, equos, mulos, et in similia alia; dum autem in volatilia, vertuntur in turtures, columbas, et plures species volucrum quae pulchrae sunt: at vero ideae cogitationis illorum qui naturales sunt, et ex solis scientificis cogitant, vertuntur in formas piscium; apparent etiam inde in maribus plures species piscium, quas saepius videre etiam mihi datum est. Exinde est quod per "pisces" in Verbo significantur scientifica; ut in sequentibus locis:—  
Apud *Esaiam*,

"Per increpationem meam exsicco mare, pono fluvios in desertum, putrescit piscis eorum, eo quod non sit aqua et morietur siti" (l. 2);

per "increpationem Jehovae" intelligitur interitus ecclesiae, qui est quando non aliqua cognitio veri et boni, seu non aliqua cognitio viva, quia non perceptio; per "exsiccare mare" significatur deprivare naturalem hominem scientificis veris et inde vita naturali ex spirituali; per "ponere fluvios in desertum" significatur rationalem hominem similiter, unde non amplius intelligentia; per "putrescit piscis eorum eo quod non sit aqua ac morietur siti" significatur quod non scientificum vivum amplius, quia non

verum ; "piscis" est scientificum, "aqua" est verum, "putrescere" est emori quoad vitam spiritualem. Simile quod hic dicitur de mari, quod "tertia pars ejus facta sit sanguis," et quod "inde mortua sit tertia pars creaturarum inibi," etiam dicitur de Aegypto, quod ejus flumen, et omnes aquae factae sint sanguis, et quod inde pisces mortui fuerint, apud *Mosen*,

Dixit Moses ad Pharaonem, quod aquae fluminis verterentur in sanguinem, et quod inde piscis moreretur, et flumen feteret, usque ut defatigarentur Aegyptii bibere aquas ex flumine ; quod etiam factum est cum omni aqua in Aegypto (*Exod. vii. 17-25*) ;

de qua re etiam apud *Davidem*,

"Vertit aquas eorum in sanguinem, et occidit piscem <sup>[1]</sup>eorum" (*Ps. cv. 29*).

Quod simile in Aegypto factum sit, est quia per "Aegyptum" significatur naturalis homo quoad scientificum ejus, seu scientificum quod naturalis hominis ; per "flumen Aegypti" significatur intelligentia comparata per scientifica ; quod "flumen factum sit sanguis" significat quod illa ex meritis falsis ; et quod "piscis moreretur" significat quod scientifica vera perirent per falsa : scientifica enim vivunt per vera, at pereunt per falsa ; causa est, quia omne spirituale verum est vivum ; inde est omnis vita, vel sicut anima, quae scientificis inest ; quare absque spirituali vero est scientificum mortuum. Apud *Ezechielēm*,

"Ego contra te Pharao, rex Aegypti, cete magne, qui cubat in medio fluviorum suorum ; qui dixit, Meus fluvius meus, et ego feci me : propterea dabo hamos in maxillas tuas, et adhaerere faciam piscem fluviorum tuorum squamis tuis, et faciam ascendere te e medio fluviorum tuorum, ut omnis piscis fluviorum tuorum in squamis [tuis] haereat ; et derelinquam te in deserto, te et omnem piscem fluviorum tuorum" (*xxix. 3-5*) :

per "Pharaonem" significatur simile quod per "Aegyptum," simile enim per "regem" quod per "populum," nempe naturalis homo et scientificum ibi ; quare etiam vocatur cetus magnus, per "cetum" enim seu "balaenam" significatur scientificum in communi ; et ideo dicitur quod "extrahetur e flumine," et tunc "piscis adhaerebit squamis ejus," per quod significatur quod peritura sit omnis intelligentia, et quod scientia, quae loco ejus, erit in sensuali homine absque vita : in sensuali homine, qui est in-

fimus naturalis proxime extans mundo, sunt fallacie et inde falsa; hoc significatur per quod "piscis adhaerebit squamis" ceti: quod naturalis homo, et quod scientificum ibi absque vita ex aliqua intelligentia erit, significatur per "Derelinquam in deserto te et omnem piscem fluviorum tuorum;" quod talia fient quia naturalis homo sibi tribuit omnem intelligentiam, significatur per "[<sup>1</sup>]qui dixit, Meus fluvius meus, ego me feci;" "fluvius" est intelligentia. Apud *Mosen*,

Dicebant filii Israelis in deserto, "Recordamur piscis, quem comedimus in Aegypto gratis, et cucumerum, et cucurbitarum, et porri, et ceparum et alliorum; nunc anima nostra arida est, non quicquam nisi quod ad man oculi nostri." Postea "ventus profectus a Jehovah, abripuit selav e mari, et demisit super castra:" sed propter concupiscentiam "percussit Jehovah in [<sup>1</sup>]populo plagam magnam valde: unde vocabatur nomen loci illius, Sepulchra concupiscentiae" (*Num. xi. 5, 6, 31, 33, 34*):

per haec significabatur quod filii Israelis aversati fuerint spiritualia, et appetiverint naturalia; erant etiam illi mere naturales, et non spirituales; modo spiritualem ecclesiam repraesentabant per externa: quod aversati spiritualia significatur per quod "anima nostra arida sit, non quicquam nisi quod ad man oculi nostri;" "man" significabat cibum spiritualem, qui est scientia, intelligentia et sapientia: quod appetiverint naturalia, significatur per quod concupiscerent "piscem in Aegypto, cucumeres, cucurbitas, porros, cepas et allia;" haec omnia significant talia quae sunt infimi naturalis, hoc est, sensualis corporei hominis: et quia rejecerunt spiritualia, et pro illis cupiverunt mere naturalia, ideo "percussi sunt plaga magna; et datum nomen loco, Sepulchra concupiscentiarum." Apud *Ezechiel*,

Dixit ad me, "Aqua hae exeunte ad terminum orientalem, ac descendunt in planitiem, ac veniunt versus mare, in mare emissae ut sanentur aquae; unde fit, omnis anima vivens, quae reptat, quo-cunque veniunt fluvii, vivet; unde fit piscis multus valde:.... fit ergo, stant super illo piscaiores ab En-gedi usque ad En-eglaim, expansione sagenarum adsunt, juxta speciem erit piscis eorum, sicut piscis maris magni multus valde: caenosa et paludes ejus, quae non sanantur, in salem abeunt" (*xlvii. 1, 8-11*):

agitur ibi de Domo Dei, per quam significatur caelum et ecclesia; et per "aquas quae exeunt e Domo Dei versus orientem," significatur Divinum Verum reformans et regenerans: per "planitiem" et per "mare" in quae de-

scendunt aquae, significantur ultima caeli et ecclesiae, quae apud homines ecclesiae sunt illa quae sunt naturalis et sensualis hominis, per "planitem" interiora ejus, et per "mare" exteriora ejus; quod tam cognitiones ex Verbo quam scientifica confirmantia vitam spiritualem per Divinum id Verum accipient, significatur per quod "aqua maris sanentur" inde, et quod "vivet omnis anima quae reptat," et quod "erit piscis multus valde:" quod inde omnis generis scientifica vera et viva sint, significatur per "Juxta speciem erit piscis eorum, piscis sicut maris magni multus valde:" illi qui reformatur et inde intelligentes fiunt, intelliguntur per "piscatores ab En-gedi usque ad En-eglaim;" qui non reformari possunt quia in falsis mali sunt, significantur per "caenosa et paludes quae non sanantur, et abeunt in salem." Quod hic non intelligentur pisces, qui ex aquis exeuntibus e Domo Dei multiplicantur, quisque videre potest; sed quod per "pisces" intelligentur illa apud hominem quae reformari possunt; quoniam per "Domum Dei" intelligitur caelum et ecclesia, et per "aquas" inde exeentes Divinum Verum reformans.

[b.] In Verbo passim dicitur "bestia terrae," "avis caeli" et "piscis maris;" et qui non scit quod per "bestiam terrae" seu "agri" intelligatur voluntarium hominis, per "avem caeli" intellectuale ejus, et per "piscem maris" scientificum ejus, prorsus non scire potest quis illorum locorum sensus est; ut in sequentibus:—Apud *Hoscheam*,

"Lis Jehovah cum habitatoribus terrae, quia non veritas, non misericordia, et non cognitio Dei in terra;.... propterea lugebit terra, et contabescet omnis habitans in ea, inter bestiam agri, et inter avem caelorum, etiamque pisces maris colligentur" (iv. 1, 3);

apud *Zephaniam*,

"Consumam hominem et bestiam, consumam avem caelorum, et pisces maris, et offendicula cum impiis" (i. 3);

apud *Ezechielem*,

"In die quo veniet Gog super terram Israelis,.... erit terrae motus magnus super terra Israelis, et contremiscant coram Me pisces maris, et avis caelorum, et bestia agri" (xxxviii. 18–20);

apud *Hiobum*,

"Quaere bestias et docebunt te, aut aves caeli et annuntiabunt tibi, aut virgultum terrae et docebit te, et narrabunt tibi pisces maris: quis non novit ex his omnibus, quod manus Jehovah faciat illud?" (xii. 7–9.)

In his locis per "bestiam agri" intelligitur voluntarium hominis, per "avem caeli" intellectuale ejus, et per "pisces maris" scientificum ejus. Quid alioqui foret quod "bestiae docerent te, aves caeli annuntiabunt tibi, et pisces maris narrabunt, quod manus Jehovahe faciat illud"? Dicitur etiam, "Quis non novit ex his omnibus?" Similiter apud *Daviddem*,

"Dominari Eum fecisti super opera manuum tuarum, omnia posuisti sub pedes Ejus, gregem et armenta omnia, bestias agrorum, avem caeli, et pisces maris, transeuntem vias marium" (Ps. viii. 7-9 [B. A. 6-8]):

haec dicta sunt de Domino, ac de Ipsius dominio; quod dominium Ipsius sit in caelis super angelos et in terris super homines notum est ex Verbo, dicit enim Ipse quod Ipsius "omnis potestas data sit in caelo et in terra" (*Matth. xxviii. 18*); quod autem dominium Ipsius datum sit super animalia, aves et pisces, non tanti est ut memoretur in Verbo, ubi omnia et singula spectant caelum et ecclesiam. Inde constare potest quod per "gregem et armenta, bestias agrorum, avem caeli et pisces maris," talia quae sunt caeli apud angelum et ecclesiae apud hominem intelligantur: per "gregem et armenta" significantur in genere spiritualia et naturalia, per "gregem" spiritualia et per "armenta" naturalia quae apud hominem, seu quae sunt mentis spiritualis et mentis naturalis apud illum; per "bestias agrorum" significantur voluntaria quae sunt affectionum; per "aves caeli" intellectualia quae sunt cogitationum; et per "pisces maris" scientifica, quae sunt naturalis hominis. Similia significantur per haec in primo capite *Genescos*,

"Dixit Deus, Faciamus hominem in imagine nostra, secundum similitudinem nostram, ut dominetur in pisces maris, et in avem caeli, ....et in omne animal repens super terra" (vers. 26, 28):

agitur in illo capite in sensu interno spirituali de instaurazione Ecclesiae Antiquissimae, ita de nova creatione seu regeneratione hominum illius ecclesiae: quod datum sit illis percipere omnia suae affectionis quae voluntatis, ac videre omnia suae cogitationis quae intellectus, et sic regere illa, ne abirent in concupiscentias mali et in falsitates, intelligitur per "ut dominetur in pisces maris, avem caeli et omne animal terrae:" et dominatur homo in illa quando Dominus dominatur super hominem; nam homo ex se non

super aliquid apud se dominatur: quod per "piscem maris, avem caeli et bestiam agri" talia significentur, est quia correspondent. Correspondentiae interiorum hominis cum illis ad manifestum visum sistuntur in mundo spirituali, nam ibi apparent omnis generis bestiae, tum aves, ac in maribus pisces, quae tamen non aliud sunt quam ideae cogitationis profluentes ex affectionibus, quae sub talibus formis sistuntur quia correspondent.

[c.] Quoniam per "pisces" significantur scientifica et cogitationes quae naturalis hominis, quae inserviunt spiritali homini pro mediis sapiendi, inde per "piscatores" in Verbo intelliguntur qui modo in cognitionibus sunt, ac qui cognitiones sibi comparant, tum qui alias docent, et per cognitiones reformat; opera eorum intelliguntur per "emissiones et expansiones retium;" ut in sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

"Lugebunt piscatores, et tristes erunt omnes projicientes in flumen hamum, et expandentes rete super facies aquarum languescent" (xix. 8):

hic per "piscatores projicientes in flumen hamum, et expandentes rete," intelliguntur qui sibi cognitiones, et per illas intelligentiam, volunt comparare: hic quod non possint, quia non alicubi cognitiones veri. Apud *Fere-miam*,

"Reducam" filios Israelis "super terram eorum; mittam ad piscatores muitos qui piscabuntur illos: tum mittam ad muitos venatores qui venabuntur eos desuper omni monte, et desuper omni colle, et ex foraminibus petrarum" (xvi. [15.] 16):

quod per "mittere ad piscatores qui piscabuntur illos, et ad venatores qui venabuntur illos," intelligatur convocare et instaurare ecclesiam apud illos qui in bono naturali et in bono spirituali sunt, videatur supra (n. 405[2]). Apud *Habakuk*,

"Quare facis hominem sicut pisces maris, sicut reptile cui non dominans? Omnes hamo extrahat et congreget eum in rete suum; .... ergone evacuabit rete suum, et jugiter occidere gentes non parcer?" (l. 14, 15, 17):

haec dicta sunt de gente Chaldaea vastante et destruente ecclesiam: per "gentem Chaldaeam" significatur profanatio veri et vastatio ecclesiae: "facere homines sicut pisces maris, et sicut reptile cui non dominans," significat

facere hominem ita naturalem ut ejus scientifica sint absque spirituali vero, et jucunda absque spirituali bono; in naturali enim homine sunt scientifica per quae cogitationes, et jucunda per quae affectiones, super quas si non dominatur spirituale, sunt tam cogitationes quam affectiones vagae; ita homo absque intelligentia quae ducet et reget: quod tunc omne falsum et malum illos in suas partes trahere possit, et sic prorsus perdere, significatur per quod "Hoc omnes homo extrahat et congreget in rete suum, et postea occidet;" "extrahere" est ex vero et bono; "in rete suum" est in falso et malum, et "occidere" est perdere. Apud *Amos*,

"Dies venient quibus extrahent vos aculeis, et postentatem vestram habemus piscatores" (iv. 2).

per quae significatur quod per acutas ratiocinationes ex falsis et fallaciis educturi sint et abalienatur a veris; haec dicta sunt de illis qui abundant cognitionibus quia habent Verbum et prophetas: illi ibi intelliguntur per "vaccas Baschanis in monte Samariae." Ex his nunc constare potest quid per "piscatores," per "pisces" et per "retia," quae toties memorantur in Novo Testamento, intelligitur; ut in his sequentibus:—

"Jesus... videns duos fratres, Simonem dictum Petrum, et Andream fratrem eius, jacientes rete in mare, erant enim piscatores, et dixit illis, Venite post Me, et factam vos piscatores hominum" (Matth. iv. 16, 19; Marc. i. 16, 17).

et alibi.

Jesus ingressus in navigium Simonis, et docebat turbam, et postea dixit Simon ut emitteret retia sua in captum, et concluserunt possum multitudinem ingentem, ut navigia implerentur, et minarentur mergi; et stupor apprecessit vienes super caputum piscium, dixit ad Simonem, Ne timeto, ex nunc homines eris capiens (Luc. v. 5-10).

his quoque similis sensus spiritualis inest sicut reliquis Verbi: quod Dominus elegerit illos piscatores, et dixerit quod "piscatores hominum fierent," significabat quod congregarent ad ecclesiam: per "retia quae expanderent, et quibus concluserunt ingentem multitudinem piscium, ut navigia minarentur mergi," significabatur reformatio ecclesiae per illos; nam per "pisces" ibi significantur cognitiones veri et boni per quas reformatio, tum multitudo hominum qui reformarentur. Similia quoque significantur

per capturam piscium a discipulis post resurrectionem Domini, de qua re ita apud *Johannem*,

Dixit Jesus, dum manifestavit Se discipulis qui piscabantur, ut mitterent rete in dextras partes navigii: et acceperunt ut non amplius trahere valerent rete p[re]e multitudine piscium. Postquam descendederunt in terram, vident focum positum, et pisciculum superjacenter, et panem, et dedit illis Jesus panem et pisciculum similiter (xxi. 2-13):

quod Dominus manifestaverit Se dum piscabantur, erat causa quia “piscari” significabat docere cognitiones veri et boni, et sic reformare; quod jusserrit “ut emitterent rete in dextras partes navigii” significabat quod ex bono amoris et charitatis omnia, “dextrum” enim significat bonum illud ex quo; cognitiones enim quantum ex bono trahunt, tantum vivunt et tantum multiplicantur; dicebant etiam quod “tota nocte laboraverint et nihil acceperint,” per quod significabatur quod a semet seu proprio nihil, sed a Domino omnia: simile etiam significabatur per “focum super quo pisciculus” et per “panem;” per “panem” enim significabatur Dominus et bonum amoris ab Ipso, et per “pisciculum super focum” cognitio veri ex bono; per “pisciculum” cognitio veri, per “focum” seu “ignem” bonum. Eo tempore non erant aliqui spirituales homines, quia ecclesia prorsus vastata fuit, sed omnes naturales; horum reformatio repraesentabatur per piscaturam illam, et quoque per piscem super foco. Qui credit quod piscis super foco et panis, qui dati discipulis ad comedendum, non significativum alicujus rei superioris fuerit, maxime fallitur; singula enim quae Dominus egit, et quae locutus est, significativa Divinorum caelestium fuerunt, quae unice patent per sensum spiritualem. Quod “focus” et “ignis” sit bonum amoris, et quod “panis” sit Dominus quoad id bonum, supra ostensum est; et quod “piscis” sit cognitio veri et scientificum quod naturalis hominis, ex dictis et ostensis in hoc articulo patet.

[d.] Dicit etiam Dominus quod

“Regnum caelorum simile sit sagenae jaetae in mare; et ex omni genere piscium contrahenti, quae postquam impleta est, subduxit in litus, et collegit bonos in vasa, et malos foras ejecit; sic erit in consummatione saeculi” (*Matth. xiii. 47-49*):

separatio bonorum et malorum assimilatur hic “sagenae missae in mare contrahenti ex omni genere piscium,” ex

causa quia "pisces" significant naturales homines quoad scientifica et cognitiones, et illi in consummatione saeculi seu tempore ultimi judicii separantur ab invicem; sunt enim naturales boni et naturales mali: horum separatio apparat in mundo spirituali sicut rete seu sagena emissam in mare contrahens et subducens in litus pisces; haec apparentia etiam est ex correspondentia; quare a Domino assimilatur regnum caelorum "sagena contrahenti pisces;" quod separatio bonorum a malis ita appareat, etiam mihi visum est. Quod naturales homines per "pisces" significentur, constat ex hoc Domini miraculo:

"Accesserunt qui didrachma acciperent:" Jesus dixit ad Simonem, "Reges terrae a quibus accipiunt tributum et censem? a filiis suis, an ab alienis? Dixit Ipsi Petrus, Ab alienis: dixit illi Jesus, Ergo liberi sunt filii: verum ne simus illis offendiculo, abi ad mare, et mitte hamum, et extractum primo pisces tolle, et aperi os ejus, et invenies staterem; eum accipe, da illis pro Me et pro te" (*Matth. xvii. 24-27*):

per "dare tributum et censem," significabatur subjectus esse et servire; quare alienis, qui non erant ex filiis Israe lis, imponebantur tributa, ut patet ex historicis Verbi; per "filios Israelis," apud quos erat ecclesia, significabantur spirituales, et per "alienos" naturales; et naturale est subjectum spirituali, et ei servit; est enim spiritualis homo sicut dominus, et naturalis homo sicut servus: et quia naturales sunt servi, et inde intelliguntur per "tributarios," ideo factum est quod non Dominus nec Petrus darent tributum, sed "piscis," per quem significatur naturalis homo. Quod Dominus glorificaverit Humanum suum usque ad ultimum ejus, quod naturale et sensuale vocatur, significatur per haec,

Jesus discipulis manifestatus dixit, "Videte manus meas et pedes meos, quod Ego sim; palpate Me et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut Me videtis habere; et... ostendit illis manus et pedes:... et dixit illis, Habetisne aliiquid edulii hic? Illi dederunt Ipsi piscis assi partem, et de favo apiario, quae accipiens coram illis comedit" (*Lue. xxiv. 38-43*):

quod Dominus glorificaverit Humanum suum usque ad ultimum ejus, quod vocatur naturale et sensuale, manifestavit per quod ostenderit manus et pedes, et per quod discipuli palpaverint illa, et per quod dixerit quod spiritus non carnem et ossa habeat sicut Ipse; et quod ederit de

pisce asso et de favo apiario; per "manus et pedes" significantur ultima hominis, similiter per "carnem et ossa;" et per "piscem assum" significatur naturale quoad verum ex bono, et per "mel" significatur naturale quoad bonum ex quo verum: haec comedebantur in praesentia discipulorum, quia correspondebant naturali homini, et inde illum significabant; nam "piscis," ut in hoc articulo ostensum est, ex correspondentia significat naturale quoad scientificum; quapropter etiam "piscis" in Verbo significat scientificum et cognitivum quod est naturalis hominis, et "piscis assus" scientificum quod ex bono naturali; apud Dominum autem significabat Divinum Naturale quoad verum ex bono; et quod "mel" significet bonum naturale, videatur in *Arcanis Caelestibus* (n. 5620, 116857, 10137, 10530). Qui non scit quod in singulis Verbi sit sensus spiritualis, et quod sensus litterae, qui est sensus naturalis, consistat ex correspondentiis cum spiritualibus, non scire potest arcanum cur Dominus in praesentia discipulorum comedit de pisce asso et de favo apiario, tum supra cur dedit discipulis piscem assum et panem; cum tamen omnia et singula quae Dominus locutus est et egit Divina fuerunt, quae interius latent in singulis quae scripta sunt in Verbo. Ex his nunc constare potest quid significatur per quod "mortua sit tertia pars creaturarum in mari habentium animas," quod nempe perierit omne scientificum vivum in naturali homine, seu quod idem, quod naturalis homo quoad scientifica ibi mortuus sit: ille dicitur mortuus quando non vivificatur e spirituali homine, hoc est, per influxum e caelo a Domino per spiritualem hominem; nam Dominus influit per spiritualem hominem in naturalem: quare cum non amplius aliquod verum caeli agnoscitur, et non aliquod bonum caeli afficit, tunc spiritualis mens, quae vocatur spiritualis homo, clausa est, et naturalis mens recipit mere falsa ex malo; et falsa ex malo sunt spiritualiter mortua, sunt enim vera ex bono spiritualiter viva. Dicitur "tertia pars creaturarum," quia per "creaturas" et "animalia" in Verbo significantur affectiones et inde cogitationes apud hominem; proinde intelliguntur ipsi homines quoad illas. Similiter per "creaturas" apud *Marcum*,

Jesus dixit discipulis, "Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae" (xvi. 15);

et quoque supra in *Apocalypsi*,

"Et omnis creatura, quae est in caelo, et in terra, et sub terra, et in mari quae sunt, et quae in illis omnia, audivi dicentes, Sedenti super throno et Agno benedictio et honor et gloria, et robur in saecula saeculorum" (cap. v. 13):

quod ibi per "omnem creaturam" intelligantur tam angeli quam homines, patet; nam dicitur quod "audiverit illos dicentes." (Videatur supra, n. 342-346, ubi illa explicata sunt.)

**514[a]. "Et tertia pars navium periit."**—Quod significet quod etiam omnes cognitiones ex Verbo, et ex doctrinis inde, constat ex significatione "tertiae partis," quod sit omne, hic omnes, quia dicitur de cognitionibus veri et boni; et ex significatione "navium," quod sint cognitiones veri et boni, tum doctrinalia; quod "naves" illa significant, est quia illae ferunt opes super mare pro negotiatione, et per "opes" in Verbo significantur cognitiones veri et boni, quae etiam sunt doctrinalia. Per "naves" in sensu stricto, in quo continens intelligitur, significatur Verbum et doctrina e Verbo, quia Verbum et inde doctrina continent cognitiones veri et boni, sicut naves continent opes; et "negotiari," quod imprimis fit per naves, significat comparare sibi cognitiones et illas communicare aliis: at dum contenta intelliguntur pro continente, per "naves" significantur cognitiones ex Verbo, et ex doctrina e Verbo. Quod "naves" talia significant, constare potest a locis in Verbo ubi nominantur:—Ut apud *Ezchielēm*,

Tyre, "in corde maris termini tui; architecti tui perfecerunt pulchritudinem tuam; ex abietibus e Senire aedificarunt tibi omnes tabulas, cedrum e Libano sumpserunt ad faciendum malum pro te; e querubis e Baschane facerunt remos tuos, asserem tuum fecerunt ebore; filiam gressum ex insulis Kitthim: . . . habitatores Sidonis et Arvadi fuerunt remiges tui: sapientes tui, Tyre, fuerunt in te, fuerunt naucleri tui: seniores Gebalis et sapientes ejus fuerunt in te, confirmantes fissuram tuam; omnes naves maris et nautae earum fuerunt in te, ad negotiadum negotiationem tuam: . . . naves Tharsischii, turmae tuae in mercatu tuo, unde impleta es et honorata valde in corde marium" (xxvii. 4-6, 8, 9, 25):

agitur in eo capite de Tyro: et quia per "Tyrum" significantur cognitiones veri et boni, ideo agitur de negotiatione ejus, et de variis mercibus quibus ditata est; per "negotiationem" enim ejus cum variis mercibus, quibus ditata est, significatur comparatio cognitionum illarum, et inde opulentia spiritualis; hic itaque describitur navis

cum omni ejus apparatu, ut quoad tabulas, remos, malum, quoad naucleros, remiges et nautas, et in antecedentibus et consequentibus quoad merces. Quid autem singula in spirituali sensu significant, prolixum foret hic describere; satis est quod inde constare possit quod "navis" significet doctrinam ex Verbo, et quod "tabulae," "remi," "malum" significant varia ex quibus doctrina; quodque illi qui docent, ducunt et regunt, intelligantur per "gubernatorem," "naucleros," "remiges" et "nautas," et ipsa doctrinalia per "merces" ejus, et comparatio opum et divitiarum spiritualium, quae sunt cognitiones veri et boni per quas sapientia, per "negotiationem:" quare dicitur, "Sapientes tui, Tyre, fuerunt in te, fuerunt naucleri tui:" et in capite sequente, ubi etiam agitur de Tyro,

"Ecce sapiens tu piae Daniele, ullum occultum non absconderunt tibi; in sapientia tua et in intelligentia tua feceras tibi opes, et feceras aurum et argentum in thesauris tuis; per multitudinem sapientiae tuae in negotiatione tua feceras tibi opes" (*Ezech. xxviii. 3-5*):

ex quibus patet quod per "Tyrum" et ejus "negotiations" intelligantur cognitiones veri et boni per quas sapientia; quid alioqui foret tam multa dicere de mercibus ejus et de mercatura ejus, si non intelligerentur spiritualia? (Quod per "Tyrum" intelligatur ecclesia quoad cognitiones veri et boni, et inde cognitiones veri et boni quae ecclesiae, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 1201.) Agitur postea in eodem capite de vastatione ecclesiae quoad cognitiones veri et boni, quae etiam his verbis describitur,

"Ad vocem clamoris nauclerorum tuorum contremiscent suburbana, et descendenter ex navibus tuis omnes tenentes remum: omnes naucleri maris . . . clamabunt super te amare" (cap. xxvii. [28,] 29, 30):

per "naucleros" significantur sapientes per cognitiones ex Verbo; per "tenentes remum" significantur intelligentes; vastatio sapientiae et intelligentiae significatur per "vocem clamoris nauclerorum," et per quod "descendenter ex navibus tenentes remum."

[b.] Quod per "naves" in Verbo intelligantur cognitiones veri et boni, et quoque doctrinalia ex Verbo, dum per "naves" intelliguntur opes, ita contenta pro continente, constat adhuc ex his locis:—Apud *Esaiam*,

"Ejulate, naves Tharschischi, quia devastata est Tyrus; . . . silent habitatores insulae, mercator Sidonis transiens mare, impleverunt te: . . . ejulate, naves Tharschischi, quia devastatum est munimentum vestrum" (xxiii. 1, 2, 14):

per "naves Tharschischi" intelliguntur doctrinalia ex Verbo; nam illae naves apportarunt aurum et argentum, per quae significantur bona et vera, et illorum cognitiones ex Verbo; et quia per "Tyrum" significatur ecclesia quoad cognitiones veri et boni, hic illa vastata, inde dicitur, "Ejulate, naves Tharschischi, quia vastata est Tyrus;" per "habitatores insulae" intelliguntur qui in bonis vitae sunt secundum doctrinalia sua; per "mercatores Sidonis" significantur qui in veris ex Verbo, de quibus dicitur quod "impleverint te;" per "mumentum vestrum" significatur doctrina ex Verbo tutans, et per "devastatum illud" significatur quod non ejus perceptio, et inde non verum; nam similia doctrinalia ex Verbo absque perceptione spirituali non sunt vera, quia per ideas non justas de illis falsificata sunt. Apud eundem,

"Mihi insulae confident, et naves Tharschischi in principio, ad adducendum filios tuos e longinquo, argentum et aurum eorum cum illis" (ix. 9):

quod per "naves Tharschischi in principio" intelligantur cognitiones veri et boni, quales sunt illis in principio qui reformantur, videatur supra (n. 406[*c*]), ubi illa explicata sunt: naves Tharschischi enim in principio ferebant aurum et argentum in magna copia, per quae significantur bona vitae et vera doctrinae. De navibus Tharschischi legitur in *Libro Primo Regum*,

"Navem fecit Salomo in Ezion Jeber quae apud Eloth juxta litus Maris Suph in terra Edomi; et misit Chiramus....servos suos, viros natiuum, gnatos maris, cum servis Salomonis; venerunt in Ophirem, et sumpserunt aurum quadringenta et viginti talenta, quae adduxerunt ad Regem Salomonem" (ix. 26-28);

*et dein*

"Navis Tharschisch erat regi in mari cum navi Chirami; semel ternis annis veniebat navis Tharschisch, portans aurum et argentum, ebora, et simias et pavones" (x. 11)22);

*et postea in eodem libro,*

Rex "Jehosaphath fecit naves Tharschisch, ut abirent in Ophirem ob aurum; sed non abiverunt, nam fractae sunt naves in Ezion Jeber" (xxii. 49 [B. A. 48]):

quamvis haec historica sunt, usque continent sensum spiritualem aeque ac prophetica: quod "naves factae sint in Ezion Jeber ad litus Maris Suph in terra Edomi" significabat scientias naturalis hominis, nam illae in se continent

et quasi portant opes spirituales, sicut naves opes mundanas; "mare" enim "Suph," et "terra Edomi" ubi Ezion Jeber, erat ultimus terminus terrae Canaanis; et per "ultimos terminos terrae Canaanis" significantur ultima ecclesiae, quae sunt scientiae comprehendentes cognitiones veri et boni: per "aurum" et "argentum" significantur bona et vera ecclesiae internae; per "ebora," "simias," et "pavones" significantur vera et bona ecclesiae externae: per *scientias* intelliguntur scientiae quales fuerunt antiquis, nempe scientiae correspondentiarum, representationum, influxum, ac de caelo et inferno; quae imprimis comprehendebant cognitiones veri et boni ecclesiae, ac illis inserviebant: per "Chiramum" significantur gentes quae extra ecclesiam, apud quas etiam sunt cognitio-nes boni et veri: per quod "naves" sub rege Jehoschaphath "fractae sint" significat devastationem ecclesiae quoad vera et bona ejus. Ex his constare potest quid in specie significantur per "naves Tharschisch" in praecedentibus; et quoque apud *Davidem*,

"Per ventum orientalem confringes naves Tharschisch" (Ps. xlviij. 8 [B. A. 7]):

per "ventum orientalem" significatur devastatio et desolatio; nam per ventum qui ab oriente venit in mundo spirituali domicilia malorum evertuntur funditus, ac ipsi cum thesauris, in quibus cor suum posuerunt, ejiciuntur in inferna (de quo vento videatur in opusculo *De Ultimo Judicio*, n. 61): per "naves Tharschisch" hic significantur doctrinalia falsa. Et apud *Esaiam*,

"Dies Jehovah Zebaoth...super omnes cedros Libani altas et elatas; et super omnes quercus Baschanis; et super omnes montes altos, et super omnes colles elatos; et super omnem turrim excelsam, et super omnem murum munitum; et super omnes naves Tharschisch; et super omnes imagines desiderii; ut destruatur superbia hominis, et humilietur altitudo virorum, et exaltetur Jehovah solus in die illo" (ii. 12-17):

per "diem Jehovah" intelligitur adventus Domini, quando ultimum judicium a Domino peractum fuit. (Quod hoc a Domino peractum sit quando in mundo fuit, videatur in opusculo *De Ultimo Judicio*, n. 46.) Recensentur hic super quos intra ecclesiam judicium factum est: per "cedros Libani altas et elatas" significantur qui ex propria intelligentia se jactant, et per "quercus Baschanis" qui ex scientia; nam "cedri" in Verbo dicun-

tur de rationali homine, et “quercus” de naturali, ac rationali homini est intelligentia, et naturali homini scientia: per “montes altos et colles elatos” significantur qui in amore sui et in amore mundi sunt (videatur supra, n. 405[g]): per “turrim excelsam,” “et murum munitum,” significantur principia falsi confirmata, ita quoque illi qui in iis sunt: per “naves Tharschisch,” et per “imagines desiderii,” significantur doctrinalia falsa faventia jucundis amorum terrestrium: destructio fastus ex propria intelligentia et scientia, intelligitur per “ut destruatur superbia hominis, et [humilietur] altitudo virorum;” quod omnis intelligentia et scientia sit a Domino, significatur per “ut exaltetur Jehovah solus in die illo.” Creditur quod scientia sit ex homine; sed scientia quatenus inservit intelligentiae, in qua est perceptio veri, est a solo Domino.

[c.] *Apud Esaiam,*

In Zione et Hierosolyma “magnificus Jehovah nobis, locus fluviorum, fluminis, latitudinis spatiorum; non ibit in eo navis remi, et navis magnifica non transbit eum” (xxxiii. 21):

per “Zionem” et “Hierosolymam” intelligitur ecclesia Domini, per “Zionem” ecclesia ubi regnat bonum amoris, et per “Hierosolymam” ubi verum doctrinae; ibi dicitur “Jehovah magnificus” quando homines ecclesiae tales sunt ut sint receptiones Divini Boni et Veri a Domino: et vocatur Zion et Hierosolyma “locus fluviorum, fluminis, et latitudinis spatiorum,” quando omnis illorum sapientia et intelligentia ac bonum et verum sunt a Domino; “fluvii” significant sapientiam, “flumen” intelligentiam, “latitudo spatiorum” vera ex bono in multitudine et extensione: “non ibit in eo navis remi, et navis magnifica non transbit eum,” significat quod non in ecclesia erit intelligentia et sapientia ex proprio; “navis remi” est intelligentia ex proprio, quia ducitur ab hominibus per remos; et “navis magnifica” est sapientia ex proprio, quia homo ex illa gloriatetur et superbit; “navis” enim significat intelligentiam et sapientiam quando vadit in mari et transit, sic enim est in cursu vehens suas opes: quod hic non intelligatur navis, patet, quia dicitur de Zione et Hierosolyma. *Apud Davidem,*

“Multa sunt opera tua, Jehovah; . . . . hoc mare magnum et latum spatiis, ibi reptile cui non numerus, animalia parva cum magnis; ibi naves eunt; leviathan quem formasti ad ludendum in eo: omnia Te exspectant, ut des cibum eorum in tempore suo” (Ps. civ. 24-27):

hic non intelligitur mare, nec intelliguntur reptilia, animalia, leviathan seu balaena, ac naves, sed talia quae sunt apud homines ecclesiae; hi enim "exspectant Jehovam;" per "mare magnum et latum" significatur externus seu naturalis homo, qui recipit bona et vera scientifice; "magnum" dicitur de bono ibi, et "latum" de vero ibi: per "reptilia" significantur scientifica viva; per "animalia magna et parva" cognitiones boni et veri omnis generis, superiores et inferiores, ac in communi et in specie (*ut in articulo mox superiori, n. 513*): per "naves" intelliguntur doctrinalia: per "leviathanem" seu "balaenam" omnia naturalis hominis in complexu, qui dicitur "ludere in mari" ex jucundo sciendi et inde sapiendi. Quia homo ex illis afficitur desiderio sciendi et intelligendi, dicitur, "Omnia Te exspectant, ut des cibum eorum in tempore;" "exspectare" significant desiderare, et "cibus" scientiam et intelligentiam; homo enim ex se non desiderat illas, sed ex illis quae apud illum a Domino, proinde illa apud hominem, tametsi appetit sicut homo ex se. Apud eundem,

"Qui descendunt in mare in navibus, facientes opus in aquis multis, ipsi viderunt opera Jehovah, et mirabilia Ipsius in profundo" (Ps. cvii. 23, 24):

"Qui descendunt in mare [in] navibus, facientes opus in aquis multis," significant illos qui intense student doctrinae veri ex Verbo; "illi viderunt opera Jehovah, et mirabilia Ipsius in profundo," significant quod illi intelligent vera et bona caeli et ecclesiae, et abdita eorum; "opera Jehovah" sunt omnia Verbi quae perficiunt hominem, quae omnia se referunt ad verum et bonum; et "mirabilia in profundo" sunt abdita intelligentiae et sapientiae. Apud *Esaiam*,

"Sic dixit Jehovah Redemptor <sup>[t]u</sup>vester, Sanctus Israelis, Propter vos misi in Babelem, et dejiciam omnes vectes, et Chaldaeos, quorum in navibus clamor" (xlili. 14):

haec de liberatione fidelium ab oppressione illorum qui vastant ecclesiam; per "Babelem" intelliguntur qui illam vastant, et vastant per id quod detineant omnes a cognitionibus veri et boni, dicentes quod ipsi sciant, et quod ipsis credendum, cum tamen nihil veri sciunt; sic tenentes alios secum in densa ignorantia, ac avertentes a cultu Domini ob finem ut ipsi colantur: "dejicere eorum vectes,"

significat eorum principia falsi, et falsa devastantia vera ; "vectes" sunt principia falsi, et "Chaldaeи" sunt qui per falsa devastant ; per "Babelem" enim intelliguntur qui per mala destruunt bona, et per "Chaldaeos" qui per falsa destruunt vera : "quorum in navibus clamor" significat destructionem doctrinalium illorum. Haec destructio per "naves" etiam describitur in *Apocalypsi*,

"Una hora devastatae sunt tantae divitiae. Omnis etiam gubernator, et omnis qui super navibus versatur, et nautae, et omnes qui in mari negotiantur, e longinquo steterunt,....et injecerunt pulverem in capita sua, et clamabant flentes et plangentes, dicentesque, Vae, vae, urbs magna" Babylon, "in qua divites facti sunt omnes qui habent naves in mari, ex pretiositate ejus, quia una hora devastata est" (xviii. [16.] 17, 19) ;

sed haec ulterius explicata videantur in sequentibus.  
Apud *Danielem*,

"Tandem in tempore finis collidet cum eo rex meridiei : ideo quasi procella irruet in eum rex septentrionis, cum curru et cum equitibus, et cum navibus multis ; venietque in terram, et inundabit et penetrabit" (xi. 40) :

"tempus finis" significat tempus ultimum ecclesiae, quando non verum quia non bonum ; per "regem meridiei" intelligitur verum in luce, quod est verum ex bono ; per "regem septentrionis" intelligitur non verum quia non bonum, proinde falsum ; nam ubi non verum est, ibi est falsum, avertit enim homo se tunc e caelo ad mundum, et a Domino ad semet ; et ex mundo et ex semet, quando nihil e caelo a Domino, non influit nisi falsum ex malo. Pugnae inter bonum ex vero et inter falsum ex malo ultimis ecclesiae temporibus describuntur in eo capite per pugnas inter regem meridiei et regem septentrionis ; quod falsa tunc irruent et destruent vera, intelligitur per quod "rex septentrionis irruet in regem meridiei curru, equitibus, et cum navibus multis;" per "currum" intelligitur doctrina falsi, per "equites" ratiocinationes inde, per "naves" omnis generis falsa et falsificationes veri ; quod "veniet in terram, et inundabit et penetrabit," significat quod falsa destruent omnia ecclesiae tam exteriora quam interiora ejus.  
Apud *Mosen*,

"Reducet te Jehovah in Aegyptum in navibus, per viam de qua dixi tibi, Non addes amplius videre illam, ubi vendemini hostibus vestris in servos et ancillas, nec tamen emptor" (*Deut.* xxviii. 68) :

agitur ibi de ecclesiae desolatione quoad verum, si non vivitur secundum praecepta Domini in Verbo; "filii Isra-  
elis," ad quos haec dicta sunt, repreäsentabant et inde significabant ecclesiam ubi Verbum et inde vera doctrinæ, ita spirituales homines; "Aegyptii" autem mere naturales: quod "Jehovah reducet eos in Aegyptum in navibus" significat quod futuri mere naturales per doctrinalia falsi; "naves" sunt doctrinalia falsi: per "viam de qua dixi tibi, Non addes amplius videre eam," significat a spirituali homine in mere naturalem; nam homo ecclesiae a naturali homine fit spiritualis, at cum non vivit secundum praecepta ex Verbo, a spirituali homine fit mere naturalis: "ubi vendemini hostibus vestris in servos et ancillas" significat quod falsa et mala dominatura sint; "nec tamen emptor" significat prorsus viles. Apud *Hiobum*,

"Dies mei veloces fuerunt p̄ae currente; fugerunt, non viderunt bonum; praeteriverunt cum navibus desiderii, sicut aquila volat ad cibum" (ix. 25, 26):

"naves desiderii," cum quibus dies praeteriverunt, significant affectiones et jucunditates naturales omnis generis, quae solum mundi sunt et corporis; quae quia p̄ae spiritualibus appetuntur et hauriuntur, dicitur "sicut aquila volat ad cibum." Apud *Mosen*,

"Sebulon ad portum marium habitabit, et is ad portum navium, et latus ejus super ad Sidonem" (*Gen. xlix. 13*):

"Sebulon" significat coniunctionem boni et veri; "ad portum marium habitabit" significat vitam veri; "et is ad portum navium" significat secundum doctrinalia ex Verbo; "latus ejus super ad Sidonem" significat extensionem ab una parte ad cognitiones boni. (Sed haec explicata videantur in *Arcanis Caelestibus*, n. 6382-6386.) Apud eundem,

"Tunc naves ex loco Kitthaeorum, et affligerent Aschurem, et affligerent Eberum; sed tamen etiam hic ad intereuntem" (*Num. xxiv. 11[24]*);

hoc in prophetia Bileami: per "naves ex loco Kitthaeorum" significantur cognitiones veri et boni, quae fuerunt illis qui ab Antiqua Ecclesia; per "Aschurem" quem affligerent, significantur ratiocinationes ex falsis; et per "Eberum," quem etiam affligerent, significantur externa cultus, qualia fuerunt apud filios Jacobi; vastatio eorum quoad verum et bonum, significatur per "etiam hic ad intereuntem."

In *Libro Iudicum*,

"Gilead, in transitu Jordanis habitas ; et Dan cur timebit naves?" (v. 17 :)

per "Gilead" intelligitur simile quod per Menassen, et per "Menassen" significatur bonum naturalis hominis; et quia tribus Menassis non una pugnavit contra hostes cum Debora et Barako, dicitur "Gilead, in transitu Jordanis habitas," per quod significatur, Cur vivis solum in externis quae sunt naturalis hominis? Externum ecclesiae significabatur per regiones trans Jordanem, ac internum ejus per regiones intra Jordanem; externum ecclesiae est apud illos qui plus naturales sunt quam spirituales: et quia tribus Danis nec fuit in pugna cum hostibus una cum Debora et Barako, dicitur "Dan cur timebit naves?" per quod significatur, Cur non repellit falsitates et doctrinalia falsi? Sicut omnia in Veteri Testamento sensum spiritualem in se continent, ita quoque omnia in Novo Testamento quae apud *Evangelistas* et in *Apocalypsi*; omnia etiam verba Domini, et quoque facta et miracula, significant Divina caelestia, ex causa quia Dominus ex Divino locutus est, et ex Divino operatus est opera et miracula; ita ex primis per ultima, et sic in pleno. Exinde constare potest quod significativum fuerit quod Dominus docuerit ex navigiis; quod elegerit quosdam discipulos ex navibus cum piscabantur; quod Dominus ad navigium, in quo erant discipuli, ambulaverit super mari, et inde compescuerit ventum.

[d.] De docente Domino ex navigio, ita legitur apud *Evangelistas*,

"Jesus . . . . sedit juxta mare; et congregatae sunt ad Ipsum turbae multae, adeo ut Ipse in navem ingressus sederet, et universa turba in litore staret; et locutus est illis multa in parabolis" (*Matth.* xiii. 1, 2, seq.; *Marc.* iv. 1, 2, seq.);

et alibi,

[Factum est cum] Jesus "stans ad litus Genezareth, . . . . ut videret duo navigia stantia ad lacum; . . . . tunc ingressus est in unum navigatorum, quod Simonis erat, et rogavit illum ut a terra abduceret paullum: et consedit et docuit e navigio turbam" (*Luc.* v. 1-9):

singulis his etiam sensus spiritualis inest; tum quod "consederit juxta mare," et "ad litus Genezareth," tum quod "ingressus in navem Simonis, et inde multa docuerit." Hoc factum est, quia per "mare," et per "lacum Genezareth,"

cum de Domino, significantur cognitiones veri et boni in omni complexu; et per "navem Simonis," doctrinalia fidei; inde quod "ex navi docuerit" significabat quod ex doctrina. De eo, quod Dominus ad navigium in quo erant discipuli ambulaverit super mari, ita legitur apud *Evangelistas*,

"Erat navis" (in qua discipuli Domini fuerunt) "afflictata a vento in medio maris....; in quarta vigilia noctis pervenit ad eos Jesus ambulans super mari. ....Et dixit Petrus,....Jube me ad Te venire super aquis: dixit, Veni; quare descendens Petrus ambulavit super aquis, ut veniret ad Jesum; sed extimuit incipiens demergi:....Jesus extendens manum apprehendit eum, et dixit, Exiguae fidei homo, quare dubitabas? Et cum <sup>[1]</sup>ingressi in navem quievit ventus; et qui in navi erant adoraverunt Ipsum, dicentes, Vere Filius Dei Tu es" (*Matth.* xiv. 24-33; *Marc.* vi. 48-52):

et alibi,

"Cum vespera facta est, descenderunt discipuli ad mare, et postquam ingressi sunt in navigium, venerunt trans mare in Kapernaum, et tenebrae jam factae, sed non venit ad illos Jesus; et mare vento magno spirante commotum est: proiecti quasi stadia viginti quinque ad triginta, vident Jesum ambularem super mari, et prope navigium factum, et ideo extimuerunt: Ipse vero dixit, Ego sum, ne timete: et voluerunt accipere" Jesum "in navigium, sed statim navigium erat apud terram, ad quam tendebant" (*Joh.* vi. <sup>[2]</sup>16-21, seq.):

singula etiam hic significant Divina spiritualia, quae tamen non apparent in littera; sicut mare, ambulatio Domini super illo, quarta vigilia qua venit ad discipulos, tum napis, quod in illam ingressus Jesus, et quod inde compescuerit ventum et fluctus maris, praeter reliqua: spiritualia autem, quae significant, non hic opus est singillatim exponere; solum quod "mare" significet ultimum caeli et ecclesiae, quoniam in ultimis terminis caelorum sunt maria; "ambulatio Domini super mari," significabat praesentiam et influxum Domini etiam in illa, et inde illis qui in ultimis caeli vita ex Divino; vita illorum ex Divino repraesentabatur per "ambulationem Domini super mari;" ac illorum fides obscura et vacillans repraesentabatur per quod "Petrus ambulans super mari incepert demergi," sed apprehensus a Domino salvatus; "ambulare" etiam in Verbo significant vivere: quod hoc factum sit "in quarta vigilia," significabat primum statum ecclesiae, quando diluculum est et instat mane, tunc enim incipit bonum agere per verum, et tunc est adventus Domini: quod "mare interea vento commotum fuerit," et quod Dominus "compescuerit illum," significat statum vitae naturalem qui praecedit, qui status

est impacificus et quasi tempestuosus; at quando status proximus matutino est, qui est primus status ecclesiae apud hominem, quia Dominus tunc praesens est in bono amoris, fit tranquillum mentis. Simile quoque significatur per "sedationem venti et fluctuum maris" a Domino, de qua etiam apud *Evangelistas*,

"Conscendente" Jesu "in navem, secuti Ipsum discipuli Ipsius; sed ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navis congeretur a fluctibus; Ipse vero dormiebat. Accedentes itaque discipuli expergefecerunt Ipsum, dicentes, Domine, serva nos, perimus;...tunc erexit Se et reprehendit ventum...., et facta est tranquillitas magna" (*Matth.* viii. 23-26; *Marc.* iv. 36-40; *Luc.* viii. [4]23, 24):

per hoc reprezentabatur status hominum ecclesiae, quando in naturali sunt, et nondum in spirituali; in quo statu affectiones naturales, quae sunt variae cupiditates oriundae ex amoribus sui et mundi, assurgunt, et varios animi motus sistunt. In eo statu appareat Dominus sicut absens; haec absentia apparet significatur per quod "Dominus dormiret;" at cum e statu naturali in spiritualem veniunt, tunc cessant illi motus, et fit tranquillum mentis; nam motus intemperi naturalis hominis sedantur a Domino, quando spiritualis mens aperitur, et Dominus per illum influit in naturalem. Quoniam affectiones quae sunt amoris sui et mundi, et inde cogitationes et ratiocinationes, sunt ex inferno, sunt enim omnis generis concupiscentiae quae in naturalem hominem inde exsurgunt, ideo illae quoque per "ventum" et per "fluctus maris," et ipsum infernum per "mare," in sensu spirituali significantur; quod etiam constare potest ex eo, quod dicatur quod "Dominus reprehenderit ventum;" et apud *Marcum*,

"Jesus expergefactus increpavit ventum, et dixit mari, Sile et obmutesc; et quievit ventus, et facta est tranquillitas magna" (iv. 39):

hoc ad ventum et ad mare non dici potuit, nisi per illa intellexerit infernum, unde motus intemperi animi ex variis cupiditatibus exsurgunt. Quod "maria" etiam significant inferna, videatur supra (n. 342[e]).

## VERSUS 10, II.

**515.** "Et tertius angelus clanxit, et cecidit ex caelo stella magna ardens quasi lampas, et cecidit super tertiam partem fluviorum et super fontes aquarum. Et nomen stellae dicitur absinthium; et facta est tertia pars aquarum absinthium, et multi homines mortui sunt ex aquis, quia amarae factae sunt."

10. "**Et tertius angelus clanxit,**" significat influxum e caelo, et tertiam inde mutationem apud malos [n. 516]; "**et cecidit e caelo stella magna ardens quasi lampas,**" significat verum Verbi falsificatum ex amore proprio [n. 517]; "**et cecidit super tertiam partem fluviorum, et super fontes aquarum,**" significat quod inde perierit omnis intellectus veri, et per id doctrina ecclesiae [n. 518].
11. "**Et nomen stellae dicitur absinthium,**" significat verum mixtum falso mali [n. 519]; "**et facta est tertia pars absinthium,**" significat quod tale factum sit omne verum in intellectu et in doctrina [n. 520]; "**et multi homines mortui sunt ex aquis,**" significat quod omnes qui tales per falsa, in quaे conversa sunt vera Verbi, perierint [n. 521]; "**quia amarae factae sunt,**" significat quia vera Verbi falsificata sunt [n. 522].

**516.** [Vers. 10.] "**Et tertius angelus clanxit.**"—Quod significet influxum e caelo, et tertiam inde mutationem apud malos, constat ex illis quae supra (n. 502) dicta et ostensa sunt.

**517.** "**Et cecidit e caelo stella magna ardens quasi lampas.**"—Quod significet verum Verbi falsificatum ex amore proprio, constat ex significatione "stellarum," quod sint cognitiones veri et boni, tum vera et bona cognitionum ex Verbo (de qua supra, n. 72, 402): et ex significatione "ardere sicut lampas," quod sit ex amore proprio falsificari; "ardere" dicitur de amore proprio, quia "ignis" significat illum, (videatur supra, n. 504[ε]); et "lampas" significat verum Verbi, doctrinae et fidei (videatur etiam supra, n. 274); inde constare potest quod per "cecidit e caelo stella magna ardens quasi lampas" significetur verum Verbi ex amore proprio falsificatum. Sciendum est quod omnes illi qui in amore sui sunt, si student Verbo, falsificant vera ejus; causa est, quia omne verum est e caelo a Domino, et nihil a proprio hominis; et illi qui in amore sui sunt, proprio suo immersi sunt, et inde captant omnem ideam cogitationis de veris Verbi: ex eo est quod falsificant illa, non quoad sensum litterae Verbi, sed quoad intellectum veri in illo; nam intelligere verba aliter quam secundum verum sensum eorum est falsificare illa. Sunt duo status cogitationum hominis, unus dum in cogitatione de veris est a Domino, et alter dum a semet: quando est in cogitatione de veris a Domino, tunc elevatur ejus mens usque in lucem caeli; inde illi est illustratio et perceptio veri justa: at quando est in

cogitatione de veris a semet, tunc cadit ejus mens in lucem mundi; quae lux quoad spiritualia, seu quoad illa quae caeli et ecclesiae sunt, est caligo, in qua homo non videt nisi talia quae lucent ab igne amoris sui et mundi, quae in se sunt falsa opposita veris.

**518[a].** *"Et cecidit super tertiam partem fluviorum et super fontes aquarum."*—Quod significet quod inde perierit omnis intellectus veri, et per id doctrina ecclesiae, constat ex significatione "cadere" e caelo, cum de stellis, quod sit perire (de qua sequitur); ex significatione "tertiae partis," quod sit omne (de qua supra, n. 506), hic omnis, quia dicitur de intellectu veri et de doctrina, quae significantur per "fluvios" et per "fontes aquarum;" ex significatione "fluviorum," quod sint intellectus veri (de qua sequitur); et ex significatione "fontis aquarum," quod sit Verbum et doctrina ex Verbo, et inde quod "fontes" sint vera Verbi et doctrinalia (de qua supra, n. 483). Quod "cadere," cum dicitur de stellis, per quas intelliguntur cognitiones veri et boni ex Verbo (ut supra), significetur perire, est quia Divinum Verum, cum in mundo spirituali cadit e caelo in terram ibi, ubi sunt mali, vertitur in falsum; et cum Divinum Verum fit falsum, tunc perit. Hoc quoque significatur per quod

"Stellae cadent de caelo" (*Matth.* xxiv. 29; *Marc.* xiii. [1]25);

nempe quod in ultimo tempore ecclesiae periturae sint cognitiones veri et boni. Quod Divinum Verum, dum in mundo spirituali cadit e caelo in terram ibi, ubi sunt mali, vertatur in falsum et sic pereat, videatur supra (n. 413[a], 418[a], 419[a,f], 489): vertitur enim Divinum Verum in tale falsum quale est malum illis apud quos influit. Quod ita sit, constare potest ab hac experientia: datum mihi est animadvertere quomodo mutatur Divinum Verum in falsum, quem delabebatur profunde in infernum, et apperceptum quod mutaretur successive cum defluxit, usque tandem in falsissimum. Quod "fluvii" significant intellectum veri, tum intelligentiam, est quia "aqua" significant vera, ac intellectus est receptaculum et complexus veritatum, sicut fluvius est aquarum, et quia cogitatio ex intellectu, quae est intelligentia, est sicut flumen veri: ex eadem origine, nempe ex significatione "aqua" (quod sint vera, est quod "fons" significet Verbum, ac doctrinam veri; quodque "stagna,"

“iacus” et “maria” significant cognitiones veri in complexu. Quod “aquaे” significant vera, et “aquaе vivae” vera a Domino, videatur supra (n. 71, 483), et quoque in sequentibus locis in hoc articulo: quod “fluvii” et “flumina” significant intellectum veri, ac intelligentiam, constare potest ex Verbo ubi fluvii et flumina nominantur:—Ut apud Esaiam,

“Tunc saliet sicut cervus claudus, et cantabit lingua muti, quia erumpent in deserto aquae, et fluvii in planicie deserti” (cap. xxxv. 6):

haec de Domino, ac de reformatione gentium, et instaurazione ecclesiae apud illas: per “claudum,” qui saliet sicut cervus, significatur qui non in genuino bono est, quia non in cognitionibus veri et boni; per “linguam muti quae cantabit” significatur confessio Domini ab illis qui in ignorantia veri sunt: “erumpent in deserto aquae” significat quod vera erunt ubi non prius; et “fluvii in planicie deserti” significat quod intelligentia ubi non prius; “desertum” est ubi non verum, “planities deserti” ubi non intelligentia; “aquaе” sunt vera, et “fluvii” sunt intelligentia. Apud eundem,

“Aperiam super clivis fluvios; et in medio vallium fontes ponam; desertum in stagnum aquarum, et terram sicciam in scaturigines aquarum” (xli. 18):

haec dicta sunt de salvatione gentium a Domino; “aperire super clivis fluvios” est dare intelligentiam interiorem; “in medio vallium ponere fontes” est instruere in veris externum hominem. (Reliqua videantur explicata supra, n. 483.) Apud eundem,

“Ecce Ego faciens novum; nunc progerminabit, nonne agnoscitis illud? etiam ponam in deserto viam, in solitudine fluvios: honorabit Me fera agri, dracones et filiae noctuae, eo quod dederim in deserto aquas, et fluvios in solitudine, ad potandum populum meum, electum meum” (xliii. 19, 20):

haec etiam de Domino, et de nova ecclesia ab Ipso, quae intelligitur per “Ecce Ego faciens novum, nunc progerminabit:” per “ponere in deserto viam et in solitudine fluvios” significatur quod verum et intelligentia veri erunt ubi non prius; “via” est verum dicens ad caelum, ac “fluvii” sunt intelligentia; per “potare populum” significatur instruere illos qui desiderant: per “feram agri, dracones et filias noctuae,” significantur qui modo ex memoria sciunt vera et bona, ac non intelligunt et percipiunt illa; illi loquuntur

verum absque idea veri, pendentes solum ab aliis. Apud eundem,

"Effundam aquas super sitientem, et fluenta super aridam; effundam spiritum meum super semen tuum, et benedictionem [meam] super natos tuos" (xliv. 3):

"effundere aquas super sitientem" significat instruere in veris illos qui in affectione veri sunt; "effundere fluenta super aridam" significat dare intelligentiam illis qui in desiderio veri ex bono sunt: simile significatur per "effundere spiritum" et "benedictionem;" nam per "spiritum" Dei significatur Divinum Verum, et per "benedictionem" multiplicatio et fructificatio ejus, ita intelligentia. Quis non videt quod hic et supra non intelligentur aquae et fluvii, nec desertum et solitudo, sed talia quae sunt ecclesiae? Quare etiam hic adjicitur, "Effundam spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super natos tuos." Apud Mosen,

"Jehovah....ducens te....ad terram fluviorum aquae, fontium, abyssorum exeuntium e valle et e monte" (*Deut.* viii. 7):

per "terram Canaanem," ad quam Jehovah ducturus eos, significatur ecclesia; quare "fluvii aquae," "fontes," "abyssi exeuntes e valle et e monte," significant talia quae sunt ecclesiae; "fluvii aquae" intellectum veri, "fontes" doctrinalia ex Verbo, "abyssi exeuntes e valle et e monte" cogniciones veri et boni in naturali homine et in spirituali. Apud Esaiam,

"Specta Zionem...et Hierosolymam:....ibi magnificus Jehovah nobis, locus fluviorum, fluminum, latitudinis spatiorum; non ibit in eo navis remi, et navis magnifica non transbit eum" (xxxiii. [20,] 21):

hic quoque per "locum fluviorum et flumen" significatur sapientia et intelligentia. (Quid reliqua significant, supra, n. 514[c], explicatum est.) Apud Joelem,

"In die illo stillabunt montes mustum, et colles fluent lacte, et omnes rivi Iudeae fluent aquis: et fons e Domo Jehovahe exibit, et irrigabit flumen schittim" (iv. [B. A. iii.] 18):

(haec quoque supra, n. 433[c] et 483, explicata sunt:) per "fontem" qui "e Domo Jehovahe exibit" significatur verum doctrinae a caelo a Domino; per "flumen schittim" quod irrigabit, significatur illustratio intellectus. Apud Ezechiel,

"Aquaes exeuntes de sub limine Domus" Dei "versus orientem:.... vir duxit me et reduxit me super ripa fluvii; cum redirem, ecce super ripa fluvii arbor multa valde hinc et illinc: dixit,....Omnis anima vivens quae reptat, quounque venerint fluvii, vivet; unde fit piscis multus valde, quia veniunt eo aquae hae, et sanantur, ut vivat omne quo venerit fluvius:....porro juxta fluvium ascendit super ripa ejus hinc et illinc omnis arbor cibi, cujus non decidit folium, neque consumitur fructus ejus; in menses suos renascitur, quia aquae ejus e sanctuario sunt exeuntes" (xlvi. 1-12):

haec quoque explicata sunt supra (n. 422[*c*] et 513[*a*]); ex quibus patet quod per "aquaes exeuntes e Domo Dei versus orientem" significetur Divinum Verum procedens a Domino, influens apud illos qui in bono amoris sunt; et quod per "fluvium, super cuius ripa omnis arbor cibi, et a cuius aquis omnis anima reptans vivit, unde piscis multus," significetur intelligentia ex receptione Divini Veri; unde omnia apud hominem, tam ejus affectiones et perceptiones quam cognitiones et scientifica, et inde cogitationes, vitam spiritualem adipiscuntur. Apud *Jeremiam*,

"Benedictus vir qui confidit in Jehovah;....erit sicut arbor plantata juxta aquas, et juxta fluvium emittit radices suas; neque videbit cum venerit aestus, sed erit folium ejus viride" (xvii. 7, 8):

per "arborem plantatam juxta aquas" intelligitur homo apud quem vera a Domino sunt; per "juxta fluvium emittit radices suas" intelligitur extensio intelligentiae a spirituali homine in naturalem. (Reliqua videantur explicata supra, n. 481.)

[b.] Ubi in Verbo de arboribus et hortis agitur, ibi etiam dicitur de aquis et fluiis irrigantibus, ex causa quia per "arbores" significantur perceptiones et cognitiones, ac per "aquaes" et "fluvios" vera et inde intellectus; nam absque intellectu veritatum, est homo sicut hortus ubi non aqua, cuius arbores arescant:—Ut apud *Mosen*,

"Sicut valles plantantur, sicut hortus juxta fluvium, sicut santalos plantavit Jehovah, sicut cedros juxta aquas" (*Num. xxiv. 6, 7*):

haec de filiis Israelis, per quos significatur ecclesia, quae tunc plantanda; quae ecclesia comparatur vallibus quae plantantur, et horto juxta fluvium, quia per "valles" significatur intelligentia naturalis hominis, et per "hortum" intelligentia spiritualis hominis; et comparatur santalis et cedris, quia per "santalos" significantur illa quae sunt naturalis hominis, et per "cedros" illa quae sunt rationalis hominis; quia omnia illa vivunt ex influxu Divini Veri a Domino, ideo

dicuntur illa plantata "juxta fluvium" et "aqua," per quae significatur Divinum Verum influens, unde intelligentia. Quoniam per "Hortum in Edene" seu "Paradisum" intelligentia sapientia et intelligentia, quae fuit antiquissimis qui ante diluvium vixerunt, ideo ubi describitur sapientia eorum, etiam describitur influxus Divini Veri et inde intelligentiae, per

Fluvium qui "exivit ex Edene ad irrigandum hortum, et inde separabatur, et erat in quatuor capita" (*Gen.* ii. 10, seq.):

"fluvius ex Edene" significat sapientiam ex amore, qui est Eden; "ad irrigandum hortum" est ad dandum intelligentiam: descriptio intelligentiae fit per "quatuor fluvios," de quibus ibi agitur. (Sed hoc explicatum videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 107-121.) *Apud Ezechiem,*

"Aschur cedrus in Libano,....aquaes crescere fecerunt eam, abyssus altam fecit eam, ita ut cum fluvii suis iverit circa plantam suam, et aqueductus suos emiserit ad omnes arbores agri" (xxxi. 3, 4):

"Aschur" significat rationalem hominem seu rationale hominis; similiter "cedrus in Libano:" et quia genuinum rationale perficitur a cognitionibus veri et boni, dicitur quod "aquaes crescere fecerint eam, et abyssus altam fecerit eam;" "aquaes" sunt vera, et "abyssus" cognitiones veri quae in naturali homine: incrementum intelligentiae significatur per quod "[cum] fluvii suis iverit circa plantam;" et multiplicatio cognitionum veri per quod "aquaeductus suos emiserit ad omnes arbores agri." *Apud Davidem,*

"Vitem ex Aegypto proficisci fecisti,....emisisti propagines ejus usque ad mare, et ad flumen ramusculos ejus" (*Ps. lxxx. 9, 12 [B. A. 8, 11]*):

per "vitem ex Aegypto" intelliguntur filii Israelis, qui "vitis" dicuntur quia representaverunt ecclesiam spiritualem, quam "vitis" in Verbo significat: commoratio eorum in Aegypto repreäsentabat primam initiationem in res ecclesiae, nam "Aegyptus" significabat scientia inservientia rebus ecclesiae; cum itaque "vitis" significat ecclesiam, et "Aegyptus" scientificum ei inserviens, patet quid in sensu spirituali significatur per "vitem ex Aegypto proficisci fecisti;" extensio intelligentiae ejus usque ad scientifica et ad rationalia, significetur per "Emisisti propagines ejus usque ad mare, et ramusculos ad flumen;" "emittere propagines et

ramusculos" significat multiplicationem et extensionem, "mare" significat scientificum, et "fluvius," hic Euphrates, rationale. Extensio ecclesiae, et multiplicatio veritatum ejus, et inde intelligentiae, describitur per terrae Canaanis extensionem ad Mare Suph, Mare Philisthaeorum, et ad fluvium Euphratem, apud *Mosen*,

"Ponam terminum tuum<sup>[1]</sup> a Mare Suph usque ad Mare Philisthaeorum, et a deserto usque ad fluvium" (*Exod. xxiii. 31*):

per "terminos terrae Canaanis" significantur ultima ecclesiae, quae sunt scientifica vera, cognitiones veri et boni ex Verbo, et rationalia; per "Mare Suph" significatur scientificum verum; per "Mare Philisthaeorum," ubi erat Tyrus et Sidon, significantur cognitiones veri et boni ex sensu litterae Verbi; et per "fluvium Euphratem" significatur rationale: nam scientifica inserviunt cognitionibus veri et boni ex Verbo, et hae cum illis inserviunt rationali, et rationale inservit intelligentiae, quae datur per vera spiritualia conjuncta bono spirituali.

[c.] Simile quod de ecclesia et ejus extensione, etiam de potentia Domini super omnia caeli et ecclesiae, dicitur apud *Davidem*,

"Ponam in mari manum Ejus, et in flaviis dextram Ejus" (*Ps. lxxxix. 26 [B. A. 25]*):

haec de Davide, per quem ibi intelligitur Dominus; potentia Domini usque ad ultima caeli et ecclesiae, ita super totum caelum et super omne ecclesiae, significatur per "ponere in mari manum et in flaviis dextram;" potentia significatur per "manum" et "dextram," et ultima caeli et ecclesiae per "mare" et per "fluvios;" ultima caeli sunt "maria" et sunt "fluvii," ut supra aliquoties dictum est; haec repraesentata sunt per bina maria, et per binos fluvios, qui erant termini terrae Canaanis; bina maria erant mare Aegypti et mare Philisthaeorum, ubi Tyrus et Sidon; et bini fluvii erant Euphrates et Jordanes: sed Jordanes erat terminus inter terram Canaanem interiorem et exteriorem; in hac erant tribus Reubenis et Gadis, ac dimidia tribus Menassis. Similiter apud *Sachariam*,

"Dominari Ipsius a mari usque ad mare, et a fluvio usque ad fines terrae" (*ix. 10*):

haec etiam de Domino, per quae similia intelliguntur; dominium Ipsius usque ad ultima caeli et ecclesiae est super omnia caeli et ecclesiae, ultima enim sunt termini. Apud *Davidem*,

"Firmatus thronus tuus ex tunc, ab aeterno Tu; sustulerunt flumina, Jehovah, sustulerunt flumina vocem suam, sustulerunt flumina fragorem suum: prae vocibus aquarum multarum magnificarum, prae fluctibus maris, magnificus Jehovah" (Ps. xciii. 2-4):

haec quoque de Domino; dominium Ipsius ab aeterno in aeternum super caelum et terram significatur per "Firmatus thronus tuus ex tunc, ab aeterno Tu:" glorificatio Domini propter adventum Ipsius, et inde salvationem generis humani, significatur per quod "flumina sustulerint vocem suam" et "fragorem suum;" per "flumina" hic ter nominata significantur omnia quae sunt intelligentiae hominis in interno homine, et omnia quae in externo: Divinum Verum ab Ipso, per quod potentia, et per quod salvatio, significatur per "voces aquarum multarum magnificarum prae fluctibus maris;" "aqua" sunt vera, "voces aquarum multarum magnificarum" sunt Divina vera. Glorificatio et celebratio Domini ex gudio cordis describitur ita alibi apud *Davidem*,

"Sonitum edat mare et plenitudo ejus, orbis et habitantes in eo; flumina plaudant manu, una montes jubilent" (Ps. xcvi. 7, 8):

per illa verba significatur glorificatio Domini ab universo caelo: glorificatio ab ultimis ejus significatur per "Sonitum edat mare et plenitudo ejus;" glorificatio a toto caelo significatur per "Sonitum edat orbis et habitantes in eo;" "orbis" significat universum caelum quoad vera ejus, et "habitantes in eo" significant universum caelum quoad bona ejus; "habitatores" in Verbo significant illos qui in bonis caeli et ecclesiae sunt, ita bona illorum: glorificatio Domini per vera quae sunt intelligentiae, et per bona quae sunt amoris, significatur per "Flumina plaudant manu, una montes jubilent;" "flumina" sunt vera intelligentiae, et "montes" sunt bona amoris.

[d.] Divinum Verum a Domino, ex quo recepto intelligentia, significatur per "aquas e petra in Chorebo" (*Exod.* xvii. 6), de qua ita apud *Davidem*,

"Diffidit petras in deserto, et bibere fecit abyssos magnas, et eduxit fluentia e petra; et descendere fecit aquas sicut flumina; percussit petram ut aquae emanarent, et fluvii effluxerunt" (Ps. lxxviii. 15, 16, 20);

et alibi,

"Aperuit Petram, ut effluerent aquae; iverunt in siccitatibus fluvii" (Ps. cv. 41):

per "Petram" ibi intelligitur Dominus; et per "aquas" quae inde effluxerunt, intelligitur Divinum Verum ab Ipso; et per "fluvios" significatur intelligentia et sapientia inde; per "bibere abyssos magnas" significatur haurire et percipere arcana sapientiae. Apud *Johannem*,

Jesus dixit, "Si quis sitiverit, venito ad Me et bibito; quisquis" venit ad Me, "sicut dixit Scriptura, flumina e ventre ejus fluent aquae viventis: hoc dixit de spiritu, quem accepturi credentes in Ipsum" (vii. 37, 38[39]):

per "venire ad Dominum et bibere" significatur ab Ipso recipere vera doctrinae et eorum fidem: quod inde intelligentia spiritualis, significatur per quod "flumina e ventre ejus fluent aquae viventis;" "aqua vivens" est Divinum Verum quod unice est a Domino, "flumina" sunt illa quae intelligentiae, et "venter" significat cogitationem ex memoria, correspondet enim illi: et quia per "flumina aquae viventis" significatur intelligentia per Divinum Verum a Domino, ideo adjicitur, "Haec dixit de spiritu quem accepturi credentes in Ipsum;" "spiritus" quem accepturi a Domino est Divinum Verum et inde intelligentia; quare etiam Dominus vocat spiritum quem acciperent, "Spiritum veritatis" (*Joh.* cap. xiv. 16-18; cap. xvi. 7-15). Apud *Davidem*,

Jehovah "super maria fundavit" orbem, "et super flumina stabilivit eum" (Ps. xxiv. 2):

per "orbem" significatur caelum et ecclesia in toto complexu; per "maria" significantur cognitiones et scientiae, quae sunt ultima ecclesiae, in specie cognitiones veri et boni quales sunt in sensu litterae Verbi; per "flumina" significatur introductio per illas ad intelligentiam caelestem. Ex his constare potest quid per illa verba in sensu spirituali intelligitur; quod nempe interiora caeli et ecclesiae, quae vocantur caelestia et spiritualia, fundentur super cognitionibus veri et boni, quae in sensu litterae Verbi, rationaliter intellectis. Dicitur quod "fundaverit orbem super maria, et stabiliverit super flumina," quia maria et fluvii sunt in terminis caeli, repraesentata per Mare Suph,

Mare Philisthaeorum, fluvium Euphratem, et fluvium Jordarem, quae erant termini terrae Canaanis; et quia "ultima" in Verbo significant infima, dicitur quod "Jehovah fundaverit" et "stabiliverit" super illa. Quod non tellus super maribus et super fluviis fundata sit, constat. Apud eundem,

"Dominus ad dextram tuam, percussit in die irae suae reges, judicavit inter gentes, implevit cadaveribus, percussit caput super terram multam, e flumine in via babit, propterea exalabit caput" (Ps. cx. 5-7):

haec dicta sunt de Domino, et de pugna Ipsius contra falsa et mala quae ex infernis, et de horum subjugatione: per "reges" intelliguntur falsa ex inferno, per "gentes" intelliguntur mala inde; Divina Ipsius potentia intelligitur per "Dominus ad dextram;" falsorum et malorum ex infernis subjugatio et destrucción significatur per quod "percusserit illos in die irae suac, judicaverit inter gentes, et impleverit cadaveribus;" per "caput," quod percussit in terram multam, intelligitur amor sui, ex quo omnia mala et falsa; "percutere in terram multam" significat destructionem totalem et damnationem: per "flumen," e quo caput babit et propter quod exalabit se, significatur Verbum in littera; "bibere ex illo" est aliquid inde discere, et "exaltare caput" est tamdiu repugnare; omnes enim qui in falsis ex malo sunt, non prius in infernum possunt dejici quam dum illis ablata sunt illa quae sciunt ex Verbo, quoniam omnia Verbi communicant cum caelo, per quam communicationem exaltant caput; sed illis ablatis in infernum dejiciuntur. Hic sensus est illorum verborum, qui absque sensu spirituali, et absque cognitione de Verbo quale est, nemini patet. Apud *Habakuk*,

"Num fluviis succensuit Jehovah? num contra fluvios ira tua? num contra mare excandescientia tua? quia equitas super equis tuis, currus tui salus" (iii. 8):

ita supplicatur ut ecclesia custodiatur et non pereat; per "fluvios" et per "mare" significantur omnia ecclesiae, quia sunt ultima ejus (ut supra); per "equitare super equis," dum de Jehovah, hoc est, Domino, significatur Divina Sapientia quae inest Verbo; et per "currus" significantur doctrinalia inde. Apud *Davidem*,

"Non timebimus cum mutabitur terra, et cum movebuntur montes <sup>[1]</sup>in corde marium: tumultuabuntur, turbabuntur aquae ejus, contre-

miscent montes in exaltatione ejus. Fluvius, cuius rivi laetificabunt urbem Dei sanctam, habitationes Altissimi, Deus in medio ejus, non dimovebitur" (Ps. xlvi. 3-5[, 6] [B. A. 2-5]):

haec in sensu spirituali involvunt, quod tametsi ecclesia cum omnibus ejus perit, usque non peritum sit Verbum et Divinum ibi Verum; per "terram" enim significatur ecclesia, per "montes" bona amoris, per "aquas" vera, et per "mutari," "commoveri," "tumultuari," "turbari" et "contremiscere," status illorum quando pereunt, ac loco eorum intrant falsa et mala; proinde status ecclesiae quando quoad bona vastatur et quoad vera desolatur: (sed videatur supra, n. 304[*c*] et 405[*h*], ubi illa penitus explicata sunt:) quod non peritum sit Verbum seu Divinum Verum pro ecclesia, significatur per quod "fluvius, cuius rivi laetificabunt urbem Dei, non mutabitur;" "fluvius" significat hic simile cum "fonte," nempe Verbum, quia dicuntur "rivi ejus," per quos significantur vera; "urbs Dei" significat ecclesiam quoad doctrinam; "laetificare" significat influxum et receptionem ex gaudio cordis; et "non mutari" significat non perire quoad aliquid. Apud *Esaiam*,

"Tunc deficient aquae [!] in mari, et fluvius exsiccabitur et exarescit, et recedent flumina; comminuentur, et exsiccabuntur fluvii Aegypti, calamus et ulva marcescent, papyri juxta flumen, juxta os fluminis, et omne semen fluminis exarescit, impelletur, et non erit" (xix. 5-7):

haec dicta sunt de Aegypto, per quam significatur scientificum quod est naturalis hominis; et per "flumen" ejus, cognitione et apperceptione veri, et in opposito sensu apperceptione falsi; quod illa peritura sint, significatur per quod "flumen exsiccabitur et exarescit;" quod sic non amplius erunt vera, ne quidem vera naturalia et sensualia, quae sunt infima, significatur per quod "calamus et ulva marcescent, papyri juxta flumen, et omne semen fluminis exarescit, impelletur et non erit." Apud eundem,

"Ego fodi et bibi aquas, et exsiccabo vola gressuum meorum omnes fluvios Aegypti" (xxxvii. 25):

verba Sancheribi regis Aschuris, per quem significatur rationale perversum, destruens omnem cognitionem et apperceptionem veri; hoc significatur per quod "exsiccabit vola gressuum suorum omnes fluvios Aegypti." Quod "fluvii Aegypti" significant cognitiones et apperceptiones veri,

est quia "Aegyptus" significat naturalem hominem quoad scientifica, et naturali homini est cognitio et appercep-tio, sicut est spirituali homini intelligentia. Apud *Ezechi-elem*,

"Evaginabunt gladios suos contra Aegyptum, ut impleant terram con-fosso: tunc dabo fluvios aridam, et vendam terram in manum ma-lorum, et vastabo terram et plenitudinem ejus per manum alieno-rum" (xxx. 11, 12):

per "Aegyptum" significatur scientificum quod naturalis hominis inserviens intelligentiae rationalis et spiritualis hominis: quod scientifica vera destruentur per falsa, signifi-catur per "Evaginabunt gladios suos contra Aegyptum;" per "gladios" significantur falsa destruentia vera: per "confossum" significatur qui periit per falsa: per "dare fluvios aridam," significatur quod nulla amplius cognitio et appercep-tio veri: "vendere terram in manum malorum, et vastare illam per manum alienorum," significat destruere per mala et per falsa; "alieni" significant falsa. Apud *Sachariam*,

"Exsiccabuntur omnes profunditates fluminis, et dejicietur superbia Aschuris, et baculus Aegypti recedet" (x. 11):

"exsiccabuntur omnes profunditates fluminis," nempe Eu-phratis, significat quod omnes acutae ratiocinationes ex propria intelligentia periturae sint; "superbia Aschuris" significat propriam intelligentiam, quae est rationalis per-versi; "baculus Aegypti recedet" significat quod scienti-fica inservientia ratiociniis nihil valitura sint. Apud *Esa-iām*,

"Vastabo montes et colles, et omnem herbam eorum arefaciam, et po-nam fluvios in insulas, et stagna exsiccabo" (xlvi. 15):

"Vastabo montes et colles" significat quod peritura sint bona amoris et charitatis; "omnem herbam eorum arefaciam" significat quod peritura sint vera quae ex bonis illis; "ponam fluvios in insulas et stagna exsiccabo" significat quod peritura sit intelligentia et cognitio veri. Apud eundem,

"Ecce per increpationem meam exsicco mare, pono fluvios in desertum, putrescit piscis eorum, eo quod non sit aqua, et morietur" (l. 2):

(vide supra, n. 342[*c*], ubi explicata sunt:) apud *Nahum*,

"Increpans mare, et exsiccat illud, ac omnia flumina arefacit" (i. 4);

apud *Davidem*,

Jehovah "ponit fluvios [in] desertum, et exitus aquarum in siccitatem"  
(Ps. cvii. 33);

apud *Hiobum*,

"Exspirat homo, ubi est? abeunt aquae ex mari, et fluvius exsiccatur  
et exarescit" (xiv. 10, 11).

[e.] Haec tenus ostensum est quod per "fluvios" significetur intellectus veri ac intelligentia; quod autem in opposito sensu per "fluvios" significetur intellectus falsi et ratiocinatio ex propria intelligentia, quae est pro falsis contra vera, constat ex sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

"Mittet in mari legatos....ad gentem delineatam et conculcatam,....  
cujus terram depraedati sunt fluvii" (xviii. 2):

per "fluvios" hic significantur falsa quae propriae intelligentiae, quae destruxerunt. (Quid reliqua significant, videatur supra, n. 304[d], 331[a].) Apud eundem,

"Cum transibis per aquas, tecum Ego; et per fluvios, non submergent te" (xlivi. 2):

"transire per aquas et per fluvios et non submergi" significant quod falsa et ratiocinationes ex falsis contra vera non corruptent. Apud <sup>[1]</sup>*Jeremiam*,

"Ecce aquae ascendentiae ex septentrione, quae <sup>[2]</sup>sicut flumen inundans, inundabunt terram et plenitudinem ejus" (xlvii. 2):

"aquaes ex septentrione" significant falsa doctrinae quae ex propria intelligentia: quae comparantur "flumini inundanti terram," quia per "flumen" significatur ratiocinatio ex falsis, per "terram" ecclesia; hujus destructio per falsa per "inundationem a flumine." Apud *Davidem*,

"Nisi Jehovah esset pro nobis, cum insurget contra nos homo,....tunc aquae submersissent nos, fluvius transivisset super animam nostram, tunc transivissent super animam nostram aquae superbi" (Ps. cxxiv. 2, 4, 5):

per "aquaes superbi," de quibus hic agitur, significantur falsa faventia amori sui et confirmantia illum, tum falsa doctrinae quae ex propria intelligentia; per "flumen" significatur ratiocinatio ex illis contra vera; inde patet quid intelligitur per "Nisi Jehovah esset pro nobis cum insurget contra nos homo," quod nempe cum homo ex se, suo amore et ex propria intelligentia insurget et conatur destruere

vera ecclesiae; agitur enim de Israele, per quem significatur ecclesia: per "aquas" quae submersissent eos, et per "fluvios" qui transivissent super animam eorum, significantur falsa et ratiocinationes ex illis, et inde destructio vitae spiritualis, quae homini est per vera et per vitam secundum illa; per "aquas" significantur falsa, per "fluvios" ratiocinationes ex illis, et per "submergere et transire super animam," delectio vitae spiritualis. Apud Esaiam,

"Ecce Dominus ascendere faciet super eos aquas fluvii validas et multas, regem Aschuris, et omnem gloriam ejus; et ascendet super omnes rivos ejus, et ibit super omnes ripas ejus; ibit per Jehudam, et inundabit" (viii. 7[, 8]):

per "Aschurem" et ejus regem in Verbo significatur rationale, hic rationale perversum; inde per "fluvium ejus," qui erat Euphrates, intelligitur ratiocinatio; et per "aquas fluvii" intelliguntur falsa per ratiocinationes confirmata; haec itaque significantur per "aquas fluvii validas et multas," quae "validae" dicuntur ex cupiditate, et "multae" ex falsitate: abundantia falsorum ex malo destruentium vera boni ecclesiae, significatur per quod "aqua fluvii ascendent super omnes rivos ejus, et super omnes ripas," et quod "ibit per Jehudam, et inundabit;" per "Jehudam" significatur ecclesia ubi Verbum. Apud Jeremiam,

"Quid tibi cum via Aegypti, ut bibas aquas Schichoris? aut quid tibi cum via Assyria, ut bibas aquas fluvii?" (ii. 18:)

per "aquas Schichoris" seu Aegypti, significantur scientifica falsa, seu scientifica confirmantia falsa; et per "aquas fluvii" significantur falsa ratiocinia ex illis, ita quae sunt ex propria intelligentia; quod haec et illa non haurienda sint, significatur per illa verba. Apud eundem,

"Septentrionem versus, juxta litus fluvii Euphratis, impegerunt et cederunt; quis hic sicut flumen ascendet? [cujus aquae] sicut flumina commoventur? Aegyptus sicut flumen ascendet, et sicut flumina commoventur aquae; dixit enim. Ascendam, obtegam terram, perdam urbem et habitantes in ea" (xlvi. 6-8):

per haec significatur delectio ecclesiae et ejus veritatum per falsa ratiocinia ex scientificis confirmantibus; per "septentrionem" significatur apud quos falsum, et unde; per "fluvium Euphratem" falsa ratiocinia; per "Aegyptum" scientifica confirmantia; per "aquas" quae commoventur ipsa

falsa ; et per "ascendere, obtegere terram, perdere urbem et habitantes in ea," significatur destrucción ecclesiae et ejus doctrinae ; "terra" est ecclesia, "urbs" est doctrina veri, et "habitantes" sunt bona ejus.

Similia significantur per "fluvium Aegypti" Nilum, et per "fluvium Assyria" Euphratem, alibi in Verbo (ut *Esai.*, cap. vii. 18, 19 ; cap. xi. 15, 16 : *Ezech.*, cap. xxix. 3, 4, 5, 10 ; cap. xxxi. 15 ; cap. xxxii. 2 : *Psalm.* lxxiv. 14, 15 ; *Ps. lxxviii.* [1]44 : *Exod.* [9]vii. 17-21) :

Similia etiam per "fluvios Babelis" (*Psalm.* cxxxvii. [3]1).

Quoniam omnes tentationes spirituales fiunt per falsa quae irrumpunt in cogitationes et infestant mentem interiorem, ita per ratiocinia ex illis, inde etiam tentationes per "aqua-rum inundationes," et per "fluminum et torrentium irrup-tiones" significantur :—Ut apud *Jonam*,

"Projeceras me in profunditatem, in cor usque mariū, et flumen cir-cumdedit me, et omnes fluctus tui et undae tuae super me transi-verunt" (ii. 4 [*B. A.* 3]) ;

apud *Davidem*,

"Circumdederunt me funes mortis, et flumina Belialis terruerunt me" (*Ps. xviii.* 5 [*B. A.* 4]) ;

apud *Matthaeum*,

"Descendit imber, venerunt flumina, et flarunt venti, et irruerunt in domum illam ; tamen non cecidit, fundata enim erat super petra" (vii. 25, 27) ;

et apud *Lucam*,

"Unde inundatione facta, illisum flumen domui illi, sed non valuit dimo-vere eam, quoniam fundata erat super petra" (vi. 48, 49).

### **519[a].** [*Vers. 11.*] "*Et nomen stellae dicitur absinthium.*"—

Quod significet *verum mixtum falso mali*, constat ex signifi-catione "nominis," quod sit quale status et quale rei (de qua supra, n. 148) ; ex significatione "stellae," hic "stellae magnae ardoris quasi lampas," quod sit *verum Verbi fal-sificatum ex amore proprio* ; et ex significatione "absinthii," quod sit *verum mixtum falso mali*. Quod "absinthium" id significet, est ex amaritudine ejus, et amaritudo existit ex dulci mixto indulci opposto ; inde in spirituali sensu "amaritudo," qualis est absinthii et fellis, est *verum mix-tum falso* quod *oppositum est vero*, quod est *falsum mali* : "sapor" enim et "gustus" significat affectionem sciendi et sapiendi ; inde "sapidum" significat jucundum et amoenum sapientiae, et "cupediae," quia sapidae, vera quae sapien-

**tiae.** (Quod hoc sit ex correspondentia, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 3502, 3536, 3589, 4791-4805.) Quod "absinthium" et quoque "fel" ex amaritudine significant verum mixtum falso mali, constat etiam a sequentibus hujus versus; dicitur enim quod "multi homines mortui sint ex aquis, quia amarae factae sunt;" per quae significatur quod per vera falsificata omnes qui tales quoad vitam spiritualem perierint; vera enim faciunt vitam spiritualem, falsa mali autem extinguunt illam; et vera quando miscentur falsis mali, non amplius sunt vera, sed falsificata, et vera falsificata in se sunt falsa. Talia falsa fuerunt apud gentem Judaicam; at falsa quae fuerunt apud gentes probas, alias generis falsa fuerunt; haec falsa significantur per "acetum," illa autem per "fel" et "myrratum vinum" apud *Evangelistas*,

"Venientes in locum qui dicitur Golgotha, . . . . dederunt" Iesu "acetum cum felle mixtum; sed gustans non voluit bibere." . . . . Cum crucifigebatur, "currens unus et accipiens spongiam, et implens acetum, et ponens circa calatum, potavit Ipsum" (*Matth.* xxvii. [33,] 34, 48; *Marc.* xv. 23, 36);

"Posthac sciens Jesus quod omnia jam consummata essent, ut impletur Scriptura, dicit, Sitio; et vas erat positum aceto plenum, et impleverunt spongiam, et hyssopo circumposuerunt, et applicerunt Ipsius ori; et cum accepisset acetum, dixit, Consummatum est" (*Joh.* xix. 28, 29):

omnia et singula quae apud *Evangelistas* memorantur de passione Domini, in sensu spirituali significant statum ecclesiae tunc respective ad Dominum et ad Verbum; Dominus enim erat Verbum, quia Divinum Verum, et Judaei sicut Verbum seu Divinum Verum ita Dominum tractaverunt (de qua re videatur supra, n. 64, 195). Quod dederint Domino "acetum felle mixtum," quod etiam vocatur "myrratum vinum," significabat quale Divini Veri ex Verbo erat apud gentem Judaicam, nempe commixtum falso mali, et sic prorsus falsificatum et adulteratum; quare id non voluit bibere: quod autem postea dederint Domino acetum in spongia, et circumposuerint hyssopo, significabat falsum quale erat apud gentes probas, quod erat falsum ex ignorantia veri, in quo erat bonum et utile; hoc falsum, quia acceptatur a Domino, ideo id bibit: per "hyssopum" quem circumposuerunt, significatur purificatio ejus. Quod Dominus dixerit, "Sitio," significat sitim Divinam spiritualem, quae est Divini Veri et Boni in ecclesia, per quod generis humani salus. (De falso mali, quale fuit apud gentem Judaicam, et de falso ignorantiae in quo

bonum, quale apud gentes probas, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 21.) Simile significatur per "fel" et "acetum" apud *Davidem*,

"Dederunt in cibum meum fel, et in siti mea potarunt Me aceto: fiat mensa eorum coram illis in laqueum, et pro retributionibus tendicula; obscurentur oculi eorum ut non videant, et lumbos eorum jugiter concute" (Ps. lxix. 22, 23 [B. A. 21, 22]):

hic per "fel," per "acetum," et per "sitim," similia quae supra significantur, quoniam dicta sunt de Domino: per "mensam" quae erit illis in laqueum, significatur aberratio quoad omne verum doctrinae ex Verbo; "mensa" enim dicitur pro omni cibo spirituali, et cibus spiritualis significat omne doctrinae ex Verbo: per "oculos" qui obscurabuntur ut non videant significatur intellectus veri; per "lumbos" qui concutientur significatur voluntas boni, et conjugium ejus cum intellectu veri; hoc per "lumbos" etiam alibi in Verbo significatur. In *Threnis*,

"Satiavit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio; . . . ideo dixi, Periit victoria mea, et spes mea a Jehovah; memento miseriae meae et ploratus mei, absinthii et cicutaee" (iii. 15, 18, 19):

haec quoque de Domino; quod Dominus non aliud in ecclesia, quae tunc erat apud Judaeos, invenerit quam falsa et falsificata vera, significatur per quod "satiaverint Ipsum amaritudinibus, et inebriaverint absinthio;" "absinthium" est falsum mali mixtum veris, ita falsificatum: pugna Domini cum infernis, et desperatio quod gens Judaica usquam redigi posset ad recipienda et agnoscenda vera, significatur per "Periit victoria mea, spes mea a Jehovah; memento miseriae meae et ploratus mei, absinthii et cicutaee:" spiritus enim qui in falsis mali sunt, et usque in veris ex sensu litterae Verbi, diutius resistunt antequam subjugantur et in infernum dejiciuntur; causa est, quia per vera communicationem habent cum caelo, quae communicatio et inde conjunctio prius disrumpenda et auferenda est antequam dejiciuntur; hoc involvit desperatio de victoria, qualis etiam fuit Domino in cruce, quando dixit, "Sitio," et dederunt Ipsi acetum. Apud *Jeremiam*,

"Jehovah Deus excidit nos, et potavit nos aquis fellis" (viii. 14); apud eundem,

"Ecce Ego cibans eos, populum hunc absinthio, et potabo eos aquis fellis; et dispergam eos inter gentes, . . . et mittam post eos gladium, donec consumpsero eos" (ix. 14, 15 [B. A. 15, 16]);

apud eundem,

"Ecce Ego cibans eos absinthio, et potabo eos aquis fellis, quia a prophetis Hierosolymae exivit hypocrisis in universam terram" (xxiii. 15):

haec quoque dicta sunt de gente Judaica, quae mille modis pervertit Verbum, verum ejus falsificavit, et bonum ejus adulteravit: per "absinthium" significatur malum falsi, et per "aqua fellis" falsum mali, utrumque mixtum cum veris et bonis Verbi: quod in malis et inde falsis fuerint ex se et ex suo corde, significatur per quod "Jehovah cibet eos absinthio et potet aquis fellis;" tribuitur enim Jehovah, hoc est, Domino, malum et falsum, quae tamen sunt ipsius hominis, ut pluries alibi, ex causis de quibus saepius supra: per "hypocrisin" quae exivit ex prophetis Hierosolymae" significatur commixtio talis falsi et veri, quia locuti sunt vera, et docuerunt falsa; locuti vera dum ex Verbo, et docuerunt falsa dum ex se et sua doctrina: destructio eorum per mala falsi et per falsa mali, significatur per "Dispergam eos inter gentes, et mittam post eos gladium;" "dispergere inter gentes" significat destruere per mala falsi, et "mittere gladium post eos" significat destruere per falsa mali. (Quod "gentes" significant mala, videatur supra, n. 175[b], 331[b]; et quod "gladius" significet pugnam veri contra falsum, et pugnam falsi contra verum, et destructionem ejus, etiam supra, n. 131[b], 367.) Apud Amos,

"Ecce Jehovah. . . . percutiet domum magnam aspersionibus, et domum parvam rupturis: num current in petra equi? num arabit bobus? cum <sup>[1]</sup>convertistis in fel judicium, et fructum justitiae in absinthium" (<sup>[2]</sup>vi. 11, 12);

apud eundem,

"Convertunt in absinthium judicium, et justitiam in terram detrudunt" (v. 7):

quod "Jehovah percutiet domum magnam aspersionibus, et domum parvam rupturis," significat perversiōnēm et falsificationēm veri multam apud eruditos, et aliquam apud ineruditos; "domus magna" significat hominem eruditum, et "domus parva" hominem ineruditum, "aspersiones" significant vera destrūcta per falsa, et "rupturae" similiter sed in minore gradu: quod non detur intellectus veri et voluntas boni ubi falsum mali, significatur per "Num current in

petra equi? num arbit bobus?" Per "equos currentes" significatur intellectus veri, et per "boves arantes" voluntas boni. Quod id sit quia falsificaverunt vera et adulteraverunt bona Verbi, significatur per "cum convertistis in fel judicium, et fructum justitiae in absinthium;" "judicium" significat verum Verbi, et "fructus justitiae" bonum ejus.

[b.] Quod tales fuerint filii Jacobi, qui dicti Israelitae et Judaei, declarat manifeste Moses in Cantico, in quo describuntur his verbis,

"De vite Sodomae vitis eorum, et de agris Gomorrhæ: uvae ejus uvae fellis, botri amaritudinum illis, venenum draconum vinum eorum, et fel aspidum crudele" (*Deut. xxxii. 32, 33*):

per "vitem" significatur ecclesia; quae dicitur quod sit "ex vite Sodomæ, et ex agris Gomorrhæ," quia per "Sodomam" significantur omnia mala scaturientia ex amore sui, et per "Gomorrah" omnia falsa malorum istorum; per "uvas" significantur bona ecclesiae, et per "botros" vera ecclesiae: quod pro bonis ecclesiae sint illis pessima mala et falsa commixta veris, significatur per quod "uvae ejus uvae fellis, et botri amaritudinum illis;" per "vinum" significatur verum et bonum fidei; quod hoc sit externum in quo malum ab interiori, significatur per "venenum draconum vinum eorum, et fel aspidum crudele." (Quod tales fuerint filii Jacobi, tametsi apud illos ecclesia fuit, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymæ*, n. 248.) Quod "fel" et "absinthium" significant malum et falsum commixta bono et vero, constat adhuc ex his apud *Mosen*,

"Ne sit inter vos vir aut femina, aut familia aut tribus, cuius cor respicit hodie a cum Jehovah Deo nostro, abeundo ad serviendum diis gentium, ne sit inter vos radix proferens fel et absinthium" (*Deut. xxix. 17 [B. A. 18]*):

hic quoque per "fel" et "absinthium" significatur commixtio boni et veri cum malo et falso, quod fit quando alii dii corde coluntur ac Jehovah solum ore; tunc externum sonat sicut bonum et appetit sicut verum, sed internum est malum et falsum; et cum interiora sunt mala et falsa, et exteriora bona et vera, tunc commixtio est utrorumque, et tunc bonum fit fel et verum fit absinthium: similiter cum homo corde odit proximum et negat vera ecclesiae, et tamen extrinsecus testatur charitatem erga proximum, et profitetur vera ecclesiae; tunc est in eo radix proferens fel et absin-

thium, nam mala et falsa ab interiori immittit et immiscet bonis et veris quae profert in externis. Apud *Hiobum*,

"Si dulce fuerit in ore ejus malum, absconderit sub lingua sua; pepercerit ei, et non reliquerit id, sed continebit id intra palatum suum; panis ejus in visceribus mutabitur, fel aspidum in medio ejus, opes absorpsit et evomet eas, e ventre illius expellet eas Deus; venenum aspidum [suget], occidet eum lingua viperae" (xx. 12-16):

describitur ita hypocrisis, ex qua homo loquitur sancta et simulat affectiones bonas, et tamen intus negat et blasphemat: qualis intus est, describitur per quod "abscondat malum sub lingua, et contineat intra palatum:" quod inde bonum infectetur malo ac ejiciatur, significatur per quod "panis ejus in visceribus ejus mutabitur, et fel aspidum in medio;" "panis" est bonum amoris, "in visceribus" est interius, "fel aspidum" est bonum malo commixtum: quod similiter verum ejiciatur per falsum, significatur per quod "opes absorpsit, et evomet eas, e ventre ejus expellet eas Deus:" hoc falsum intelligitur per "venenum aspidum." Sciendum est quod bonum et malum, ac verum boni et falsum mali, commisceantur, quando malum et falsum sunt in spiritu hominis at bonum et verum in ejus corporis factis et loquela: sed quod in hominis spiritu est, hoc est, quod interius est, hoc agit in id quod corporis est, seu quod exterius; influit enim, et facit ut exterius, quod apparet ut bonum et verum, usque sit instar fellis et instar absinthii amarum, tametsi ut dulce sistitur coram homine. Et quia tale est bonum et verum oris et loquacae illorum, ideo post mortem, quando homo fit spiritus, separatur bonum a malo, et falsum a vero, et auferuntur bonum et verum, et sic fit spiritus suum malum et falsum. At sciendum est quod commixtio boni et mali, ac veri et falsi, non sit profanatio boni et veri; profanatio est solum apud illos qui primum receperunt corde et fide verum et bonum, ac postea illa corde et fide negant.

**520. "Et facta est tertia pars [aquarum] absinthium."**— Quod significet quod tale factum sit omne verum in intellectu et in doctrina, constat ex significatione "tertiae partis," quod sit omne; hic omne verum in intellectu et in doctrina, quia dicitur de "fliviis" et de "fontibus aquarum," per quos significatur intellectus veri et doctrina ex Verbo; (quod "tertia pars" significet omne, videatur supra, n. 506;) et ex signifi-

catione "absinthii," quod sit verum mixtum falso mali (de qua in mox superiore articulo): ex his constare potest quod per "facta est tertia pars absinthium," significetur quod omne verum in intellectu et in doctrina mixtum sit falso mali. Tunc verum miscetur falso mali, quando mala vitae, quae sunt adulteria, scortationes, neces, odia varii generis, iniuriae, injustitiae propter lucra, furta et latrocinia astuta et clandestina, astus, doli, et similia, per sensum litterae Verbi confirmantur; similiter falsa religionis ab illis qui in amore sui, et inde in fastu propriae intelligentiae sunt. Quod tunc vera misceantur falsis malis, est quia omnia Verbi sunt vera, sed cum applicantur et deducuntur ad confirmanda mala vitae et principia religionis falsa, tunc commiscentur vera Verbi falsis malis; per quod ipsa vera non amplius fiunt vera, sed vera falsificata, quae in se sunt falsa. Vera sensus litterae Verbi, ut permaneant vera, applicanda sunt ad confirmandum bona vitae, et ad confirmandum principia vera religionis; si ex illa applicatione ut fine detrahuntur et abducuntur, non sunt vera amplius, quoniam non est aliqua perceptio veri in illis. Ex bono venit perceptio veri, non autem ex malo: est enim in singularis Verbi conjugium veri et boni; quare si veris Verbi non inest bonum a percipiente, sunt vera absque sua consorte, et possunt ad quascunque cupiditates malas et ad quaecunque principia falsa applicari, et sic fieri falsa mali. Ita falsificantur vera Verbi ab omnibus illis qui in fastu propriae intelligentiae sunt ex amore sui; intus enim regnant omnis generis mala ex amore sui, et omnis generis falsa ex fastu propriae intelligentiae inde; sed extra in loquela et praedicatione sunt vera ex Verbo, quae sonant coram illis qui in simplici bono sunt ut vera, sed intus apud loquentem seu praedicantem scatent omnis generis falsis. Verum Verbi apud illos est sicut vas purum et nitidum, in quo sunt aquae spurcae, quae non transparent per vas coram illis qui in simplici bono sunt, sed manifeste coram angelis caeli.

**521.** *"Et multi homines mortui sunt ex aquis."*—Quod significet quod omnes qui tales per falsa, in quae conversa sunt vera Verbi, perierint, constat ex significatione "multorum" in Verbo, quod sint omnes qui tales; et ex significatione "mori," quod sit perire quoad vitam spiritualem ac dam-

nari (de qua supra, n. 78, 186, 383, 487); et ex significatione "aquarum," quod sint falsa, hic falsa mali quia "factae absinthium;" omnis enim vita spiritualis, quae etiam in Verbo vocatur "vita," ac "vita aeterna," est homini per vera; et omnis mors spiritualis, quae est damnatio, est homini per falsa mali, imprimis per falsa mali in quae homo convertit vera Verbi: ex quibus patet quid intellegitur per quod "multi homines mortui sint ex aquis" factis absinthium.

**522. "Quia amarae factae sunt."**—Quod significet *quia vera Verbi falsificata sunt*, constat ex significatione "aquarum" in "fluviis" et in "fontibus," quod sint vera intellectus et vera doctrinae (de qua supra, n. 518[a]); et ex significatione "amarī" et "amaritudinis," quod sit falsificatum per commixtionem veri cum falsis mali; per "amarum" enim hic intelligitur amarum absinthii, et "absinthium" ex sua amaritudine significat verum mixtum falso mali, ita verum falsificatum (de quo supra, n. 519). "Amarum" in Verbo significat injucundum; sed aliud injucundum significat amarum ex absinthio, aliud injucundum amarum ex felle, et aliud injucundum amarum cicutae; aliud injucundum significat amarum fructus immaturi; et aliud injucundum significat amarum quod non ex herbis nec ex fructibus; hoc amarum significat dolorem mentis et anxietatem ex pluribus causis. Ex his constare potest quid in Verbo "amaritudines" significant in sequentibus locis:—Apud *Esaiah*,

"Vae dicentibus de malo bonum et de bono malum, ponentibus tenebras in lucem et lucem in tenebras, ponentibus amarum in dulce et dulce in amarum:... vae heroibus ad potandum vinum, et viris roboris ad miscendum siceram" (v. 20, 22);

apud eundem,

"Lugebit mustum, languescat vitis, gement omnes laeti corde;... cum cantu non bibent vinum, amara erit sicera bibentibus eam" (xxiv. 7, 9);

apud *Mosen*,

Quod aquae in Marah, quae non bibi poterant prae amaritudine, sanatae sint per lignum eis injectum (*Exod. xv. 23-25*);

Quod tempore Paschatis comedenter azyma super amaroribus (*Exod. xii. 8; Num. ix. [1]II*);

apud eundem,

Quod aquae maledictae darentur uxori accusatae adulterii a marito, quae

si rea fuerit, aquae illae fierent in illa in amaritudines, ac tumesceret venter, et concideret femur (*Num. v. 12-29*) ;

in *Apocalypsi*,

Quod libellus ex mandato devoratus a Propheta, in ore ejus fuerit dulcis instar mellis, sed ex illo venter redditus amarus (*x. 9, 10*) :

praeter alibi. Hic autem, ubi dicitur quod “multi homines mortui sint ex aquis quae amarae factae sunt,” intelligitur amaritudo absinthii, per quam amaritudinem quid significatur, explicatum est in nunc praecedentibus.

#### VERSUS 12.

**523.** “*Et quartus angelus clanxit, et percussa est tertia pars solis, et tertia pars lunae, et tertia pars stellarum, et obtenebrabatur tertia pars illorum, ut dies non luceret tertia parte ejus, et nox similiter.*”

12. “*Et quartus angelus clanxit,*” significat *influxum e caelo, et quartam inde mutationem* [n. 524]; “*et percussa est tertia pars solis, et tertia pars lunae, et tertia pars stellarum,*” significat *quod perierit omne bonum amoris, omne bonum et verum fidei, et omnis cognitio boni et veri* [n. 525]; “*et obtenebrabatur tertia pars illorum,*” significat *quod omnia illa conversa sint in falsa mali et in mala falsi* [n. 526]; “*ut dies non luceret tertia parte ejus, et nox similiter,*” significat *quod lux veri spiritualis et lux veri naturalis prorsus extinctae sint* [n. 527].

**524.** [*Vers. 12.*] “*Et quartus angelus clanxit,*” significat *influxum e caelo et quartam inde mutationem*, ut supra (n. 502. et postea).

**525.** “*Et percussa est tertia pars solis, et tertia pars lunae, et tertia pars stellarum.*”—Quod significet *quod pericrit omne bonum amoris, omne bonum et verum fidei, et omnis cognitio boni et veri*, constat ex significatione tertiae partis, quod sit omne (de qua supra, n. 506); ex significatione “solis,” quod sit bonum et verum fidei a Domino (de quibus supra, n. 401[a-h]); ex significatione “stellarum,” quod sint cognitiones boni et veri, etiam a Domino (de qua supra, n. 72.402); et ex significatione “percuti,” cum de bonis amoris et fidei, ac de cognitionibus boni et veri, quod sit perire: ex his patet quod per quod “percussa sit tertia pars solis, et tertia pars lunae, et tertia pars stellarum,” significetur quod perierit omne bonum amoris, omne bonum et verum fidei, et omnis cognitio boni et veri. Per “solem,” “lunam,” et “stellas,” hic non intelliguntur sol, luna et stellae, quae in mundo nostro solari coram oculis hominum apparent; sed Sol, Luna et stellae quae in mundo spirituali coram oculis angelorum: ibi

enim Dominus apparet ut Sol coram illis qui in bono amoris ab Ipso in Ipsum sunt, ac ut Luna coram illis qui in bono et vero fidei: inde est quod per "solem" significetur bonum amoris, et per "lunam" bonum et verum fidei. Quod ille Sol, illa Luna et illae stellae apparuerint Johanni, constare potest ex eo, quod in spiritu fuerit cum illa videt. (Quod Dominus ut Sol et ut Luna in caelis angelicis appareat, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 116—125.) Quod dicatur quod illa "percussa sint," est ex apparentia; cum enim bonum amoris et bonum et verum fidei non amplius sunt apud hominem, apparent ei sicut non sint, et sicut perierint, et Verbum in sensu litterae est secundum apparentias.

**526[a]. "Et obtenebrabatur tertia pars illorum."**—Quod significet quod omnia illa conversa sint in falsa mali et in mala falsi, constat ex significatione "tenebrarum," quod sint falsa, et inde "obtenebrari," quod sit converti in falsa: quod in falsa mali et in mala falsi, est quia dicitur quod "obtenebrata sit tertia pars solis, tertia pars lunae, et tertia pars stellarum;" et per "solem" significatur bonum amoris, per "lunam" bonum et verum fidei, et per "stellas" cognitiones boni et veri; inde per quod "obtenebrata sit tertia pars solis" significatur quod bonum amoris consumum sit in malum et inde falsum, quod est falsum mali: bonum enim convertitur in malum et inde falsum; at verum fidei, quod significatur per "lunam," convertitur in falsum et inde malum, quod est malum falsi: malum falsi est falsum doctrinae ex quo malum vitae, et falsum mali est malum vitae ex quo falsum doctrinae. Quod "tenebrae" significant falsum, est quia "lux" significat verum, et falsum est oppositum vero sicut tenebrae sunt luci: et quoque dum lux vitae, quae est Divinum Verum, non est apud hominem, tunc est apud illum umbra mortis, quae est falsum; homo enim ex proprio est in omni malo et inde falso, et ab illis removetur unice per vera ecclesiae; quare ubi non vera sunt, ibi sunt falsa mali. (Quod homo unice per vera malis removeatur, purificetur et reformatur, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 24 fin.) Quod "tenebrae" in Verbo significant falsa varii generis, constare potest a sequentibus locis:—Apud *Foem*,

"Sol vertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam venit dies Jehovah magnus et terribilis" (iii. 4 [*B. A.* ii. 31]):

quod "sol vertetur in tenebras et luna in sanguinem," simile significat quod "tertia pars solis et tertia pars lunae obtenebraretur;" nempe quod in fine ecclesiae falsum mali erit loco boni amoris, et malum falsi loco veri fidei. Similia etiam significantur alibi in Verbo, ubi dicitur de solis et lunae obscuratione:—ut apud *Esaiam*,

"Stellae caelorum et sidera eorum non lucebunt luce sua, obtenebratus erit sol in ortu suo, et luna non splendere faciet lucem suam" ([xiii. 10;] xxiv. 21, 23);

apud *Ezechielem*,

"Obtegam, cum extinxero te, caelos, et atrabo stellas eorum; solem nube obtegam, et luna non lucere faciet lucem suam: omnia lumina lucis in caelis atrabo super te, et dabo tenebras super terra tua" (xxxii. 7, 8);

apud *Zoelem*,

"Propinquus est dies Jehovah in valle decisa; sol et luna atrati sunt, et stellae contraxerunt splendorem suum" (iv. [B. A. iii.] [14,] 15);

apud eundem,

"Venit dies Jehovah, . . . . dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et obscuritatis, . . . . coram Ipso commota est terra, . . . . sol et luna atrati sunt, et stellae contraxerunt splendorem suum" (ii. [1, 2,] 10);

apud *Evangelistas*,

"Statim post afflictionem dierum illorum, sol obscurabitur, et luna non dabit lucem suam, et stellae cadent de caelo" (*Math.* xxiv. 29; *Marc.* xiii. 24, 25):

haec dicta sunt de ultimo tempore ecclesiae, quando non bonum et verum spirituale, seu bonum et verum caeli et ecclesiae amplius, sed malum et falsum: quod bona et vera ecclesiae, quae vocantur bona amoris et vera fidei, convertantur in mala et falsa, significatur per quod "sol et luna obscurati" et "atrati erunt," et quod "stellae non lucebunt;" ultimum judicium, quod tunc sequitur, intelligitur per "diem Jehovah magnum et terribilem;" et quia ille existit quando ecclesia in tenebris et in caligine est, ideo ille dies etiam vocatur "dies tenebrarum et caliginis," et quoque "dies nubis et obscuritatis;" ut quoque in sequentibus locis:—  
Apud *Amosum*,

"Vae desiderantibus diem Jehovah; quid vobis dies Jehovah? ille tenebrarum et non lucis; . . . . nonne tenebrae dies Jehovah, et non lux? et caligo, non autem splendor illi?" (v. 18, 20;)

apud *Zephaniam*,

"Dies Jehovae, . . . dies vastitatis et devastationis, dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et obnubilationis" (*i.* [14,] 15);

apud *Esaiam*,

"In die illo . . . despiciet in terram, quae ecce tenebrae et anxietas, et lux obtenebrescit in ruinis ejus" (*v.* 30);

apud eundem,

"Ad terram spectabit, et ecce angustia et caligo, <sup>[1]</sup>obscuratum angustia, et caligine impulsus" (*viii.* 22);

apud eundem,

"Ecce tenebrae obtegunt terram, et caligo populos" (*lx.* 2);

apud *Jeremiam*,

"Date Jehovae Deo vestro gloriam, antequam tenebras inducat, et antequam offendant pedes vestri ad montes crepusculi; tunc exspectabimus lucem, sed ponet illam in umbram mortis, ponet in caliginem" (*xiii.* [2]16):

haec de ultimo tempore ecclesiae, quando Dominus venturus in mundum, et facturus judicium; quia tunc non amplius aliquod bonum amoris ac verum fidei, sed malum falsi et falsum mali, ideo vocatur ille dies, "dies tenebrarum et caliginis." Simile significatur per

Tenebras quae "factae sunt super universam terram ab hora sexta ad horam nonam," cum Dominus crucifixus fuit (*Matth.* xxvii. 45; *Marc.* xv. 33; *Luc.* [3]xxiii. 44-49):

per "tenebras super universam terram" repraesentabatur quod in universa ecclesia non nisi quam malum et inde falsum ac falsum et inde malum esset; "tres horae" etiam significant plenum et prorsus; omnia enim et singula quae memorantur de passione Domini apud *Evangelistas*, in se recondunt arcana caeli, ac significant Divina caelestia, quae solum per sensum internum spiritualem patefiunt.

[*b.*] Quod "tenebrae" significant falsum, constat adhuc ex sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

"Vae dicentibus de malo bonum et de bono malum, ponentibus tenebras in lucem et lucem in tenebras" (*v.* 20):

"ponere tenebras in lucem et lucem in tenebras" significat dicere falsum esse verum et verum esse falsum: quod "tenebrae" sint falsum et "lux" verum, patet; primum enim dicitur de bono et malo, quare postea de vero et falso. Apud *Johannem*,

"Hoc est judicium, quod Lux venerit in mundum, at quod dilexerint homines magis tenebras quam lucem, erant enim opera eorum mala" (iii. 19):

Dominus Se nominat Lucem, quia erat ipsum Divinum Verum cum in mundo; inde per "Lucem" significatur Dominus quoad Divinum Verum, tum etiam Divinum Verum a Domino; et quia tenebrae luci opponuntur, per "tenebras" quas homines magis dilexerunt, significatur falsum infernale, quod est falsum mali: quod sit falsum mali quod ibi per "tenebras" significatur, constat ex eo, quia dicitur, "Erant enim opera eorum mala." Ex operibus malis seu ex malis vitae existit falsum mali; nam sicut bonum sibi conjungit verum, ita malum sibi conjungit falsum, unum enim est alterius. Similia per "luxem" et per "tenebras" significantur in sequentibus locis apud *Johannem*,

"In Ipso vita erat, et vita erat Lux hominum; et lux in tenebris appareret, sed tenebrae illam non comprehenderunt" (i. 4, 5);

apud eundem,

Jesus dixit, "Ego sum Lux mundi; qui Me sequitur, non ambulabit in tenebris, sed habebit lucem vitae" (viii. 12);

apud eundem,

Jesus dixit, "Ambulate quousque Lucem habetis, ne tenebrae vos apprehendant; nam qui ambulat in tenebris, non scit quorsum abit. .... Ego Lux in mundum veni, ut omnis qui credit in Me, in tenebris non maneat" (xii. 35, 46):

in his locis per "tenebras" significatur falsum infernale; per "luxem" enim, cui opponuntur tenebrae, significatur Divinum Verum: quod "lux" significet Divinum Verum, est quia lux in caelis in sua essentia est Divinum Verum procedens a Domino (videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 126-140); quia nunc Divinum Verum est lux in caelis, sequitur quod falsum mali, quod est falsum in infernis, sint tenebrae. Non quidem sunt tenebrae illis qui in infernis sunt, vident enim se mutuo; sed lumen ex quo vident, est sicut lumen ex carbonibus ignitis; at hoc lumen, cum in illud influit lux caeli, fit mera caligo: inde quoque est, quod cavernae et antra, in quibus sunt, appareant illis qui in caelis sunt sicut specus tenebricosae. Exinde constare potest unde est quod "tenebrae" significant falsa mali, et quod dicatur a Domino

Quod ejiciendi sint in tenebras exteriores qui in inferna (*Matth.* cap. viii. 12; cap. xxii. 13; cap. xxv. 30).

Apud *Davidem*,

"Persequitur hostis animam meam, contrivit in terram vitam meam, sedere me fecit in tenebris, sicut mortuos mundi" (*Ps. cxliii. 3*):

per "hostem" qui persecutur animam ejus, in sensu spirituali significatur malum; unde per "sedere me fecit in tenebris" significatur in falsis. Apud *Esaiam*,

"Procul est judicium a nobis, et non assequitur nos justitia, exspectamus lucem sed ecce tenebrae, et splendores, in caligine ambulamus" (*Iix. 9*):

"procul est judicium a nobis" significat quod non sit intellectus veri; "non assequitur nos justitia" significat quod non sit bonum vitae; "exspectamus lucem sed ecce tenebrae" significat exspectationem veri sed ecce falsum: "et splendores in caliginibus ambulamus" significat exspectationem bonorum per vera, sed ecce vita falsi ex malis; "splendores" enim significant bona veri, quia "lux" significat verum, et quia verum splendet ex bono; "caligines" significant falsa mali, et "ambulare" significat vivere. Apud *Lucam*,

"Sed haec est vestra hora et potestas tenebrarum" (*xxii. 53*):

haec dixit Dominus ad principes sacerdotum, praefectos templi et seniores, qui per Judam comprehenderunt Ipsum; <sup>10</sup>"potestatem faciendi hoc facinus vocat Dominus "potestatem tenebrarum," quia illi erant in falsis mali, in falsis de Domino, et in malis contra Ipsum: per "tenebras" etiam ibi intelligitur infernum, quia talia falsa mali ibi sunt. Apud eundem,

"Candela corporis est oculus; si ergo oculus tuus purus est, etiam totum corpus tuum lucidum erit; si vero oculus malus est, etiam corpus tuum tenebricosum erit; vide ergo ne lux quae in te tenebrae sit: si ergo corpus tuum totum lucidum non habens partem tenebricosam, erit lucidum totum, sicut quando candela splendore illuminat te" (*xi. 34-36; Matth. vi. 22, 23*):

per "oculum" hic significatur intellectus, et per "oculum purum" seu "simplicem" intellectus veri ex bono; per "oculum" autem "malum" significatur intellectus falsi ex malo; per "corpus," quod vel lucidum vel tenebricosum,

intelligitur totus homo: inde concludi potest quid per illa verba in serie significatur, nempe quod totus homo talis sit qualis ejus intellectus ex voluntate; est enim omnis homo suum verum et suum bonum, quia est suus amor seu sua affectio; quare est prorsus talis per totum qualis est quoad intellectum ex voluntate, omne verum enim est intellectus, et omne bonum est voluntatis; nam corpus est modo obedientia, quia est effectus causae efficientis, ac intellectus ex voluntate est causa efficiens; inde qualis haec talis ille, nam effectus omne suum habet a sua causa efficiente. Quod cavendum sit ne verum semel intellectu perceptum et voluntate receptum vertatur in falsum, quod fit ex malo, intelligitur per "Vide ergo ne lux quae in te tenebrae sit;" nam inde falsa fuit pejora: quare apud *Matthaeum*, in loco etiam nunc citato, dicitur

"Si ergo lumen quod in te tenebrae sit, tenebrae quantae" ([vers. 2]).

Per "tenebras" etiam significantur falsa mali apud *Esaiam*,

"Sede in silentio, et intra in tenebras, filia Chaldaeorum; quia non amplius vocabunt te dominam regnum" (xlvii. 5):

per "filiam Chaldaeorum" significatur falsificatio veri; inde per "tenebras" significantur falsa mali, quoniam malum falsificat verum. Per

Caliginem tenebrarum, quae fuit in omni terra Aegypti tres dies, dum in habitationibus filiorum Israelis fuit lux (*Exod. x. 21-23*),

significatur etiam falsum mali: tum per "tenebras," *Gen. xv. 17*; et pluries alibi. Hactenus ostensum est quod per "tenebras" in Verbo significantur falsa mali: quod etiam per "tenebras" significantur falsa non mali, qualia fuerunt falsa religionis apud gentes probas, quae falsa eis fuerunt ex ignorantia veri[; nunc ostendetur]. Quod haec falsa etiam dicantur "tenebrae," constat ex sequentibus locis:— Apud *Esaiam*,

"Populus hic ambulantes in tenebris viderunt lucem magnam; habitantes in terra umbrae mortis, lux effulsit super eos" (ix. 1 [*B. A. 2*] );

apud *Matthaeum*,

"Populus sedens in tenebris vidit lumen magnum: sedentibus in regione et umbra mortis lux exorta est" (iv. 16);

apud *Lucam*,

Ortus ab alto apparuit "illis qui in tenebris et umbra mortis sedent" (i. [78,] 79);

apud *Esaiam*,

"Si exprompseris famelico animam tuam, et animam afflictam saturaveris, exorietur in tenebris lux tua, et caligo tua sicut meridies" (lviii. 10);

apud eundem,

"Dicet vincitis, Exite; eis qui in tenebris, Revelamini" (xlix. 9);

apud eundem,

"Audient in die illo surdi verba libri, et ex caligine [!]eque tenebris oculi caecorum videbunt" (xxix. 18);

apud eundem,

"Ducam caecos in via non neverunt, . . . ponam tenebras coram illis in lucem, et contorta in rectitudinem" (xlvi. 16);

apud *Micham*,

"Quando sedero in tenebris, Jehovah lux mihi" (vii. 8):

in his locis "tenebrae" significant falsa ignorantiae, qualia fuerunt et hodie sunt apud gentes probas. Haec falsa prorsus distincta sunt a falsis mali; haec enim in sese recondunt malum, quia a malo sunt, at illa in sese recondunt bonum, pro fine enim habent bonum: quapropter ii qui in illis falsis sunt, possunt instrui in veris, et quoque dum instruuntur recipiunt vera corde, ex causa quia bonum, quod est in illorum falsis, amat verum, et quoque se conjungit vero quando auditur: aliter falsa mali; haec aversantur et respnuunt omne verum, ex causa quia verum est, et sic cum malo non concordat. "Tenebrae" etiam significant in Verbo meram ignorantiam ex deprivatione veri (ut apud *Davidem*, Ps. [!]xviii. 29; Ps. cxxxix. 11, 12). "Tenebrae" quoque significant lumen naturale, hoc enim respective ad lucem spiritualem est sicut tenebrae: quare etiam angeli, cum despiciunt in lumen naturale hominis, quale est in cognitione naturali hominum, spectant id sicut tenebras; et illa quae in illo sunt, sicut in tenebris: hoc lumen per "tenebras" significatur, *Gen.* i. 2-5. Et quia sensus litterae Verbi naturalis est, ideo quoque ille in Verbo vocatur "nubes" et quoque "tenebrae," respective ad sensum internum spiritualem, qui est lux caeli, et vocatur "gloria."

**527. "Ut dies non luceret tertia parte ejus, et nox similiter."**—

Quod significet quod lux veri spiritualis et lux veri naturalis prorsus extinctae sint, constat ex significatione "diei," quod sit lux spiritualis, et ex significatione "noctis," quod sit lux naturalis. Haec significantur, quia supra dictum est quod "tertia pars solis, tertia pars lunae, et tertia pars stellarum obtenebratae sint;" et per "diem" intelligitur lux solis, ac per "noctem" intelligitur lux lunae et stellarum, quoniam sol dat lucem interdiu, ac luna et stellae dant lucem noctu. Primum dicetur de luce ex sole quae vocatur lux diei, et de luce ex luna et stellis quae vocatur lux noctis; per lucem e sole, quae vocatur "lux diei" ac "dies," intelligitur lux spiritualis, qualis est angelis qui Dominum vident ut Solem; at per lucem e luna et stellis, quae vocatur "lux noctis" ac "nox," intelligitur lux naturalis, qualis est angelis qui Dominum spectant ut Lunam. (Quod Dominus appareat angelis ut Sol et quoque ut Luna, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 116-125.) Illi caeli Dominum spectant ut Solem qui in affectione veri spirituali sunt, hoc est, qui amant verum quia est verum; hoc quia est spirituale, ideo lux quae a Domino ut Sole est spiritualis: at illi caeli Dominum spectant ut Lunam, qui in affectione veri naturali sunt, hoc est, qui amant verum ut docti sint et alios instruant: illi quia propter utile pro se amant illud, et non propter ipsum verum, ideo illi in luce quae procedit a Domino ut Luna sunt: haec lux, a luce quae procedit a Domino ut Sole, differt sicut lux diei a sole et lux noctis a luna et stellis, in nostro mundo; similiter ut luces etiam differunt vera apud illos, ex causa quia Divinum Verum procedens a Domino sistit omnem lucem in caelis (videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 126-140). Quare illi qui in luce spirituali sunt, in genuinis veris sunt; et quoque cum audiunt vera quae non prius noverunt, statim agnoscent illa, et vident quod vera sint: alter illi qui in luce naturali sunt; illi cum audiunt vera, recipiunt illa, tametsi non vident et percipiunt, sed quia a viris famae, quibus fidem habent, dicuntur; quare plerique ex illis in fide ab aliis sunt, at usque in vita secundum fidem. In hos caelos veniunt omnes qui bene vixerunt, tametsi in falsis doctrinae fuerunt: at usque ibi falsa jugiter purificantur usque tandem ut apparent sicut vera. Ex his constare potest quid significatur per "ut dies non luceret tertia

parte ejus et nox similiter." (Quod "tertia pars" significet omne, plenum et prorsus, videatur supra, n. 506.) Simile hic per "diem et noctem," quod per "diem et noctem" in capite primo *Genesios*, significatur, ubi dicitur,

"Dixit Deus, Sit lux, et facta est lux; et vidit Deus lucem quod bona, et distinxit Deus inter lucem et inter tenebras; et vocavit Deus lucem diem, et tenebras vocavit noctem, et fuit vespera et fuit mane, dies primus" (vers. 3-5);

et postea,

"Et dixit Deus, Sint luminaria in expanso caelorum, ad distinguendum inter diem et inter noctem; et erunt in signa, et in stata tempora, et in dies et annos:....et fecit Deus duo luminaria magna, luminaire magnum ad dominandum die, et luminaire minus ad dominandum nocte, et stellas: et posuit illa Deus in expanso caelorum, ad lucem dandum super terra, et ad dominandum in die et in nocte, et ad distinguendum inter lucem et inter tenebras;....et fuit vespera et fuit mane, quartus dies" (i. 14-19):

per "lucem" quae facta die primo significatur Divina Lux quae in se et sua essentia est Divinum Verum; ita lux spiritualis, quae illustrat intellectum. Agitur in eo capite in sensu interno de instaurazione ecclesiae a Domino apud antiquissimos; et quia primum est ut intellectus illustretur, nam absque ejus illustratione a Domino nulla fit reformatio, ita non ecclesia apud hominem, ideo omnium primo dicitur de luce, seu quod lux primo die facta sit. Quod dicatur quod "viderit Deus lucem quod bona," significat quod apud illos bona illustratio et receptio fuerit: per "tenebras" autem significatur lumen quod est in naturali homine, quod etiam lumen naturale vocatur; quia hoc lumen ad lucem spiritualem, est respective sicut tenebrae, ideo illud per "tenebras" intelligitur. Est enim unicuique homini mens inferior seu exterior et mens superior seu interior: mens inferior seu exterior est mens naturalis, quae vocatur naturalis homo; mens autem superior seu interior est mens spiritualis, et vocatur homo spiritualis. Quod mens dicatur homo, est quia homo est homo ex mente sua. Binae illae mentes, superior et inferior, sunt prorsus distinctae; homo per mentem inferiorem est in mundo naturali una cum hominibus ibi, at per mentem superiorem est in mundo spirituali cum angelis ibi. Illae binae mentes ita distinctae sunt, ut homo, quamdiu vivit in mundo, non sciat quid apud se peragitur in mente sua superiore; et quando fit spiritus, quod fit statim post mortem, non sciat quid

peragitur in mente inferiore: inde dicitur quod "Deus distinxerit inter lucem et inter tenebras, et vocaverit lucem diem et tenebras noctem." Inde constare potest quod per "diem" significetur lux spiritualis, et per "tenebras" lux naturalis. Quia omnes caeli ita distincti sunt, ut qui in luce spirituali sunt illi in luce a Domino ut Sole sint, at qui in luce spirituali naturali sunt illi in luce a Domino ut Luna sint (ut supra, in hoc articulo dictum est), quapropter dicitur quod "duo luminaria in expanso caelorum sint ad distinguendum inter diem et inter noctem, et ad dominandum in die et in nocte, et ad distinguendum inter lucem et inter tenebras :" ex his itaque constare potest quod per "diem" ibi intelligatur lux spiritualis, et per "noctem" lux naturalis, quae in caelo vocatur lux spiritualis naturalis. Similia significantur per "diem" et "noctem" in his locis:—Apud *Davidem*,

Jehovah "qui fecit caelos per intelligentiam, . . . qui expandit terram super aquis. . . . ; qui fecit luminaria magna. . . . solem in dominium in die, . . . lunam et stellas in dominium in nocte" (Ps. cxxxvi. 5-9);

apud *Jeremiam*,

Jehovah "dans solem in lucem diei, statuta lunae et stellarum in lucem noctis" (xxxi. 35);

apud *Davidem*,

"Tibi, Jehovah, dies, et Tibi nox; Tu praeparasti lucem et solem" (Ps. lxxiv. 16);

apud *Jeremiam*,

"Si irritum reddideritis foedus meum diei et foedus meum noctis, ut non sit dies et nox in tempore suo, etiam foedus meum irritum fiet cum Davide servo meo, ut non sit illi filius regnans super throno illius, et cum Levitiis sacerdotibus ministris meis. . . . Si non foedus meum diei et noctis, statuta caeli et terrae [non] posuero, etiam semen Jacobi et Davidis reprobarem" (xxxiii. 20, 21, 25, 26);

per "foedus diei et noctis" intelliguntur omnia statuta ecclesiae filiis Israelis praescripta in Verbo, per quae illis est conjunctio cum caelo, et per caelum cum Domino: quod illa dicantur "foedus diei et noctis," est quia illa sunt pro caelo et quoque pro ecclesia; pro caelo sunt spiritualia quae repraesentantur et significantur, et pro ecclesia sunt naturalia quae repraesentant et significant: quare "foedus diei et noctis" ibi vocantur "statuta caeli et terrae," ac "foedus noctis" vocantur "statuta lunae et stellae."

rum :" "irritum reddere" significat non custodire: quod alioqui non foret conjunctio cum Domino per Divinum Verum, nec per Divinum Bonum, significatur per quod "foedus irritum fiet cum Davide, ut non sit filius regnans super throno ejus, et cum Levitis sacerdotibus ministris meis :" "foedus cum Davide" est conjunctio cum Domino per Divinum Verum; "non filius super throno ejus" significat non receptionem Divini Veri ab aliquo; et foedus cum Levitis sacerdotibus ministris" est conjunctio cum Domino per Divinum Bonum. Apud *Davidem*,

"Si dixeris, utique tenebrae oppriment me, etiam nox lux pro me: etiam tenebrae non facient tenebras p[er] Te, sed nox sicut dies lucida erit; sicut tenebrae ita lux" (Ps. cxxxix. [11], 12);

per haec significatur quod a Domino illustretur naturalis homo aequ[us] ac spiritualis; lux naturalis significatur per "tenebras" et "noctem," et lux spiritualis per "lucem" et "diem;" quod "nox sicut dies lucida erit, et sicut tenebrae ita lux," simile significat quod apud *Esaiam*,

"Erit lux lunae sicut lux solis" (xxx. 26).

Haec allata sunt, ut sciatur quod per "dies non luceret tercia parte ejus" significetur lux spiritualis; et quod per "nox similiter" significetur lux naturalis, ita simile quod per "lucem e sole" ac per "lucem e luna."

#### VERSUS 13.

**528.** "Et vidi et audivi unum angelum volantem in medio caeli, dicentem voce magna, Vae, vae, vae habitantibus super terra ex reliquis vocibus tubae trium angelorum futrorum clangere."

13. "Et vidi et audivi unum angelum volantem in medio caeli," significat Dominum illustrantem omnes in caelis de statu ecclesiae in fine ejus [n. 529]; "dicentem voce magna," significat manifestationem [n. 530]; "Vae, vae, vae habitantibus super terra ex reliquis vocibus tubae trium angelorum futrorum clangere," significat gravem lamentationem super mutationes status ecclesiae propter aversionem a bono et vero et inde damnationem [n. 531, 532].

**529.** [Vers. 13.] "Et vidi et audivi unum angelum volantem in medio caeli."—Quod significet Dominum illustrantem omnes in caelis de statu ecclesiae in fine ejus, constat ex significacione "videre et audire," quod sit aperire intellectum ad percipiendum (de qua sequitur); ex significacione "angeli,"

quod sit Dominus; (quod per "angelos" in Verbo intelligatur Divinum Verum procedens a Domino, ita Ipse Dominus quoad Divinum Verum, videatur supra (n. 130, 200, 302); hic Dominus quoad manifestationem qualis futura ecclesia in ultimis temporibus quoad receptionem Divini Veri;) ex significatione "volare," quod sit illustrare et dare intellectum (de qua etiam sequitur); et ex significatione "in medio caeli," quod sit in universo caelo, seu omnes qui in caelis: (quod "in medio" significet in universo et sic omnes, videatur supra, n. 213:) ex his constare potest quod per "Vidi et audivi unum angelum volantem in medio caeli" significetur illustratio omnium qui in caelis de statu ecclesiae in fine ejus: quod illustratio de statu ecclesiae in fine ejus, est quia de hoc in sequentibus agitur. Quod per "videre et audire" significetur aperire intellectum ad percipiendum, est quia "videre" significat intelligere, et "audire" percipere. (Quod "videre" significet intelligere, videatur supra, n. 260; et quod "audire" significet percipere, etiam supra, n. 14, 108.) Quod "volare," cum de Domino, significet illustrare, est quia "volare" dicitur de intellectu, et de ejus visus extensione circumcirca; quare, cum de Domino, "volare" significat intellectus illustrationem; quod "volare," cum de Domino, significet omnipraesentiam, videatur supra (n. [1]282); proinde etiam illustrationem, nam ubi Dominus praesens est ibi est illustratio. Hoc quoque significatur per "volare" apud *Davidem*,

Deus "equitavit super cherubo, volavit et vectus est super alis venti" (Ps. xviii. II [B. A. 10]; 2 Sam. xxii. 11):

per "cherubum" significatur caelum intimum; per "equitare" dare intellectum et illustrare; similiter per "volare" et per "vehi super alis venti;" sed per "equitare" significatur dare intellectum, ac illustrare, hic caelum intimum, quod per "cherubum" significatur; per "volare" significatur etiam dare intellectum, ac illustrare, sed caelum medium; at per "vehi super alis venti" significatur dare intellectum, ac illustrare caelum ultimum: (quod "equitare" significet dare intellectum, videatur supra, n. 355<sup>[c]</sup>, 364<sup>[b]</sup>; quod "cherubus" significet caelum intimum, supra, n. 313<sup>[a]</sup>, 322, 362, 462:) quod "volare" significet illustrare caelum medium, est quia id caelum est caelum spirituale, ac spiritualia in Verbo significantur per varias "aves," et per earum "alas" et "volatus;" quod "vehi super alis venti" significet illustrare caelum ultimum, est quia

“alae” sunt volatus, et hic <sup>10</sup>significant illustrationem, ac “ventus” significat spirituale illius caeli; per omnia illa describitur omnipraesentia Domini in caelis, inde etiam illustratio intellectus; nam, ut supra dictum est, ubi Dominus praesens est ibi illustratio.

**530.** *“Dicentem voce magna.”*—Quod significet *manifestationem*, constat ex significatione “dicere voce magna,” quod sit *manifestatio*, hic de venturo statu ecclesiae circa finem ejus, de quo praedicitur in sequentibus: dicitur “*vox magna*,” quia de Domino, et ad universum caelum (ut mox supra dictum est).

**531.** *“Vae, vae, vae habitantibus super terra ex reliquis vocibus tubae trium angelorum futurorum clangere.”*—Quod significet *gravem lamentationem super mutationes status ecclesiae in fine ejus propter aversionem a bono et vero et inde damnationem*, constat ex significatione “*vae*,” quod sit *lamentatio* super aversione a bono et vero et inde *damnatione*; et quia ter dicitur “*vae*,” quod sit *gravis lamentatio* (de qua sequitur); ex significatione “*habitantium super terra*,” quod sint qui ab ecclesia (“terra” est ecclesia, videatur supra, n. 29, 304, 417); et ex significatione “*vocum tubae trium angelorum futurorum clangere*,” quod sint *mutationes status ecclesiae*, nam per quod “*angeli tubis clamixerint*,” significantur *mutationes ex influxu e caelo* (videatur supra, n. 502); quod per “*tres*” significetur *completum usque ad finem*, videbitur in sequente articulo. Ex his constare potest quod per “*Vae, vae, vae habitantibus super terra ex vocibus tubae trium angelorum futurorum clangere*,” significetur *gravis lamentatio super mutationes status ecclesiae in fine ejus propter aversionem a bono et vero ac inde damnationem*. Quod “*vae*” significet *lamentationem super calamitate, periculo, aerumna, pernicie*, constare potest a locis in Verbo ubi effertur; hic autem super aversione a bono et vero et inde *damnatione*, nam de his in sequentibus agitur; et quia aversiones a bono et vero *ingravescunt successive in ecclesia usque ad finem ejus*, ideo ter dicitur, quodvis pro qualibet *successiva ingravescientia mali*; ut constare potest a sequentibus, ubi dicitur,

“*Vae primum praeterit, ecce venient adhuc duo vae post haec*” (*Apoc. ix. 12*);

ac postea,

“*Vae secundum praeterit, ecce vae tertium venit cito*” (*Apoc. xi. 14*).

Quod "vae" in Verbo significet lamentationem super variis accidentibus, imprimis super malis quae devastant ecclesiam, constare potest a pluribus locis ibi:—Ut apud *Matthaeum*,

"Vae vobis, Scribae et Pharisaei, hypocritae" (xxiii. 13, 14, 15, 16, 23, 25, 27, 29);

apud *Lucam*,

"Vae homini illi per quem Filius hominis proditur" (xxii. 22);

apud eundem,

"Vae ei per quem" scandala "veniunt" (xvii. 1);

apud *Esaiam*,

"Vae adjungentibus domum domui, . . ." (v. 8);

"Vae surgentibus mane sub auroram siceram persequuntur" (vers. 11);

"Vae attrahentibus iniquitatem . . ." (vers. 18);

"Vae dicentibus de malo bonum" (vers. 20);

"Vae sapientibus in oculis suis" (vers. 21);

"Vae heroibus ad potandum vinum" (vers. 22);

et alibi pluries

(Ut apud *Esai*. cap. iii. 11; cap. x. 1; cap. xvii. 12; cap. xviii. 1; cap. xxix. 1, 15; cap. xxx. 1; cap. xxxi. 1; cap. xxxiii. 1; cap. xlvi. 9, 10; etc.: *Jerem.* [1]xxii. 13: *Ezech.* [2]xiii. 3: *Apoc.* xviii. 16, 19).

**532.** Quoniam omnes numeri in Verbo significant res et status, et numeri compositi significationes suas trahunt a numeris simplicibus a quibus compositi sunt, ac numeri simplices sunt imprimis duo, tria, quinque, septem, inter est ostendere quid illi numeri in Verbo significant; hic quid "tria," quia dicitur "Vae, vae, vae ex vocibus tubae trium angelorum qui futuri clangere." (Quod omnes numeri in Verbo aliquid rei et status significant, videatur supra, n. 203, 429; et quod numeri majores et congregati simile significant cum simplicibus ex quibus per multiplicationem exsurgunt, et quod numeri simplices sint "duo," "tria," "quinque," "septem," etiam supra, n. 430[a].) Quod "tria" in Verbo significant plenum et completum, et inde integrum periodum, majorem aut minorem, a principio ad finem, constare potest ex sequentibus:—Apud *Esaiam*,

"Intra tres annos, quales anni mercenarii, evilesct gloria Moabi in omni multitudine magna; residuum autem minus pusillo, non validum" (xvi. 14);

per "Moabum" intelliguntur qui in falsis ex malo sunt; per "gloriam ejus" et per "multitudinem magnam ejus" intelliguntur illa falsa: per "tres annos," intra quos evilesct gloria ejus, significatur completum et consummatum;

quare dicitur quod "tunc residuum esset minus pusillo," per quod significatur quod non amplius; "tres anni" dicuntur, et per illos intelligitur consummatum, ita a principio ad finem. Sciendum est quod simile significetur per "tres annos" quod per "tres menses," per "tres septimanas," "tres dies," perque "tres horas;" quoniam "tempora" in sensu spirituali significant status, et "tria tempora," sive majora sive minora sint, statum plenum. Apud eundem,

"Sicut ivit servus meus Esaias nudus et discalceatus tres annos, signum et prodigium super Aegypto et super Kuscho, sic duet rex Aschuris captivitatem Aegypti, et turbam deportandam Kuschi, pueros et senes, nudum et discalceatum" (xx. 3, 4):

per "Aegyptum" et per "Kuschum" non intelligitur Aegyptus et Kusch, sed per "Aegyptum" intelligitur exterum seu naturale quoad scientificum, et per "Kuschum" externum seu naturale quoad cultum; quae cum absque interno spirituali sunt, etiam absque vero et bono sunt; nam omne verum et omne bonum quod est naturali seu externo homini est ex influxu per spiritualem hominem a Domino; et cum absque vero et bono, est naturalis seu externus homo quoad illa quae ibi sicut homo "nudus et discalceatus;" quod erunt modo ratiocinia ex falsis, et quod illa destruent, significatur per quod "rex Aschuris duet captivitatem Aegypti, et turbam deportandam Kuschi, nudum et discalceatum;" quod peritura sit omnis innocentia et omnis sapientia, significatur per "pueros et senes," quos "rex Aschuris abducet;" destructio eorum totalis et plenaria repraesentabatur per prophetam, quod "iverit tres annos nudus et discalceatus;" "tres anni" significant integrum periodum a principio ad finem, proinde totalem destructionem. Apud *Hoscheam*,

Jehovah "vivificabit post biduum, die tertio eriget nos" (vi. 2):

per "vivificare post biduum, et die tertio erigere," significatur reformare et restaurare ecclesiam; "die tertio" significat plenam reformationem et restorationem, quare dicitur quod tunc "eriget;" quod nec biduum nec dies tertius intelligatur, constat. Quoniam numerus ternarius significabat completum usque ad finem, ideo is numerus in Ecclesia Repraesentativa receptus est, et adhibitus quo-

ties tale repraesentaretur, ut constare potest ex his in Verbo:—

- Quod irent iter trium dierum, et sacrificarent (*Exod.* iii. 18; cap. v. 3);  
 Quod mense tertio post exitum ex Aegypto venerint ad montem Sinai (*Exod.* xix. 1);  
 Quod mandatum ut parati essent ad diem tertium, quia die tertio descederet Jehovah super Montem Sinai (*Exod.* xix. 11, 15, 16, 18);  
 Quod tribus diebus factae sint tenebrae in terra Aegypti (*Exod.* x. 22, 23);  
 Quod tribus annis essent fructus arboris plantatae in terra Canaane praeputiati (*Levit.* xix. 23–25);  
 Quod ex carne sacrificii nihil relinquatur ad diem tertium (*Levit.* vii. 16–18; cap. xix. 6, 7);  
 Quod super immundum spargeretur aqua separationis die tertio et die septimo (*Num.* xix. 11 ad finem);  
 Quod qui tetigerunt occisum, mundarentur die tertio et die septimo (*Num.* xxxi. 19–25);  
 Quod Josua mandaverit populo, ut intra tres dies transirent Jordanem (*Jos.* i. 11; cap. iii. 2);  
 Quod Jehovah ter vocaverit Samuelem, et ter Samuel cucurrerit ad Eli, et quod tertia vice intellexerit Eli quod Jehovah vocaverit Samuel (*1 Sam.* iii. 1–8);  
 Quod Jonathan diceret ad Davidem quod occultaret se in agro ad vesperam tertiam: et quod postea Jonathan ad latus lapidis jacularetur tres sagittas; et quod post illud David se incurvaverit tribus vicibus ad terram coram Jonathane (*1 Sam.* xx. 5, 12, 19, 20, 35, 36, 41);  
 Quod tria proposita sint Davidi, ut ex illis unum eligeret, ut quod ventura fames septem annis, vel quod fugiturus pro hostibus tribus mensibus, vel quod futura pestis in terra tribus diebus (*2 Sam.* xxiv. 11–13);  
 Quod Elias se mensus super filium viduae tribus vicibus (*1 Reg.* xvii. 21);  
 Quod Elias dixerit ut funderent aquam super holocaustum et super ligna tribus vicibus, et tribus vicibus fuderunt (*1 Reg.* xviii. 34);  
 Quod Jonas fuerit in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus (*Jon.* ii. 1 [*B. A.* i. 17]; *Matth.* xii. 40);  
 Quod Daniel lugens fuerit tribus septimanis (*Dan.* x. 2–4);  
 Quod annus tertius esset annus decimarum (*Deut.* xxvi. 12);  
 Quod Dominus locutus de homine qui plantavit vineam, quod miserit tribus vicibus servos, et postea Filium (*Marc.* xii. 2, 4–6; *Luc.* xx. 12, 13);  
 Quod Dominus dixerit ad Petrum, quod antequam gallus bis caneret ter abnegaturus Ipsum (*Matth.* xxvi. 34, 69 ad fin.; *Luc.* xxii. 34, 57–61; *Joh.* xiii. 38);  
 Quod Dominus ter dixerit Petro, Amasne Me? et “Pasce agnos meos et oves meas;” et quod tertia vice Petrus contristatus sit (*Joh.* xxi. 15–17);  
 Quod Dominus dixerit quod “regnum caelorum simile sit fermento, quod accipiens mulier abscondidit in satis tribus, donec fermentaretur totum” (*Matth.* xiii. 33; *Luc.* xiii. 21);  
 Quod Dominus dixerit, “Sanationes perficio hodie et cras, et tertio die consummorum” (*Luc.* xiii. 32, 33);  
 Quod Dominus dixerit quod erit in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus (*Matth.* xii. 40);  
 Quod dixerit quod tertio die resurgeret (*Matth.* xvi. 21; cap. xvii. 22, 23; cap. xx. 18, 19; *Luc.* xviii. 32[33]; cap. xxiv. 46);  
 Quod dixerit quod dissolveret Templum Dei, et per tres dies aedificaret (*Matth.* xxvi. 61; cap. xxvii. 40; *Joh.* ii. 19, 20);

- Quod Jesus in Gethsemane tribus vicibus oraverit (*Matth. xxvi. 39, 42, 44*);  
 Quod Jesus hora tertia crucifigeretur (*Marc. xv. 25*);  
 Quod tunc tenebrae factae sint super universam terram tribus horis,  
     ab hora sexta ad nonam, et quod tunc dixerit "Consummatum  
     est," et exspiraverit (*Matth. xxvii. 45; Marc. xv. [33.] 37; Joh.  
     xix. 30*);  
 Quod Dominus die tertio resurrexerit (*Matth. xxviii. 1; Marc. xvi. 2;  
     Luc. xxiv. 1; Joh. xx. 1*).

Ex his constare potest quod numerus ternarius significaverit consummatum seu completum ad finem, proinde integrum periodum majorem aut minorem, a principio ad finem. Ex illo numero simplici trahunt plures numeri compositi suas significationes, prout 6, 9, 12, 60, 72, qui ex eo significant omnia vera et bona in complexu; similiter numeri 30, 300, 3000; quoniam numeri compositi trahunt suas significationes ex numeris simplicibus ex quibus compositi sunt, ut supra in hoc articulo dictum est. Praeterea sciendum est quod numerus ternarius seu "tria" in Verbo praedicentur de veris, at "duo" et "quatuor" de bonis: causa est quia "duo" et "quatuor" significant conjunctionem, "tria" autem plenitudinem; et conjunctio spiritualis est amor, et omne bonum est amoris, et plenitudo spiritualis formatur per vera. Qui non scit quod omnes numeri in Verbo significant, non aliter cogitat et credit, quam ubi "duo et tres" ac "tres et quatuor" in Verbo dicuntur, [quod] intelligantur duo et tres, aut pauci, ac non omnes qui in bono et vero sunt, ut in sequentibus locis:—  
*Apud Esaiam,*

"Relinquentur in eo racemationes sicut in decussione oleae duae tres baccæ in capite rami; quatuor quinque in ramis fructiferae" (xvii. 6):

agitur ibi de vastatione ecclesiae, et dicitur hoc de residuis paucis qui in bono et vero sunt; comparatio fit cum decussione oleae, quia per "oleam" significatur ecclesia quoad bonum amoris, et per "ramos" vera inde: "duae tres" significant paucos qui in bono et inde veris sunt, "duo" bonum et "tres" vera; et "quatuor quinque" significant paucos qui in bono, "quatuor" illos qui in bono et "quinque" paucos: et quia "quatuor quinque" significant paucos qui in bono, ideo dicitur, "quatuor quinque in ramis fructiferae;" "olea fructifera" significat illos in

ecclesia qui in bono quoad vitam. Quia haec significantur per illos numeros, ideo dicitur "duae tres," et "quatuor quinque," et non duae et tres, ac quatuor et quinque. Apud *Amos*,

"Vagatae sunt duae tres urbes ad urbem unam ad bibendum aquas, nec tamen satiatae sunt" (iv. 8):

agitur ibi de defectu veri in fine ecclesiae; quod tunc illi qui desiderant verum ex affectione spirituali non inventuri aliquod verum in doctrinis ubicunque inquirunt; ideo dicitur, quod "vagarentur duae tres urbes ad urbem unam ad bibendum aquas, nec tamen satiarentur;" per "duas tres urbes" significantur qui in affectione veri sunt ex bono; per "urbem" significatur verum doctrinae; per "haurire aquas" significatur ad discendum vera; per "vagari" significatur inquirere; et per "non satiari" significatur non invenire verum quod in se verum est: "duae tres urbes" dicuntur quia per "duas tres" significantur illi qui in bono et inde veris sunt. Apud *Sacharium*,

"Fiet in universa terra,....duae partes in ea exscindentur, exspirabunt, et tertia relinquetur in ea; ducam tamen tertiam partem per ignem,....et probabo eos" (xiii. 8, 9):

similiter haec de vastatione ecclesiae quoad bonum: quod omne bonum peritum sit, intelligitur per quod "in universa terra duae partes in ea exscindentur et exspirabunt;" "in universa terra" est in universa ecclesia, et "duae partes" significant omne bonum: quod aliquid veri remansum sit, at vix aliquod verum genuinum, significatur per quod "tertia pars relinquetur in ea, ducam tamen tertiam partem per ignem et probabo;" "tertia pars" significat vera residua; quae probanda num genuina sint, significatur per quod "ducentur per ignem;" probare "per ignem" est per affectionem quae amoris, cum quo si non concordat verum, non est verum genuinum; per "ignem" enim in Verbo significatur amor: in ecclesia quando bonum amoris perit, etiam verum non fit verum, quia omne verum suam essentiam dicit a bono. Ex his constare potest quid significatur per Domini verba apud *Matthacum*,

"Ubi duo et tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum" (xviii. 20):

ibi non intelliguntur duo et tres, sed illi qui in bono et

inde veris sunt ; per "nomen Domini" nec intelligitur nomen Ipsius, sed omne bonum amoris et verum fidei, per quae colitur (videatur supra, n. 102, 135). Ex his etiam patet quid significatur per Domini verba apud *Lucam*,

"Erunt ex nunc quinque divisi in domo una, tres contra duos et duo contra tres" (xii. 52) :

per haec intelligitur quod post adventum Domini, quando Ipse notus factus est, ac interiora Verbi ab Ipso et cum Ipso revelata sunt, in ecclesia tam in communi quam apud hominem ecclesiae in particulari dissidium futurum sit inter bonum et verum, ac inter verum et bonum ; hoc intelligitur per quod "in domo una divisi erunt tres contra duos et duo contra tres :" per "domum" intelligitur ecclesia in communi, et apud hominem ecclesiae in particulari ; per "tres" significantur vera, et per "duos" bona ; quod dicatur quod "quinque divisi erunt" significat quod apud illos qui reformatur tale dissidium erit. Quare etiam sequitur,

"Dividetur pater contra filium, et filius contra patrem, mater contra filiam et filia contra matrem" (vers. 53 ibi) :

per "patrem" enim significatur bonum ecclesiae, per "filium" verum ecclesiae, per "matrem" verum ecclesiae, et per "filiam" bonum ejus. Quis non videre potest quod numeri quinque, duo, et tres, non dicti fuerint nisi significavissent ? "Quinque" in Verbo significant omnes illos, quando "duo" et "tres" sequuntur ; at "quinque" significant aliquos et paucos, quando "decem" aut "viginti" praecedunt aut sequuntur. Similia intelliguntur in precepto Decalogi per

"Tertiam et quartam generationem," seu per "filios tertianos et quartanos," super quos Deus visitaturus iniquitatem parentum (*Exod. xx. 5; Num. xiv. 18; Deut. v. 9, 10*) :

per "tertiam et quartam generationem" significantur omnes qui in falsis ex malo sunt ; per "tertiam generationem" qui in falsis mali sunt, et per "quartam generationem" qui in malis falsi sunt : "tria" enim in opposito sensu significant falsa, et "quatuor" mala. Quis non videt quod contra justitiam Divinam foret, visitare iniquitatem parentum super filios usque ad tertiam et quartam generationem ? Docet enim Dominus

Quod "anima quae peccaverit illa morietur; filius non portabit iniqutatem parentis, nec pater portabit iniqutatem filii; justitia justi super illo erit, et impietas impii super illo erit" (*Ezech. xviii. 20; Deutr. xxiv. 16; 2 Reg. xiv. 6*):

inde patet quod per "tertiam et quartam generationem" non intelligatur tertia et quarta generatio, sed id quod numeri illi significant.

Similia per "tres et quatuor prevaricationes" significantur apud *Amos* (cap. i. 3, 6, 9, 11, 13; cap. ii. 1, 4, 6).

Ex his constare potest quanta arcana in Verbo solum in ejus numeris latent, quae nemo absque interno spirituali scire potest.

## NOTAE CRITICAE EDITORIS.

Pag.	Sig.		Pag.	Sig.	
663	I	septem pro "quatuor" ( <i>videatur cap. viii. 6</i> ).	702	2	I, 3, 6 pro "2, 6"
668	I	6237 pro "6238"	703	I	quod pro "quid"
670	I	significantur pro "significatur"	2	"occident":—sic ed. photolith.; <i>sic infra</i> , n. 266: <i>textus capitinis autem habet "occident"</i> .	
	2	8918 pro "8910"			
671	I	187 pro "61"	704	I	9601 pro "9681"
	2	Meschech pro "Javan"	705	I	9467 pro "9476"
672	I	emere pro "edere"		2	4906 pro "134, 566 ad 575, 4906". ( <i>Videatur linea subsequens</i> .)
	2	5406 pro "5397"		I	9001 pro "34"
673	I	4, 5 pro "5, 6"		I	periturus pro "perituri"
	2	vestros pro "ejus" ( <i>vide supra</i> , n. 175[a]; <i>tum infra</i> , n. 405[e], 433[e]).	708	I	4696 pro "4496"
	3	9372 pro "9327"	710	I	5044 pro "5094"
676	I	41, 42 pro "43"	714	I	illi pro "illis"
681	I	50 pro "5"	715	I	viii, 12 pro "xii."
682	I	middin pro "Middim"	716	I	veritas pro "justitia"
683	I	[non]:— <i>vide infra</i> , n. 654[g].	717	I	II pro "10"
	2	"hominem":— <i>delendum esse "hominem," fortassis auctori in animo esset, cum "Divinum" inter linea scribebat.</i>	721	3	"Rex":—sic editio photolith. ( <i>Conf. n. 405, 612; tum A. C., n. 3780; Apoc. Rev., n. 306, 478; V. C. R., n. 303; Dict. Prob., ed. 1845, pag. 54; Index Biblicus, s. v. Rex</i> . <i>Videatur autem A. C., n. 8331. Videatur etiam Vera Christiana Religio</i> ,—exemplar quod erat ipsius auctoris: hic, in margine paginae 198, manu suo scriptum esse videtur "Deus".)
684	I	[non]:— <i>vide infra</i> , n. 654[g].	722	I	ei pro "eis" ( <i>vide A. C., n. 9031</i> ).
	2	27 pro "26"		2	abundantiam pro "sanitatem" ( <i>vide A. C., n. 9031</i> ).
	3	dixeris pro "dixerint"		I	palatiis pro "portis" ( <i>explicatio infra videatur; tum Index Biblicus, s. v. Palatia</i> ).
	4	pones pro "ponet" ( <i>vid. A. C., n. 2360</i> ).	723	2	"nomen":—sic editio photolith. ( <i>Vide autem infra, n. 365; tum A. C., n. 2851; et quoque Dict. Prob., ed. 1845,</i>
	5	"domino . . . significatur" <i>scripti pro "ficatur."</i> ( <i>Linea integra, ab editione photolithographica fortuito omissa, ex editionibus prioribus supplata est.</i> )			
691	I	xlix. pro "xlviii."			
693	I	integrum (ut <i>infra</i> ) pro "impium"			
695	I	2220 pro "220"			
	2	Verba uncis inclusa maxima ex parte videantur in Arcanis Caelestibus, n. 8813.			
696	I	cujus pro "ejus" ( <i>videatur supra</i> , n. 355[f]).			
700	I	300 pro "299"			
701	I	10060 pro "10059"			
702	I	12 pro "2"			

Pag.	Sig.	Pag.	Sig.
	pag. 63: quibus in locis legimus "Deum," quod textum Hebraicum recte interpretatur.	755	6 21, 39, 52 pro "24, 38, 51"
724	1 9215 pro "9216" 2 9216 pro "9217"	758	1 Reg. pro "2 Reg."
725	1 33 pro "34"	760	1 caelestis pro "coele-" 2 9946 pro "9966" 3 10608 pro "10688"
726	1 "Jehovae":—sic editio photolith.; si quoque <i>Apoc. Rev.</i> , ed. princeps, n. 306; <i>V.C. R.</i> , n. 303. Videantur autem haec, ubi legimus "justitiae"; nempe, <i>A. C.</i> , n. 3780; <i>De Caelo et Inferno</i> , n. 287; <i>Index Bibl.</i> s. v. <i>Justitia</i> ; <i>Dicta Prob.</i> , ed. 1845, pag. 17. Nomen Domini e sensu intimo in litteram translatum esse videtur.	761	4 altitudine pro "monte" (vid. supra, n. 374[b]; etiam <i>A. C.</i> , n. 415). 1 vestro pro "meo" (vide infra, n. 644[c], 660).
	2 4391 pro "3391, 4391"	763	1 xxxii. pro "xxxii." 2 olivae pro "oliva". (Hoc verbum, in editione photolith., est semideletum. Vide infra, n. 403. Editiones priores legerunt "oliva".)
728	1 eorum pro "suum" (vid. <i>A. C.</i> , n. 2240; <i>Ap. Rev.</i> , n. 885; <i>Dicta Prob.</i> , ed. 1845, pag. 25). 2 occidant:—sic editio photolith.; textus capitinis autem habet "occiderent".	764	1 sexaginta pro "sexaginta sex"
730	1 21 pro "22"	765	1 intelligitur pro "intelliguntur"
733	1 sunt pro "erunt" (vid. infra, n. 401[c], 526[a]); supra autem, n. 72, legimus, "Sol et luna atrati erunt, et stellae contrahent splendorem suum").	768	2 sint pro "quod sint"
735	1 terra pro "tota terra" (videatur explicatio).	771	1 10608 pro "10688" 2 8, 9, pro "7, 8, 9"
740	2 7 pro "6"	772	2 cibum pro "cibus"
	1 5655 pro "5656" 2 5915 pro "5917" 3 8408 pro "8418"	773	1 Supra pro "Super" (vide <i>A. C.</i> , n. 5480). 1 5581 pro "5580"
744	1 sanguinem (ut in explicatione infra) pro "sanguine"	774	2 illis:—sic editio photolith.; sic etiam <i>Apoc. Rev.</i> , ed. princeps, n. 651; tum <i>A. C.</i> , n. 6377. In <i>A. C.</i> autem, n. 3384, 6537, legimus "illi"; n. 1071 habet "in ea".
745	1 "cibarem":—sic editio photolith.; sic etiam infra, n. 411[e]: vide autem <i>A. C.</i> , n. 3941, ubi legitur "cibaret."	775	1 Chesbonis:—sic editio photolith.; sic etiam <i>A. C.</i> , n. 2967, 9470; et quoque <i>Index Biblicalis</i> , s. v. <i>Vinum</i> :—secundum textum autem Hebraicum legeremus <i>Chelbonis</i> .
748	1 Sit ( <i>ut infra</i> ) pro "Sint"	776	1 officiuntur pro "fficiuntur" (vide supra, n. 375[e(viii)]).
753	1 12 pro "13"	777	2 Videatur <i>supra</i> , pag. 325, nota editoris prima.
754	1 9942 pro "9946" 2 9952 pro "9950" 3 praecepit pro "praecepi"	778	1 significatur pro "est"
	4 xviii. pro "xvii."	779	2 "nam":—sic in editionibus prioribus. Editio photolith. habet "non," quod ab auctore forte non scriberetur.
755	1 xvi. 3, 6, 12 pro "xvi. 6; xviii. 3, 12" 2 23 pro "25" 3 7 pro "6" 4 8 pro "1" 5 10 pro "9"	780	1 222 pro "223" 1 v. pro "xv." 1 9051 pro "9031"
			1 "decidentis":—sic editio photolith.; sic etiam <i>Schmidius</i> : videatur autem <i>A. C.</i> , n. 5354, ubi legitur "decidenti".
			2 sacerdos (ut <i>infra</i> ) pro "sacerdotes"
			3 "vinum":—sic editio photolith.; videatur autem <i>A. C.</i> ,

Pag.	Sig.		Pag.	Sig.	
		n. 6377, ubi legimus "siceram".			<i>De Caelo et Inferno</i> , n. 216; <i>Apoc. Rev.</i> , n. 567; <i>Dicta Prob.</i> , ed. 1845, pag. 56.
781	I	"vinum":—videatur nota proxima praecedens.	821	I	991 pro "993"
783	I	<i>Jerem.</i> pro "cap."	822	I	<i>vidi</i> pro "Et <i>vidi</i> "
790	I	dicantur ( <i>ut infra</i> ) pro "dicitur"	823	I	<i>Vidi</i> pro "Et <i>vidi</i> "
792	I	comederit pro "comedit"	825	I	1343 pro "1943"
	2	"Jehovam":—sic editio photolith.; sic <i>infra</i> , n. 440: in <i>Arcanis Caelestibus</i> autem, n. 5354, legimus "Jehudam" (quod recte interpretatur textum Hebraicum). Hoc nomen Domini in litteram a sensu intimus ab auctore translatum esse videtur.	827	I	mei pro "meis" (videatur explicatio).
	3	caedere pro "cadere"	833	I	10025 pro "10015"
793	I	"Jehovam":—sic editio photolith. ( <i>Videatur</i> pag. 792, nota 2.)	822	I	3325 pro "9325"
794	I	9424 pro "9429"	834	I	123-129 pro "123 ad 129, 325" (325 <i>videatur infra</i> ).
795	I	<i>corum</i> pro "ejus"		2	22 pro "2"
796	I	quae pro "qui"		2	non spectabit pro "spectabunt" (vide <i>infra</i> , n. 585[b]).
	2	"vos":—sic editio photolith.; sic etiam <i>A. C.</i> , n. 2588. Forte, secundum textum Hebraicum, legeris eos.	835	I	non spectabit pro "spectabunt" ( <i>videatur</i> <i>infra</i> , n. 585[b]).
	3	5160 pro "546—"			sculptum pro "scriptum" ( <i>videatur</i> explicatio, tum <i>A. C.</i> , n. 9416).
797	I	extendero pro "extendere"	836	I	4552 pro "4512"
798	I	6788 pro "6778"	837	I	"fecerunt":—sic editio photolith.; videatur etiam explicatio. In <i>A. C.</i> , n. 921, legimus "fuerunt".
803	I	lviii. pro "viii."			
804	I	195 pro "295"	843	I	17-22 pro "17 ad 23"
805	I	1463 pro "1643"	844	I	10545 pro "10505"
809	I	e pro "in" ( <i>vide infra</i> , in explicatione).	845	I	xxxiv. pro "xxiv."
811	I	significantur pro "significatur"	846	I	doctrinam pro "doctrina"
813	I	991 pro "993"	846	I	<i>eorum</i> pro "tui" (vid. <i>A. C.</i> , n. 6804).
	2	<i>colligeris</i> pro "collegeris"		2	I pro "2"
814	I	<i>colligeris</i> pro "collegeris"	847	I	7782 pro "3782"
	2	boni pro "bono"	852	I	9215 pro "9216"
816	I	faciam:—sic editio photolith.; sed <i>videatur</i> <i>infra</i> , n. 650[g], ubi legitur "facient".	852	I	9216 pro "9217"
818	I	aut pro "et"	853	I	4 pro "24"
820	I	"Me tibi":—sic editio photolith.; sic etiam <i>Doc. de Sac. Scrip.</i> , n. 85; <i>De Div. Am. et Div. Sap.</i> , n. 38; <i>Apoc. Rev.</i> , ed. princeps, n. 688; <i>V. C. R.</i> , ed. princeps, n. 51; <i>Coronis</i> , ed. 1780, n. 3. Videantur autem articuli sequentes, ubi legimus "te Mihi":— <i>Apoc. Expl.</i> , n. 329[a], 650[e], 701[c], 946; <i>A. C.</i> , n. 2235, 9182, 9857;	854	I	quoad pro "quod"
			854	I	xxiii. 5 pro "ii. 8"
			855	I	9928 pro "9929"
			857	I	xviii. pro "xvii."
				2	xv. 16 pro "x. 22, 23"
			858	I	sunt pro "sint"
			865	I	3757 pro "3759"
				2	4422 pro "4417"
			866	I	13 pro "33"
			868	I	8192 pro "8129"
			869	I	"mei":—sic editio photolith.; sic etiam <i>A. C.</i> , n. 612, et <i>De Caelo et Inferno</i> , n. 348: in <i>A. C.</i> autem, n. 9192, legitur "sui" quod textum Graecum recte interpretatur.
			872	I	125 pro "127"
			873	I	xiii. 9-11 pro "xxiv. 21, 23"
			874	I	viii. pro "vii."
			877	I	257 pro "356"

Pag.	Sig.	Pag.	Sig.	
879	I	"Dominus <i>Jehovih</i> ":—sic editio photolith.; videatur autem supra, n. 257[ <i>b</i> ]; tum infra, n. 527, 610, 768[ <i>d</i> ]; omnibus in quibus locis legitur " <i>Jehovah</i> ," quod textum Hebraicum recte interpretatur.	915	1 pro "2" 3 <i>Dominatoris</i> pro " <i>Dominato-</i> <i>rem</i> "
880	I	"luna":—litterae finales, in editione photolith., hic pa- rum clarae sunt. Forte, cum Roberto Hindmarsh et cum Doctore Im. Tafel, legeris lunae.	918	1 <i>urbs</i> pro "lux" 2 "et omnis mons et collis humiliabitur":—haec verba ( <i>qua-</i> <i>iterata mox infra videan-</i> <i>tur</i> ) forte sunt delenda.
	2	pyropum ( <i>ut in loco citato</i> ) pro "pyropes"	920	1 sunt pro "sint" 2, 3 pro "3, 4" 3 400[ <i>c</i> ] pro "406" 4 tuam pro "meam" (videatur locus supra citatus).
884	I	12 pro "II"	921	1 Micham pro "eundem"
885	I	11 pro "IO"	922	1 Micham pro "Nahum"
	2	<i>Foschiah</i> pro " <i>Chiskias</i> "	923	1 <i>Jeremiam</i> pro "eundem"
	3	earum pro "eorum" (vide A. C., n. 10652).	927	2 <i>vestro</i> pro "nostro" (videatur infra, n. 526[ <i>a</i> ]).
887	I	noctis pro "mortis"	931	3 <i>vestri</i> pro "nosteri" (videatur infra, n. 526[ <i>a</i> ]).
	2	myriades pro "millia"	932	1 <i>desuper</i> pro "super" (videatur explicatio).
	3	6 pro "5"	933	1 <i>duket</i> pro "ducit" (videatur locus supra citatus).
888	I	noctis pro "mortis"	934	1 earum pro "ejus" (vide n. 50 et n. 730).
889	I	significantur pro "significa- tur"	935	1 4, 5 pro "5, 6" 2 23 pro "26"
890	I	eorum pro "ejus" (vide infra, n. 573[ <i>a</i> ]).	938	1 et pro "est" 2 <i>Zidoni</i> (ut in explicatione sub- sequente) pro "Zidonem"
892	I	"immanes":—sic editio pho- tolith.; vide infra, n. 556[ <i>a</i> ], tum A. C., n. 9052, quibus in articulis legitur "imma- nis," secundum textum He- braicum.	939	1 <i>terrae</i> pro "gentium" (vid. supra, n. 50; tum A. C., n. 1158).
893	I	illi pro "illos"	941	1 15 pro "14, 15"
894	I	iii. 9, 10 pro "iv. IO"	944	1 "n. 336":—sic editio photo- lith. Significatio "chilia- dum," non autem "chiliar- chi," ibi datur.
895	I	inveni pro "vidi". (Vide- atur subsequens explicatio; etiam n. 918.)	946	1 <i>Jehovae</i> pro "meus"
	2	7649 pro "7648"	948	1 <i>Pepigi</i> pro "Pepigit" (vide infra, n. 701[ <i>b</i> ]).
896	I	32 pro "22"	2 xxv. pro "xv."	
898	I	<i>Ficum</i> pro "ficus"	3 nobis pro "vobis"	
900	I	9051 pro "9031"	4 xx. pro "x."	
901	I	<i>Et</i> pro "Quod"	5 l. pro "li."	
902	I	significet pro "significant"	949	1 23 pro "18"
904	I	"Rex":—sic editio photolith. Textum Hebraicum recte in- terpretatur <i>Deus</i> . (Videatur supra, n. 365[ <i>e</i> ], pag. 721, editoris nota 3.)	2 "quia confido":—sic editio photolith. Forte, cum Le Boys des Guays, hic legeris qui confido, seu confiden- tem.	
905	I	semitas pro "semitae". ( <i>Doc-</i> <i>tor Im. Tafel</i> legit "semi- tas".)	3 69 pro "59"	
907	I	cix. 2-8 pro "civ. 2 ad 6"	4 xliv. pro "xli."	
915	I	in pro "e" (videatur infra, n. 502[ <i>b</i> ]; tum <i>Apoc. Rev.</i> , n. 397).	5 xxxiv. pro "xxxix."	
			6 394 pro "393"	
			7 <i>Videns</i> pro "Visus" (vide A. C., n. 6426).	

Pag.	Sig.		Pag.	Sig.	
963	I	spirituali pro "spiritualis"	1019	I	atqui pro "atque" (videatur explicatio).
965	I	30, 31 pro "31, 32"	1020	I	vivemus ( <i>ut in loco citato</i> ) pro "viveremus"
967	I	"cibarem":—sic editio photolith.; sic etiam supra, n. 374[ <i>c.</i> ]: vide autem A. C., n. 3941, ubi legitur "cibaret".	1022	I	412[b] pro "132"
	2	noster pro "meus"	1024	I	xxii. pro "xxx."
	3	xlii. pro "xl."	1027	I	"Quoniam":—sic editio photolith. Fortasse legeris Praeterea.
970	I	870 pro "970"	1028	2	En pro "Ex"
971	I	significant pro "significet"		I	3 pro "4"
	2	6423 pro "6413"	1029	2	descendunt pro "descendit"
972	I	suum pro "tuum"		I	37–39 pro "38, 39, 40"
	2	xxxvii. pro "xxvii."		2	implerentur pro "impleretur"
973	I	posuit pro "posui" (littera finalis forte perierit).	1031	I	110 pro "113"
	1	6 pro "16"	1035	I	laudatum pro "magnum"
981	I	vi. pro "xxvi."	1039	I	quia pro "et"
982	I	faciem pro "facies"		2	illinc pro "illic"
	2	eos (ut infra in explicatione) pro "nos"	1042	I	9 pro "8"
983	I	xxv. pro "xx."	1044	I	afficiantur pro "afficere"
985	I	10568 pro "1056"	1047	I	68–86 pro "68 ad 87"
988	I	18 pro "19"	1050	I	illis pro "illi"
991	I	511 pro "510"	1051	I	9946 pro "9966"
	2	Hic locus non esse congruens videtur; "facies" hic est verbum, non nomen.	1052	I	3 pro "4"
	3	formidabilia pro "formidabiliis"	1054	I	12 pro "12000"
	4	x. pro "ix."		2	quia pro "qui"
993	I	confitebor pro "confido"		3	ex pro "in" (quod forte ab auctore non scriptum est).
1003	I	verbum filiorum huic loco deest; sic etiam in Apoc. Rev.: tum quoque eo exemplari versionis Latinae Seb. Schmidii quod ab auctore adhibebatur.	1055	I	12 pro "se"
			1056	I	duodecim millia pro "12"
			1057	I	xxix. pro "xxx."
			2	xxx. pro "xxxi."	
			1058	I	tribubus pro "filiis"
			1059	I	xviii. 31, 32 pro "vii. 25, 44" (quod videatur infra).
			1060	I	12, 14 pro "19, 20, 21"
			1063	2	pueri pro "pueros"
				I	313 pro "213"
				2	9467 pro "9476"
				3	9905 pro "9965"
			1074	I	6381 pro "6387"
				2	"mea":—sic editio photolith. (Videatur supra, n. 222, pag. 329, nota 2.)
				3	habitatunt pro "habitabo" (vid. A. C., n. 9594).
				4	xxxvii. pro "xxxviii."
1006	I	11 pro "10"	1083	I	scripta pro "scribi"
	2	xxxvi. pro "xxx."	1084	I	diebus illis pro "die illi"
1007	I	xli. pro "xlii."	1086	I	illi pro "illa" (vid. A. C., n. 9320).
	2	consummarent pro "consu-merent"		2	Nonne pro "Omne" (Vid. A. C., n. 7051, 9320; sed in Apoc. Rev., n. 350, et in Doc. de Script. Sacra, n. 51, legitur "Omne.")
1009	I	eundem pro "Esajam"		3	posuistis pro "posuisti"
1011	I	26 pro "16"			
	2	22 pro "21"			
	3	xii. pro "xiii."			
1012	I	9216 pro "8683"			
1013	I	Bono pro "Vero"			
1015	I	cornu pro "cor"			
1018	I	nares pro "animam"			

Pag.	Sig.	Pag.	Sig.		
1087	1	Jehovah pro "Jehovik" (vide infra, n. 727[ <i>b</i> ]).	1116	1	41-43 pro "42, 42"
	2	"scipionem":—sic ed. photo. Sed videatur infra, n. 727[ <i>b</i> ], ubi legimus "baculum," quod cum textu Hebraico congruit.	2	15-21 pro "15-22"	
1088	1	"Quid faciendum amplius vineae meae":—sic editio photolith. Videatur autem mox infra eadem haec verba iterata. Forte cum textu He- braico legeris "Et jam, ha- bitator Hierosolymae, et vir Jehudae" (vid. A. C., n. 3654).	1117	1	xvi. 17 pro "26"
	2		1119	1	beneplacito pro "excandes- centia"
1089	1	4847 pro "4897"	2	amat :—sic Dr. Im. Tafel. In editione photolith. legi- mus "est".	
	2	3479 pro "3480"	1120	1	Num. xviii. 2 pro "cap. xviii. 4"
	3	10396 pro "10390"	1122	1	"Israel":—sic ed. photolith. Forte cum textu Hebraico legeris Hierosolyma.
	4	10694 pro "10692"	2	mensuratur pro "numeratur"	
	5	9380 pro "9381"	1123	1	et pro "ad"
	6	4307 pro "4309"	2	"vos":—sic ed. photolith. Forte, cum Schmidio, lege- ris eum.	
	7	10493, [10499] pro "10492"	1125	1	Jacobus pro "Jacob"
	8	6589 pro "6588"	1132	1	significant pro "significat"
	9	8588 pro "8388"	1133	1	13-17 pro "13-18"
1090	1	4818 pro "4817"	1135	1	5306-5329 pro "5304-5324"
	2	4899 pro "4891"	1139	1	"mea":—sic ed. photolith.; videatur autem n. 222, pag. 329, nota 2.
	3	6362-6381 pro "6363-6382"	1141	1	invadat pro "comedat" (vid. A. C., 3969).
	4	3373 pro "3773"	1142	1	ex pro "et"
1092	1	4245 pro "4244"	1143	1	18 pro "16"
1093	1	9128 pro "9126"	2	illis pro "illos"	
	2	3952 pro "3953"	1145	1	435 pro "425"
1095	1	habitans pro "habitas"	1146	1	significant pro "significant"
	2	significantur pro "significant"	1148	1	6444 pro "6445"
1099	1	Gadis pro "Danis"	1149	1	3920 pro "3921"
1102	1	judicia (ut infra in explica- tione) pro "judicium"	1156	1	numerat pro "numeras"
	2	6406 pro "6407"	1161	1	17 pro "16"
1105	1	3939 pro "3940"	1162	1	lingua pro "linguam"
1106	1	2162 pro "1860"	2	barbarum pro "in barbarum"	
	2	1-3 pro "1, 2"	1165	1	3, 4 pro "2"
	3	quingentae[ulnae] pro "quin- genta" (vide supra, n. 417[ <i>a</i> ]).	1168	1	significantur pro "significa- tur"
	4	quatuor millia et quingenta pro "504000"	1172	1	bono pro "boni"
1111	1	5356 pro "5355"	2	"in Zione":—sic editio pho- tolith.; sed videatur infra, n. 811[ <i>c</i> ], ubi legitur "ex Zione".	
1112	1	"Jehovam":—sic ed. photo.; sic supra, n. 386. In Ar- canis Caelestibus, n. 5354, legimus "Jehudam," quod congruit cum textu Hebrai- co. Hoc nomen Domini ab auctore in litteram e sensu intimo translatum esse vide- tur.	1177	1	quia pro "est quia"
	2		2	333 pro "133"	
1114	1	in pro "ex"	1180	1	Invocat pro "Invoca"
	2	externum pro "internum"	1181	1	venerunt pro "veniunt"
			1183	1	illum pro "illos"
			1185	1	25, 26 pro "26, 27"
			2	8746 pro "8748"	
			3	9325 pro "9328"	
			1188	1	multiplicaveris pro "multi- plicaverit" (videatur infra in explicatione).
			1189	1	209 pro "210"

Pag.	Sig.	Pag.	Sig.	
1194	I	5649 pro "5609"	1260 I	eorum pro "earum" (vid. n. 379, 1000).
	2	8269 pro "8219"	1261 I	qui pro "quia"
1198	I	flagrans pro "fragrans"	2	populo pro "Aegypto"
	2	464 pro "460"	1264 I	Omnis hamo pro "Omnis homo" (videatur Index Biblicalus, s. v. <b>Hamus</b> ).
1199	I	nota pro "notum"	1265 I	omnes hamo pro "omnis homo"
1200	I	te pro "eos" (videatur infra, n. 780[b]).	1268 I	6857 pro "6856"
1201	I	4, 7 pro "47"	1271 I	22 pro "22, 23"
1202	I	"ut et... ducaturus est eos":—sic editio photolith. In articulis n. 386[d] et 481, legitur "ita ut etiam... ducaturus sit eos".	1274 I	vester pro "noster" (videatur Apoc. Rev., n. 173, 281).
1203	I	13 pro "12, 13"	1276 I	24 pro "23, 24"
1205	I	27 pro "23"	1278 I	ingressi pro "ingressus"
1212	I	262 pro "252"	2	16 pro "17"
1217	I	489 pro "488"	1279 I	23, 24 pro "23 ad 24"
1219	I	324[a] pro "234"	1281 I	25 pro "15"
1223	I	Causa pro "Causae"	1286 I	a pro "ad" (vid. A. C., n. 9339).
1225	I	10 pro "II"	1289 I	in pro "e" (videatur supra, n. 304[c], 405[h]).
1226	I	iii. pro "ii."	1290 I	"in":—sic editio photo; videatur supra, n. 275[a], ubi legimus "a".
1227	I	"Leo":—sic editio photolith.; sic etiam Apoc. Rev., n. 397: "Heros" autem legitur infra, n. 734[c]; tum A. C., n. 5323, 8261, 8273, 8875; Doc. de Dom., n. 14; Apoc. Rev., n. 500; V. C. R., n. 116; Dict. Prob., ed. 1845, pag. 83.	1292 I	Jeremiam pro "eundem"
	2		2	"sicut":—sic ed. photolith.; videatur autem supra, n. 223[b], ubi legimus "fient".
1228	I	15 pro "13"	1294 I	44 pro "45"
1230	I	lxxviii. pro "lxxxviii."	2	vii. pro "vi."
1234	I	"in":—sic editio photolith.; fortasse legeris e.	3	I pro "8"
	2	ardentes pro "ardentis" (vid. A. C., n. 934, 8813).	1297 I	convertistis (ut in explicazione) pro "convertitis"
	3	illam pro "illum" (vid. infra, n. 595).	2	vi. pro "v."
	4	viii. pro "iii."	1301 I	II pro "I"
1236	I	5 pro "15"	1304 I	"obscuratum":—sic editio photolith.; vide autem A.C., n. 7711, ubi legitur "obscurus".
1237	I	xxv. pro "xxiv."	2	16 pro "18"
1239	I	vii. pro "vi."	3	xxiii. pro "xxii."
1241	I	"eripiunt":—sic editio photolith.; sic etiam A. C., n. 6832, 9188; Apoc. Rev., n. 759. Fortasse autem (cum Apoc. Rev., n. 800) legeris eripient.	1307 I	potestatem pro "potestas"
	2	xxi. 36, 37 pro "xxxii. 32, 37"	1309 I	eque pro "inque" (videatur supra, n. 239[b]).
	3	17 pro "16"	2	xviii. pro "cviii."
	4	40 pro "15"	1312 I	[non]:—videatur infra, n. 768[d].
1243	I	33. pro "32"	1314 I	282 pro "280"
	2	xxix. pro "xxxix."	1315 I	significant pro "significat"
1254	I	14 pro "14, 15"	1316 I	xxii. pro "xxiii."
1256	I	Jeremiam pro "Esajam"	2	xiii. 3 pro "xvi. 13"
	2	Esaiam pro "Eundem"	1	40 pro "4"
1258	I	effluviosum pro "effluviosus"	2	17 pro "16"
	3		3	consummor (sic Schmidius) pro "consumor"
	4		4	61 pro "31"









Princeton Theological Seminary Libraries



1 1012 01196 4998



